
METAL
METAL LICA
METALLA MINERALIA
COCHLEÆ
TURBINATA
CONCHILIA
MARIANA
ANIMALIUM PARTES
CONCHILIATA
VARIA
LAPIDES
LAPIDES
LAPIDES
SUCCU
FRUCTUS
SEMINA
LIGNA
CORTICES
SULPHURA
SALIA
TERRÆ
HERBÆ
RADICES
MUSEI
WORMIANI
HISTORIA
LUGD· BATAVORUM
EX OFFICINA ELSEVIRIANA
Acad: Typog: 1655.
G. Dringenberg

40 5436

MUSEUM WORMIANUM.

SEU

HISTORIA RERUM RARIORUM,

Tam Naturalium, quam Artificialium, tam Domesticarum, quam Exoticarum, quæ Hafniæ Danorum in ædibus Authoris servantur.

Adornata ab

OLAO WORM, MED. DOCT.
&, in Regiâ Hafniensi Academiâ, olim Professore publico.

Variis & accuratis Iconibus illustrata.

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina ELSEVIRIORUM, Acad. Typograph.

cIↃ IↃC LV.

165

Smithsonian Institution
328724
U. S. National Museum

fQH
70
D42C789
RB
SI

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

PRINCIPI

FRIDERICO III.

DANIÆ, NORWEGIÆ, GOTHORVM,
VVANDALORVMQVE

REGI,

DUCI SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ
ET DITMARSIÆ,

COMITI IN OLDENBURG ET DELMENHORST,

PATRIÆ PATRI,

Imperii Paciſque æternitatem precor.

EX AUGUSTISSIME:

Naturam, Tibi, ancillante arte comitatam tam ſuâ induſtriâ, quam hujus ſedulitate inſignem, ad Sacrarium Majeſtatis Tuæ ſiſto, rerum hanc omnium Reginam Tibi Regi invictiſsimo, benignam rerum omnium Matrem Tibi Patriæ Patri, Benefactori au-

tem Opt. Max. æternum devoti cultus & duraturi obſequii monimentum. Nec Tuam ob hoc mihi metuendam offenſionem duco, cum, quod hanc in ſecretum Sacræ Tuæ Majeſtatis producam, peccare mihi non videor. Si enim Tuâ Majeſtate dignum munus quæſiiſſem, non invenirem certe, ſi maxime conveniens, Natura erat, quæ, Majeſtatem ſuam ubique exſerens, Regum quoque Palatia intrat, & adeo non in ſummâ fortunâ deſpici ſolet, quin ſæpe etiam in amicitiam & ſecretum admittatur. Illa ſcilicet, quæ per univerſum diſperſa Solem interdiu lucere facit, Lunam innumerabilibus comitatam ſyderibus noctu excubias agere jubet, æthera, terras, maria, ſingula ſuis incolis exornat, & per quicquid ubique eſt mirificè diffuſa in mirandâ humani corporis Fabricâ maximè elucet. Cæterùm, audaculum judicabunt me forſan non pauci, quod, juvenis adhuc, ætatis invidiam non timens, hoc ſerto me Majeſtatis Tuæ aram adornaturum promittam, quod ſi in poteſtate meâ eſſet, non modo Magnatum opes æquarem, ſed cum ipſis Diis de felicitate certare poſſem. Sed & magnas Terrarum Regionumque moles in exiles chartarum particulas, tanquam in ſcenam, introduxit erudita Antiquitas, &, quicquid cœleſtium corporum ſupra nos eſſe videmus, exili globo arctaſſe Archimedem conſtans fama eſt. Tentavit tale aliquid, Parens, heu quondam, meus, qui vaſtiſsimæ Naturæ ſcrutator indefeſſus, mirator aſsiduus, intra anguſtos privatarum ædium parietes vaſtum auguſtumq; Naturæ hoc Numen, nec infelici planè ſucceſſu, nec irrito niſu, concludere laboravit. Præter enim quæ in Patriam noſtram liberali manu collata nemini negata orbis Conditor voluit, ab utroque Solis termino, utroque Oceano, Naturam ad ſe invitavit, ex Meridie venientem hoſpitio excepit, &, ne quid inexpertum relinqueret, neque Septentrionem inſalutatum voluit, hoc agens: ut, quantum fragilis & laborioſa mortalitas permitteret, in ſecreta ejus penetraret, nec pateretur in ſuâ Patriâ ignorari, quæ, ut in hominum oculis verſarentur, orbi data erant. Et cum denegatum mortalibus diu vivere ſciret, faciendum

ſibi

ſibi aliquid credidit, quo ſe vixiſſe teſtaretur, hoc animum contra fluxæ mortalitatis injurias obfirmans: tum demum fore ut nec ignotus viveret, nec moreretur. Videns porrò ſuam illam in hoc Naturæ ſtudio operam ſic Majeſtati Tuæ placere, ut, non modò, cum à graviſsimis Regni negotiis ad mitiora ſtudia tranſire animus eſſet, Tu verus orbis noſtri Sol, relicto tuo Capitolio in Mantuam noſtram, Regii corporis radios non ſemel transfundere dignarere, ſed & ſic Majeſtatis Tuæ beneficiis ſua illa augeri, ut, his jam accedentibus, non amplius invidiam hominum, ſed ipſius Naturæ timeret, credidit gratam ſe literato orbi facturum operam, ſi, quæ viderat tanto Regi tam grata, brevi hiſtoriâ adornata poſteritati tranſmitteret. Nec defuerunt hæc meditanti calcar addentes. Aggreſſus itaque opus, Eruditorum ſcholis, quod crediderunt multi, non inutile futurum, quod ſuarum partium fuit brevi abſolvit. Cæterùm, quam miſerum eſt bene partis non poſſe frui! Exantlatâ hâc moleſtiâ & jam Virtuti laborique ſua præmia exſpectans, citâ morte præoccupatus, inter Mortales eſſe deſinit, ô fluxas humanæ ſortis viciſsitudines! ô triſtem & inevitabilem moriendi neceſsitatem! Lucem tum primum videre incipiebat tot dierum tot noctium labor, cum triſtis eum nox, non ſine inſigni mœſtiſſimæ viduæ & novem orphanorum mœrore, opprimeret, cui ſoli vitam lucemque debebat. Ipſe, qui ſtudiorum amore extra Patriam tenebar, vidi naſcentis operis cunabula, filialiſque obſequii & Paterni mandati memor, quantum in me fuit, obſtetricantes manus porrexi, egique, ut ſaltem poſthumi nomen mereretur, quod quominus à vero Parente tolli poſſet iniquior ſors vetuit. Hinc factum, quod nunc felici ſydere abſolutum in publicum orbis theatrum prodeat, gaudeatque Sacræ Majeſtatis Tuæ aris appendi, unde ſi non refigatur habebo quod cœlo & verè Regiæ Tuæ Clementiæ imputem, innumeriſque illis accenſeam beneficiis, quibus non modo Parentem B.M. quamdiu communi hac luce gaudebat, cumulaſti, ſed & iis quæ poſt fata ejus in me vel ſolum Regia Tua Munificentia copioſe contulit.

Nec ad alios quam ad Sacræ Tuæ Majeſtatis pedes operis hujus Patrocinium devolvere permiſit erga Parentem Religio, in cujus pios Manes injurius omnino eſſem, ſi ad alias aras litarem, quam ad quas vota concepiſſe illum, dum in vivis erat, ipſemet mihi conſcius eram: erant autem illæ non aliæ, quam quæ in ſacrario Sacræ Tuæ Majeſtatis ſitæ quotidianis hominum votis ſic impetuntur, ut ad has ſolas, tanquam verum candidi Numinis lucum, immixti plebejis nobiles, ab omni terrarum parte, ſtudioſâ celeritate confluant, inviolatæ virtuti certiſſimam & non pudendam ad hæc pulvinaria incolumitatem quæſituri. Patere itaque, Rex Auguſtiſsime, hoc devoti animi monimentum, quod, Sacræ Tuæ Majeſtati à Parente deſtinatum, ejuſdem juſſu filius ſuſpendo; Patere, inquam, Regiis tuis tholis affigi, ab illo, qui tibi ſuam ſuorumque vitam, ſalutem, & incolumitatem debet, nec in votis quid amplius habet, quam ut tanti Regis, cui par ubique æquitatis & clementiæ ratio, divinas virtutes perpetuo adorare liceat. Idque optat unicè, ut immortalis Deus, Regum ille Rex Summus, Tibi Regi ſemper Auguſto, Patriæ imperium, quod hodie tuâ virtute floret vigetque, perpetuò ſoſpitet, vitam deſtinet cœlo coævam, detque, ut, diu in oculis Patriæ glorioſè triumphans, felici ſenectute multos annos imperes, ut, poſtquam diutiſsimè hominum recreator manſeris, comes tandem Deorum tardiſsimus fias. Lugd. Batav. ipſis Calendis Martii CIↃ IↃ CLV.

REGIÆ TUÆ MAJESTATIS

Devotiſſimus ſubditus

W. WORM, OLAI FIL.

OLAUS WORM,

Med. Doct. & Profess. Regius,

LECTORI

S. P.

Etus querela Sapientum est, nos in rerum naturalium inquisitione cum Vulpeculâ Æsopicâ vitreum vas lambere, pultem non attingere: circa cortices & siliquas rerum versari, pulpam & fructum non degustare. Cujus miseriæ causam qui diligentius inquisiverint, videbunt institutionem à teneris factam eò errorum nos ducere. Quotus enim quisque est, qui, cum se rerum naturalium inquisitioni tradiderit, aliud à Præceptoribus hauriat, quam ineptas quasdam argutias, de Materiâ Primâ, Privatione, Motu, Mundi æternitate, Orbium cœlestium soliditate, aliisque ejus farinæ Sophismatibus? Quibus instructus, ne vilissimi quidem lapidis, qui præ pedibus est, naturam, proprietates & vires sciet. Ejecerunt vulgò è Scholis & Academiis utilissimos Philosophorum, de rerum naturâ, libros, historiam Terrarum, Mineralium, Lapidum & Plantarum spernunt, eosque saltem retinuerunt, qui visi sunt disputationibus & altercationibus inutilibus fovendis idonei. Ita juventus à rerum naturis inquirendis avocatur, & spinosis quibusdam de terminis, ut vocant, & notionibus secundis, sophismatis irretitur, à quibus ubi se extricaverit, rudiorem rerum præclararum se reperit, quam cum primùm Philosophari cœpit. Disputant pro & contra, ut inquiunt, hoc est, ut pueri faciunt, exstruunt ex luto casulas, quas non minori oblectamento dejiciant, ut sic ineptiores à se discipulos remittant, quam acceperunt. Lubet Doctissimi Gassendi hic adferre querelam, quâ lib. 1. adversus Aristoteleos discipulorum sortem sic deplorat. Quam juvaret nosse Historiam Lapidum, Metallorum, Plantarum, Animalium, cæterorumque hujusmodi, quorum est adeo jucunda cognitu varietas. Et ista tamen, inquiunt, noverint lapidarii, aurifices, herbarii, venatores. Flocci nempe faciunt, quod nimis vulgaria sint, jactantque interea seligere se, quæ propriè spectent ad Philosophiam. Scilicet Aristoteles, scilicet Democritus, scilicet alii magni viri, quorum eruditio tanti æstimatur, Philosophiam non excolebant, cum ista perquirerent? Scilicet boni isti viri, dum res ejusmodi præteruent, Philosophiæ magis obsequuntur, quod adeò solerter disquirant; An detur forma corporeitatis? An & cujusmodi habeat proprietates illa forma, quæ cadaveris dicitur? An, qui sunt inferioris gradus, superiores contineant formaliter vel eminenter? An facultas animalis sit à subjecto separabilis re, vel ratione tantum? An proinde facultate visus positâ in lapide actum visionis eliceret? ut alias innumeras nugas ineptiasque prætercam. Et cæteris tamen neglectis ista curiosi prosequuntur, ut propriè Philosophica. Cedo igitur ex illis quando Physices curriculum

absolverunt, quid probi teneant ex iis quæ sunt in rerum Naturâ? Mineralia, Vegetabilia, & Animalia non sunt perscrutati, quemadmodum dictum est: Elementa etiam ignorant, quæ aut cujusmodi sint: qui garrulitatem saltem exercuerunt circa ineptas & frivolas qualitatum combinationes. Ex cœlestibus ipsis vix Solem Lunamque novisse tentarunt, & quæ nunquam suspexerunt ipsi, disseruerunt otiantes in Scholis & hypocaustis, ac mille nugas commenti sunt, quibus insomnia suffulcirent, videlicet soliditatem realitatemque sphærarum cœlestium, canales quos astra trajiciant, negationes qualitatum quas alteratrices & corruptrices dicimus, cæterasque hujusmodi, quæ nullâ comprobari possunt observatione & experientiâ. Vno verbo, de hac rerum naturâ nihil perviderunt, quando suas Scholas ingressi, aliam naturam ingressi sunt, cum exteriore minimè congruentem, ac proinde mirari non debeas, si, audiens illos differentes de rebus naturalibus, videris longe abesse ab iis, quæ præter Scholas nobis observantur. Hinc ipsimet, ubi ad hanc veram naturam ventum est, caligant prorsus & obstupescunt, moniti scilicet ab iis, qui non fallaci ratiocinio, sed magistrâ rerum experientiâ, observationeque omnia prosequuntur. Veris ac vivis coloribus Philosophos nostros superficiarios & Scholasticos depinxit vir ille eruditissimus. Quocirca & alii ante eum in eundem sensum conquesti sunt; nostrâ inscitiâ & negligentiâ fieri, ut multæ res lateant, multis non utamur, multæ prorsus intereant. Longè aliter majores nostri Philosophabantur, aliter discipulos suos in adita Naturæ manuducebant, in primis eos qui rebus naturalibus uti decreverant ad corporis humani sanitatem aut conservandam aut recuperandam. Audi Galenum de compos. Medic. lib. 3. Amicos adhortor, ut meum exemplum sequentes, modò artis opera probe obire voluerint, dent operam ut ex omnibus locis præstantissima illis quotannis Medicamenta adferantur, quandoquidem perditi illi omnis generis coëmtores rerum, variis modis adulterare solent ea. Quisquis igitur auxiliorum undique copiam habere volet, omnis Stirpium materia, Animalium, Metallorum, tum aliorum terrestrium corporum, quæ ad Medicinæ usum transferre solemus, ipsi perspecta ut sit necesse est. Hinc tot peregrinationes à Galeno ipso susceptæ in Lemnum & alias terras, ut res naturales in loco nativo aspiceret, diligenter lustraret, notis genuinis ab adulteratis discerneret. Qui enim ex libris & relationibus saltem res dignoscere laborant, eos assimilare solebat præconibus, qui formam ac notas fugitivi mancipii, licet ipsi viderint nunquam, præconio tamen suo publicare solent. Notas enim ab aliis accipientes, seu Cantilenam, eas proferunt, ut, si forte, quem præconio indicant, prope assisteret, agnoscere tamen eum non possent. Hisce igitur similes ut non evadamus, & in clarâ luce circa rerum naturas cæcutiamus, laqueis istis ingenia subducamus, abjectis corticibus, nucleos apprehendamus, perspicilla, quæ pro rebus rerum spectra exhibent, deponamus, id tandem agamus, ut Academiæ desinant persuadere, incipiant demonstrare, desinant disputare, incipiant speculari, desinant credere, incipiant scire. Recte enim ille: Æque tyrannicum & perniciosum est illud Aristotelicum, Discentem oportet credere; atque Pythagoricum, αὐτὸς ἔφα. Nemo jurare cogatur in verba Magistri, sed res ipsæ constringant intellectum, nec plus fidei habeatur præceptori, quam quantum esse habendum re demonstraverit. Hæc recta, hæc Regia est Philosophandi via, à quâ qui deflectit, in devia & præcipitia abripitur. Hoc meo malo expertus, cum animadverterim, quam rerum inopes nos reddat vulgaris Philosophiam Naturalem tractandi

ratio,

ratio, meliorum ingeniorum dolere cœpi vices, ac de mediis, quibus commodissime variarum ac pulcherrimarum rerum Naturalium copia comparari & juventuti instillari posset, cogitare cœpi, quo ita ex communi errorum lacu & tenebris extracta, in clarâ luce & pulcherrimâ divinorum operum contemplatione statui posset. Ex eo igitur, quo primum Naturæ Historiam in hac Academiâ Regiâ docere cœpi, nullis parcens sumptibus aut laboribus, rerum naturalium thesaurum haud contemnendum colligere cœpi: Quem oculis omnium Naturæ cupidorum exponere possem, ac de singulis ita disserere, ut eorum nomina, naturas, proprietates, descriptiones & usus (quantum quidem explorare, & ex optimis ac fide dignis autoribus haurire licuit) exhiberem, quo hisce ad reliqua Naturæ adita viam sternerem expeditiorem. Quod meum institutum cum multis placuisset, non destitere conatus juvare, ut aliquot annorum decursu opes nostræ in eam creverint amplitudinem, quam hoc libro tibi exhibemus. Quo dissertationes nostras, de hisce publice ad Auditores habitas, exhibemus, ex quibus si quid commodi ad Studiosam Iuventutem redundet, est quod nobis gratulemur, Deoque conatus nostros promoventi gratias agamus.

Ne verò rerum tam diversarum varietas confusionem pariat, aut incertis vagemur legibus, quatuor libellis omnia persequi decrevimus. Quorum primus Fossilia exhibebit, sub se Terrarum varia genera, succorum concretorum diversas species, lapidum tam communium, quam pretiosorum, seu Gemmarum varietatem, Metallorum quoque & Mineralium familias, naturas & proprietates. Secundus continebit Vegetabilium rariorum & exoticorum historias & partes; Radices, folia, ligna, cortices, fructus, gummata, succos. Tertius Animalium dabit classes, Terrestrium, Aquatilium, Amphibiorum, Reptilium & quæ huc spectant. Quartus, varia, ex dictis jam naturalibus, arte elaborata, quorum contemplatio curioso lectori & utilis & jucunda futura est.

Ita verò in totâ hac versabimur historiâ, ut nec necessaria omisisse, nec prolixitate nimiâ tædiosi fuisse videamur: nihil tractantes, cujus non particulam aliquam, ad minimum, in Museo nostro demonstrare liceat. Poteramus quidem aliis multis hic non descriptis, quæ tum in thesauris rerum exoticarum Sereniss. Regis Nostri FRIDERICI III. *tum in Museis amicorum hic degentium, extant, & quidem bonâ eorum veniâ, hanc nostram Historiam locupletare. Sed alienis pennis nos ornare noluimus, contenti propriis. Quibus si tibi non displicuerimus, Amice Lector, est quod lætemur, & sat gratiarum relatum existimemus. Cæterum, si quæ hic offenderis, inter Exotica in primis, Tibi melius cognita & perspecta, rogo nostros conatus benigne interpreteris, & tuas nobiscum communices accuratiores observationes, dabitur forsan occasio, aut per Appendicem, aut Paralipomena, ea quæ desideras annotandi, atque hæc uberius locupletandi. Quod non sine honorificâ Tui mentione fiet. Interea vale, &, quâ potes, Symbolâ juva.*

AUTHO-

AUTHORES

Quorum in hoc Opere mentio fit.

A.

ACosta.
Ægineta.
Ælianus.
Ælius Everhardus Vorstius.
Ætius.
Agricola.
Albertus Magnus.
Aldrovandus.
Alexander Neapolitanus.
Amatus Lusitanus.
Ammianus.
Anacardus.
Angelus Sala.
Antonius Augustinus.
Antonius Ronfinius.
Anshelmus Boëtius.
Appianus Grammaticus.
Aristoteles.
Athanasius Kircherus.
Athenæus.
Avicenna.
Averroës.
Aurelius Severinus.

B.

BAlvinus Ronsæus.
Barlæus.
Bellonius.
Benedictus Cerutus.
Bernhardus Paludanus.

C.

CÆsalpinus.
Calceolarii Museum.
Cardanus.
Casparus Bauhinus.
Cerutus.
Charletonus.
Cicero.
Clusius.
Cæcilius Folius.
Cælius Rhodiginus.
Cornutus.
Conradus Furer.
Cramerus.
Crantzius.
Crato.
Crollius.

D.

DAmianus Goes.
Deinhemius.
Dioscorides.
Dodoneus.
Doldius.

E.

ENcelius.
Erasmus Lætus.
Eustachius.

F.

FAbius Pictor.
Ferrandus Imperatus.
Fontana.
Fortunius Licetus.
Franciscus Hermandus.
Franciscus Stellatus Lynæus.
Franciscus Ximenes.
Fridericus Nausea.

G.

GAffarellus.
Galenus.
Gassendus.
Garcias ab Horto.
Georgius Fabritius.
Gerhardus Mercator.
Gesnerus.
Gregorius Turonensis.
Guilandinus.
Guilhelmus Fabritius Hildanus.
Guilhelmus Piso.

H.

HElmont.
Henricus Petræus.
Henricus Spelman.
Hermolaus.
Hierocles.
Hieronymus Syrterus Mediolanensis.
Honorius.
Hugo Linscotanus.

I.

IAcobus Bontius.
Jacobus Zeilerus.
Jacobus Zvingerus.
Imperatus.
Joachimus Camerarius.
Johannes de Laet.
Johannes Consalvus Mendoza.
Johannes Sturmius.
Jonstonius.
Jovius.
Julius Pollux.

L.

LAtzio.
Leonellus Faventinus.
Libertus Fromundus.
Lobelius.
Lucretius.
Ludovicus Romanus.
Ludovicus Stephanus.

M.

MArantha.
Marbodeus.
Marcellus Donatus.
Margravius.
Mathiolus.
Mesues Rhei.

N.

NArdus Antonius Rechus.
Nicander.
Nicephorus.
Nicolaus Maroneus.
Nicolaus Monardes.
Nicolaus Papinius.
Nierenbergius.
Normannus.

O.

ODuardus Barbosa.
Olaus Magnus.
Olearius.
Onesicratus.
Ovedius.

P.

PAludanus.
Pancirollus.
Pausanias.
Paulus Orosius.
Paulus Jovius.
Petrus Alvarus Semeda.
Petrus Bellonius.
Petrus Martyr.
Petrus Pavius.
Petrus Poca.
Petrus Undelinus.
Philippus Hogsteterus.
Philostratus.
Piso.
Plinius.
Plutarchus.
Poterius.
Prosper Alpinus.
Psellus.

Q.

QUercetanus.

R.

RAuvvolfius.
Renatus Moreao.
Renodæus.
Rhasis.
Rondeletius.

S.

SAxo Gammaticus.
Scaliger.
Schroderus.
Seldenus.
Sennertus.
Servius.
Sigebertus.
Solinus.
Strabo.
Stephanus Albucarius.
Stephanus vander Hagen.
Suenckfeldius.

T.

TAbernamontanus.
Theophrastus.
Thevetus.
Thomas Erastus.
Thomas Bartholinus.
Thomas Brun.
Thuanus.
Trallianus.
Trigautius.
Tycho Brahe.

V.

VAleriola.
Valerius Cordus.
Varlomannus.
Virgilius.
Vitruvius.

VV.

WAlichius.
VVolfgangus Gabelcoverus.

Z.

ZAcutus Lusitanus.

INDEX

INDEX CAPITVM.

Lib. I. Sectio I.

Cap. I. *De fossilibus in genere.* pag. 1
II. *De Terrarum differentiis.* 2
III. *De Terris quibus varii artifices utuntur, exceptis Medicis.* ibid.
IV. *De Terris quæ in usum Medicum veniunt.* 5
V. *De Terris Miraculosis.* 17
VI. *De Salibus in genere.* 18
VII. *De Sale Naturali & Artificiali.* 19
VIII. *De Nitro.* 21
IX. *De Alumine.* 23
X. *De Vitriolo & cognatis.* 24
XI. *De Sulphure.* 26
XII. *De Arsenico.* 28
XIII. *De Bitumine.* 29
XIV. *De Ambrâ & Spermate Ceti.* 33

Lib. I. Sectio II.

Cap. I. *De Lapidibus in genere.* 36
II. *De Saxo.* 37
III. *De Silice, Pyrite, Molari, Cote.* 39
IV. *De Marmoribus.* 41
V. *De Saxo calcario, Gypso, Lapide Bononiensi, Pumice, Poro, Alcionio, Assio.* 45
VI. *De Stalactite, Stalagmite, Osteocollâ, lapide Spongiæ, Vnicornu fossili, &c.* 50
VII. *De Amiantho, Selenitide, Talco, &c.* 55
VIII. *De Lapide Tiburonum, Percarum, Carpionum, Coracino, Limacum, oculis Cancri, Topho juvenci.* 58
IX. *De Magnete, Hæmatite, Schisto, Smiride, lapide Lazuli, Armeno, Lipis, &c.* 61
X. *Glossopetra, Astroites, lapis Crucis, Iudaicus, Trochites, Belemnites, Morochtus, Cornu Ammonis.* 67
XI. *De Alectorio, Chelidonio, Vmbilico marino, lapide Vrsino, Castoris, Humano.* 71
XII. *Ceraunias, Brontias, Ovum anguinum, Ætites, Ostracites, Conchites, Bucardia, Fungites.* 74
XIII. *De Lapidibus minùs pretiosis variarum figurarum, Naturalia & Artificialia referentibus.* 81
XIV. *De Gemmarum generatione & varietate.* 92
XV. *De Iaspide, Heliotropio, Malachite, Prassio, Nephritico, Achate, Oniche.* 93
XVI. *De Calcedonio, Corneolo, Phengite, Amethysto, Crystallo, Fluoribus, Lapide de Aventura.* 98
XVII. *De Adamante, Rubino, Granato, Hyacintho.* 102
XVIII. *De Saphiro, Smaragdo, Chrysolito, Topazio, Turcoide, Bufonio.* 104
XIX. *De Opalo, oculo Mundi, oculo Catti, Margaritis, lapide Bezoartico.* 107

Lib. I. Sectio III.

Cap. I. *Quid Metallum?* 113
II. *De Auro.* 114
III. *De Argento.* 115
IV. *De Argenti fodinis Norvagiæ.* 119
V. *De Ære.* 120
VI. *De Ferro.* 122
VII. *De Plumbo.* 124
VIII. *De sui generis, seu improprie dictis Metallis, Plumbo cinereo, Antimonio & Argento vivo.* 125
IX. *De Metallis Affinibus.* 127
X. *De Galenâ, Cadmiâ nativâ, Chrysocollâ, Spodo subterraneâ.* ibid.
XI. *De Pyrite, Saxis Metallaribus, Micâ, Talco.* 129
XII. *De Arte elaboratis, cum Metallis, Rubiginibus.* 130
XIII. *De Squammis Metallicis.* 132
XIV. *De Scoriâ, Lapide, Diphryge, Vitro.* ibid.
XV. *De Cadmiâ, Pompholige & Spodo factitiâ.* 134
XVI. *De Litharg yro & Molybdenâ.* 135

Liber II.

Cap. I. *Instituti rationem edocens.* 137
II. *De fungis, Agarico, fungo Sambucino, fungo Rosæ caninæ, Boleto cervino, Pilâ Stagnali.* ibid.
III. *De Byssо arboreo, Telâ arboreâ, Musco terrestri, Coralloide, Pyxioide.* 139
IV. *De Arundinibus.* 141
V. *De Arachidne, & Calamo Aromatico.* 143
VI. *De Doronico.* 145
VII. *De Ficu Indicâ, Hordeo fertilissimo, Hermaphroditico, Hypojasmino, Monstro Linariæ cœruleæ.* 148
VIII. *Moly Virginianum, Rhaponticum, Rhus Virginianū, Rosa Hierichuntica.* 151
IX. *Scorzonera Hispanica, Virga Aurea Virginiana, Vitis Canadensis.* 152
X. *De Radicibus Chinæ, Cyperi, Contrajervæ, Deriagon, Ialap, Labrandino, Liquiritiâ Brasiliensi.* 153
XI. *Matalista, Mechoaca, Ninsing, Rayz de nossa Signora, Papequanhe, Rhabarbarum.* 156
XII. *Sarcaparilla, Tagion, Tausergint, Turpethum, Yaca.* 159
XIII. *Folia Gariophyllorum Indicorum, Lauri Virgilianæ, Malabathri, Musæ.* 162

XIV. *Fo-*

XIV. *Folia Nucis Moschatæ, Palmarum, Theæ.* 164
XV. *De Ligno Aloës, Aspalatho, Bdellii, Coaba, Cinamomi, Cocogolæ, Colubrino.* 166
XVI. *Cupressus, Ebenum verum, Fossile lignum Vmbriæ & Islandiæ, è fluvio Ianuarii, fœtidum.* 168
XVII. *De Guajaco, ligno Hederæ, Literato, Montis ardentis Puteolani.* 170
XVIII. *Lignum Nephriticum, Panava, Rhodium, Santalum, Sassafras, è Siam.* 171
XIX. *De Lignis Monstrosis.* 174
XX. *De Corticibus.* 176
XXI. *Abda, Abrus, Acaciæ, Achiotl, Amygdala novi Regni, Almendras de Peru, Amomum.* 178
XXII. *Anacardus, Ananas, Antophylli, Anda, Anakok, Aovay, Araticum Ape, Avellana Purgatrix.* 182
XXIII. *Baccæ Lauri longæ, Bixa, Bombicinus fructus, Bon, Bonduc, Boramez.* 187
XXIV. *Cacao, Cajous, Capsicum majus, Caraguata, Carpobalsamus, Cassia fistula Orientalis & Occidentalis, Castanea equina Indica.* 191
XXV. *Cedrus de Monte Libani, Ciriboa, Cocculi de Levante, Coni Abietis, Cubebæ, Cuci, Cucurbitæ variæ.* 195
XXVI. *Fabæ variæ, Ægyptiaca, Faufel, Fructus varii non descripti.* 198
XXVII. *Galla non perforata, Gariophyllus Regius, Gelum, Gemma Nucis Maldivensis, Globuli saponarii, Guanabanus, Guatapana, Homoucul.* 202
XXVIII. *Yecotl, Ig, Kapock, Karovata, Leguminis genus, Leplap, Limonium prægnans.* 204
XXIX. *Mani ac cachem, Manobi, Mecaxuchitl, Myrobalani.* 206
XXX. *Nabuch, Nux Indica, Myristica, Pinea, Pistacea, Vomica, Phaseoli varii.* 209
XXXI. *Palmæ sacciferæ, Pinan, Pindoba, Piper Benin, longum, album, nigrum, Tamarindorum fructus, Taniock, Tlilxochitl, Tribulus aquaticus, Vasthema, Zapucanus interior, alia.* 212
XXXII. *De Seminibus.* 218
XXXIII. *Gummata.* 219
XXXIV. *Succi varii inspissati.* 222
XXXV. *Plantæ Marinæ & Zoophyta.* 230

LIBER III.

CAP. I. *Animalium differentiæ.* 239
II. *De Insectis in specie.* 240
III. *De Mollibus.* 246
IV. *De Crustatis longis.* 247
V. *De Crustatis Rotundis.* 249
VI. *De Testaceis Vnivalvibus.* 251
VII. *De Conchiliis Bivalvibus.* 253
VIII. *De Turbinatis.* 257
IX. *De Animalibus sanguineis Reptilibus.* 262
X. *Pisces Saxatiles & Littorales.* 265
XI. *De piscibus Pelagiis.* 270
XII. *De Piscibus aquæ dulcis.* 277
XIII. *De Cetis.* 279
XIV. *De Ceto dentato, Balenâ, Monocerote.* 280
XV. *De Delphino, Pristi, Phocâ, Rosmaro.* 288
XVI. *De Avibus.* 290
XVII. *De Aquilâ, Corvo versicolore, Emeu, Picâ albâ, Topau, Manucodiatâ, Noctuâ.* 292
XVIII. *De Pavone, Gallinâ Guineæ, Pullo Bicipite, Ossibus Gallinæ pumilæ, Aviculâ minimâ.* 296
XIX. *De avibus Aquaticis.* 299
XX. *De avibus circa aquas degentibus.* 306
XXI. *De Nidis & Ovis.* 311
XXII. *De Lacerto Indico, Monstroso, Viridi, Argentei coloris, Facetano, Iguanâ, Scinco, Crocodilo, Testudine marinâ, Stellatâ, Tessellatâ, Vulgari.* 312
XXIII. *De Viviparis digitatis.* 317
XXIV. *De Bisulcis.* 336
XXV. *De animalibus Solidipedibus.* 341
XXVI. *Hominem concernentia tractans.* 343

LIBER IV.

CAP. I. *De Artificiosis è terris elaboratis.* 346
II. *De Artificiosis è Succino.* 350
III. *De Artificiosis è Lapidibus elaboratis.* ibid.
IV. *De Artificiosis ex Metallis auri & argenti elaboratis.* 352
V. *De Artificiosis & Ære & Ferro elaboratis.* ibid.
VI. *De Numismatis.* 359
VII. *De Artificiosis è vitro, eique affinibus elaboratis.* 362
VIII. *De Artificiosis è plantis elaboratis.* 365
IX. *De Artificiosis è lignis elaboratis.* 366
X. *De Artificiosis è fructibus elaboratis.* 376
XI. *De Artificiosis ex animalibus elaboratis.* ibid.
XII. *De variis artificiosis.* 381

MU-

MUSEI WORMIANI HISTORIÆ LIBER PRIMUS.

SECTIO PRIMA.

CAP. I.

De fossilibus in genere.

RARIORA, quæ Museum nostrum tenet, ad quatuor referimus classes: Fossilium, Vegetabilium, Animalium, & quæ ex his Ars elaboravit. A primo genere initium facere lubet, ut ita ab ignobilioribus ad nobiliora, ab imperfectioribus ad perfectiora paulatim ascendamus.

Fossilia ita dicta, quod major eorum pars fodiendo è terrâ eruatur; ab aliis Mineralia vocantur, qui fodinas Minas volunt appellatas, ut fossilium & metallorum venas Mineras. Metallica etiam à quibusdam, à potiore specie, Metallis nempe.

Est autem FOSSILE, corpus perfectè mixtum, inanimatum, vitæ expers, peculiari formâ & virtute seminariâ à Deo in primâ creatione dotatum ut sibi simile procreare, suamque speciem propagare possit. Harum formarum beneficio fit cujusvis corporis formatio, dispositio, propagatio & perpetuatio, quæ non minus admiratione digna in hisce, quam in vegetabilibus: sunt namque multiplicativæ, eamque vim à Creatore sibi inditam habent, ut in materiâ dispositâ & loco apto sese possint multiplicare. Quod vel evidenti exemplo Nitri apparet. Etsi enim ex Terrâ seminali, vi Nitri imprægnatâ, semel Nitrum omne extrahatur, tamen ex eâdem, sibi aliquantisper relictâ, paulo post Nitrum novum extrahi potest, hâc vi regenitum. Hæc etiam causa est, quod, quanquam in Mineralibus istis formæ externæ fiat mutatio, & vel in liquores, vel pulveres, vel vitra reducantur, in Metallicum nihilominus, nullo negotio, redigi possint corpus, quia mutatur saltem externa forma, salvâ internâ & essentiali; ut in Mercurio, Antimonio, & Stanno videre licet. Quia verò hæc ipsa fossilia corpora sunt similaria, ad elementorum naturam propius accedunt vegetabilibus & animalibus, quorum etiam respectu species minus completæ censentur. Hinc etiam fit, quod fossile unius speciei in aliud facile mutetur, ut ferrum in cuprum; quod in vegetabilibus raro observatur, nisi cum soli vitio in deterius quidpiam degeneret, Triticum in Lolium, Hordeum in Avenam.

Fossilia dividimus in Media Mineralia, Lapides & Metalla. Media Mineralia illa vocamus, quæ mediam quasi naturam habent inter Lapides & Metalla. Hæc rursum sunt vel Terræ, vel Sales, vel Sulphura, vel Bitumina.

Cap. II.

De Terrarum differentiis.

PER Terram hoc in loco non intelligimus eam quæ ſimplex eſt, & in numerum Elementorum vulgo refertur: nec eam quæ quidem miſta eſt, & ſerendis plantis ac frugibus apta, & magis ad naturam elementi accedit, quam ea de quâ nobis hic ſermo erit, quamque dicimus eſſe, corpus foſſile, naturæ mineralis particeps, quod injectâ aquâ ſolvitur & Lutum fit. Licet vero quædam hujus generis Terræ reperiantur, quæ aquis madefactæ non confeſtim ſolvantur in lutum, progreſſu tamen temporis, ſi diu macerentur, eò rediguntur.

Terræ variis modis dividuntur. Agricola eam probat diviſionem, quâ aliæ dicuntur ſimplices, aliæ compoſitæ. Simplices eas vocat, quæ cum nullâ aliâ re foſſili, aut ſucco liquido ſunt permiſtæ: compoſitas, quæ unam aut plures res foſſiles in ſe continent, aut quæ liquidum ſuccum imbibunt.

Terræ ſimplices rurſum variè dividuntur. Ratione qualitatum, vel graves, vel leves dicuntur. Unde quædam raræ, quædam ſpiſſæ, quædam mediocres, quædam molles, quædam duræ, quædam inter has mediæ, quædam macræ, quædam pingues, quædam medium obtinentes.

Differunt quoque coloribus: ſunt namque albæ, nigræ, luteæ, rubræ, purpureæ, virides, cœruleæ, cinereæ, fuſcæ.

Sapore ſunt dulces, pingues, acres, adſtringentes.

In odoribus quandoque etiam differentiæ percipiuntur, præſertim ubi manibus diutius tractentur.

Figura etiam differentias quaſdam conſtituit.

Quædam enim tabularum inſtar eſt, quædam alias habet figuras.

Compoſitas terras Glebas vocat, duobus ſimplicibus coagmentatis, vel tribus, vel quatuor. Vel ex duabus miſtis, vel tribus, vel quatuor, vel quinque; vel etiam miſtis & ſimplicibus conſtantes. Varia earum ſunt genera: quandoque cum terrâ conjungitur ſuccus concretus, vel lapis, vel metallum; quandoque cum ſucco concreto jungitur, vel terra, vel lapis, vel metallum; & ſic in reliquis: de quibus conſulendus Agricola, qui lib. 10. Foſſil. cap. 17. accuratè hæc perſecutus eſt.

Aliæ terrarum differentiæ deſumi poſſunt è locis, ex quibus eruuntur; ut, Samia, à Samo: Erethria, ab Erethro: Chia, à Chio: Selinuſia, à Selinunte: Cimbrica, è Cimbriâ.

Noſtro inſtituto inſerviet illa, quæ ab uſibus depromitur; aliâ enim utuntur Medici, aliâ alii Artifices. Sic Figuli & Plaſtæ ſibi ſeligunt argillas & cretam figularem, ex quibus opera ſua forment. Fabri tignarii rubricâ fabrili utuntur; Pictores, Paretonio, Melino: Fullones, Cimoliâ: Fabri argentarii, cretâ argentariâ; alii aliis. Quanquam autem hæc differentia in Agricolæ reprehenſionem ideo incurrat, quod non diſtinctè ſatis naturam & differentias Terrarum exprimat, ſiquidem unâ terrâ duo aut tres artifices uti poſſint, ut rubricâ Medici, fabri, pictores; Cimoliâ Fullones & Medici; adeò ut vulgo imperitiæ hanc tribuat diſtinctionem: perſpicua tamen eſt, & docentibus adeo commoda, ut eâ ipſâ uti coactus ſit ipſe Agricola. Ut taceam Medicas terras eas dici, quæ à Medicis potiſſimum in uſum trahuntur, licet & alii artifices quandoque iis utantur; Fullonias, quibus Fullones magis utantur, minus alii; & ſic de reliquis: ut hinc nulla metuenda ſit rerum confuſio, cum denominatio fiat à potiori.

Cap. III.

De Terris quibus varii artifices utuntur, exceptis Medicis.

TERRÆ, quibus varii utuntur artifices, ad duo genera reduci poſſe videntur, Argillarum nempe & cretarum.

Argilla eſt terra tenax, quæ in partem quamcunque ducta, non abrumpitur, neque exſiccata dehiſcit. Hacce potiſſimum utuntur figuli & plaſtæ; ex hac fiunt vaſa, ſigna, ſtatuæ. Ejus enim hæc eſt proprietas, ut quamlibet figuram recipere poſſit, & in caminis cocta, in lapideam ſubſtantiam concreſcat. Varia hujus ſunt genera. Quædam, quæ nobiliores ſunt, tenuius duci poſſunt; quædam minus. Apud Antiquos nobilitata ſunt Samia.

Samia. In Italiâ Aretia & Mutina. Quædam Argillæ vim ignis magis ferunt, quædam minus. Viliſſimæ eæ ſunt, quæ ad opus lateritium ſumuntur. Mirum quod in Africâ & Hiſpaniâ parietes ex terrâ crudâ conficiant, quæ ævis durent incorrupti, imbres, ventos, ignes, omni cæmento melius perferentes.

Argillarum genus unum ſaltem adducam, ex quo vaſa in Muſeo aſſervamus, quæ argento æquiparantur, ſubtilitate, perſpicuitate & candore, palmam reliquis præripientia. Porcellana vocant, ex Chinâ Indiæ regione ad nos delata: ſed argilla illa, ex quâ conficiuntur, non tam naturalis, quam artificialis eſt. Atque de ejus confectione non omnes idem ſentiunt: Odoardus Barboſa in hunc modum præparari refert: Cochleas quaſdam marinas ovorum teſtis miſcent, aliaque quædam addunt, & ſubigunt, ut in maſſam coëant. Hanc ſub terram condunt, ibique etiam macerari ad octuageſimum, vel centeſimum uſque annum ſinunt, hæredibus ſuis, precioſi theſauri loco, relinquentes. Ipſi vero eâ utuntur, quam Avi atavique poſuere. Obſervant namque ex veteri inſtituto, ut, qui veterem tollit, recentem ejus loco condat. Pancirolus ex gypſo, ovo trito, putamine locuſtæ marinæ, hanc maſſam coagmentari ait. Johan. Gonſalvus Mendoza lib. 1. Hiſtor. Chiniticæ, ex terrâ durâ cretoſâ fieri ſtatuit. Hugo Linſcottanus deſcriptione navigationis in Orientem cap. 23. Porcellanas ex certâ terræ ſpecie, quæ duriſſima eſt, confici aſſerit, quæ in partes mollitur & molâ tunditur, ciſterniſque injecta maceratur, donec duritie devictâ, ſæpeque verſata in ſummitate materiam excernat, ex quâ ſubtiliſſimum opus fit. P. Alvarus Semeda Hiſtoriæ Chinæ cap. 2. de Porcellanis vaſis ita diſſerit. Porcellanica vaſa conficiuntur in provinciâ Kiamſi in unicâ urbe, unde omnia veniunt quibus utuntur in iſtâ provinciâ & per totum mundum, licet terram non habeant ex quâ conficiant, ſed aliunde apportetur; Aquam vero habent, ſine quâ fieri nullo modo poſſunt: quæcunque enim cum aliâ fiunt aquâ, non adeo ſunt nobilia, & ſplendentia. Nullum hic eſt Myſterium, quale ſibi fingunt multi, ſed eſt certa terræ ſpecies, adeo nitida & pura. Quovis tempore & eodem modo, quo noſtra figulina conficiuntur, ſed diligentius & accuratius tractantur, pingunturque colore cœruleo ex amylo.

Sed omnes hæ opiniones, quamvis diſcrepare videantur, facili negotio reconciliantur. Qui enim vel ex cretâ, vel terrâ aliquâ peculiari vaſa hæc elaborari ſtatuunt, præſupponunt miſturam ex quâ creta hæc aut miſta terra elaboratur.

Ex tali argillâ (quæ tamen magis artificialis & miſta, quam naturalis videtur) vaſa omnis generis conficiuntur, ita tamen ut nobilitatis gradibus diſtent. Ex flore enim ſeu ſubtiliſſimâ maſſæ parte, vaſa elaborantur, quæ à vitris parum diſtant perſpicuitate, colore & nobilitate; quæ ut rara ſunt, ita pretiis reliqua ſuperant. Alterum genus nobile quoque eſt, candore & perſpicuitate præſtans, cœruleo colore ut plurimum exornatum. Ignobilius tertium & reliquorum quaſi fæx ex qua orbes elaborantur, quibus nobiliora vaſa dum coquuntur imponunt, ne à fornace inquinentur. Hi orbes candidi quidem ſunt, ſed non perſpicui, duri, adeo ut, ſi invicem collidantur violentius, ſcintillas ignis de ſe fundant, licet fragiles ſint. Ejus generis orbiculi apud me ſunt, qui fundis aliorum vaſorum Porcellanicorum adhærebant. Credo additos cum in furno coquebantur, ne à camini pavimento nobiliora inquinarentur. Sunt qui putent orbiculos hoſce ex bonâ argillâ Porcellanicâ confectos, ſed incruſtatione carere. Quod mihi non videtur vero ſimile, cum nullam habeant tranſparentiam, & ſubtilitate à fractis Porcellanicis nobilioribus multum diſtent. Ignobiliorem igitur & fæculentam maſſam hiſce deputari credo.

Porcellanica vaſa jam in Belgio mentiuntur, Argillæ melioris ſortis incruſtationem quandam inducendo, quæ, colore & ſplendore, vera Porcellanica imitantur: ſed fraus facile detegitur, cum nec perſpicua ſint, nec tenuia; addo, incruſtationem facile auferri, remanente argillâ. Vitris etiam quibuſdam Porcellanica imitari conantur quidam, ſed vitrum ſe ipſum ſatis prodit, præſertim eâ parte, quâ fiſtula, cum conficeretur, adhæſit.

Creta nomen ab inſulâ ſic dictâ traxiſſe videtur, quod olim ex eâ laudabilior adferebatur, & quanquam vulgo pro terrâ ſumatur, quæ candore præſtat, & eodem colore inficere alia poteſt; attamen à probatis autoribus latius hanc vocem capi in confeſſo eſt. Cretam autem nos dicimus terram quæ ad expoliendum, mundandum, fricandum, illinendum & colorandum uſurpatur. Varii igitur artifices ejus uſum ſibi appropriarunt.

Fullones Cretas eligunt pingues qualeſcunque, acres, vi abſtergendi præditas, qui-

bus ſevum è veſtibus eluere & eximere valent. Olim in uſu erat Cimolia, quæ & Smectis dicebatur ob vim abſtergendi peculiarem, è Cimolo, quæ una eſt Cicladum inſula. Sarda, quæ è Sardiniâ, Umbrica, quæ ex Umbriâ petebatur: ſed jam earum loco aliis utuntur.

Pro Cimoliâ commendant Fuldenſem, Hildesheimenſem, & quandam quæ circa Lipſiam invenitur.

Mihi quædam eſt ex Angliâ allata, quam SMECTIN, ſeu TERRAM SAPONARIAM ANGLICAM vocare libet, Germanis, Agricolâ teſte, Fůl-erde. Fretum illud, quod Vectim inſulam à continente Brittanniæ diſtrahit, à Bedâ Solente vocatur, atque cum hoc genus cretæ è promontoriis ejuſdem continentis eruatur, ab Anglis SOLET ERD vocari conſuevit.

Gleba inæqualiter ſeſe habet, quandoque nigricat, quandoque ad croceum accedit, pinguis, lubrica, dura, gravis, fullonibus valde expetita. Imperatus ad Morocheum & Galactitem refert, ut ſuo loco dicetur.

Ejuſdem generis SMECTIS etiam in inſulis Feroenſibus reperitur, ſed durior aliquanto eſt Anglicâ, adeo ut magis ad naturam Lapidis Morockei accedere videatur, colore magis viridi & lurido; ſed ejuſdem plane generis eſſe cenſeo.

UMBRIA creta etiam nobis eſt, Germanis Umber, pictoribus magis expetita, eâ enim umbras in picturis exprimere ſolent, unde nomen traxiſſe quidam putant; ſed Veteres à Regione Italiæ Umbria olim, jam Ducatus Spoletanus dictâ, ubi invenitur & eruitur, ita vocarunt.

Subſtantiæ eſt leviſſimæ, tenuiſſimæ, ſubtiliſſimæ, linguæ adhærens, colore fuſco: Ad ignem induratur ut Bolus & Argilla. Speciem Silis multi eſſe putant.

Pictores Cretas ſibi vendicant, macras & mediocres.

Olim inter Candidas recenſebant Paretoniam; Melinam, Eretriam. Romani viliſſimorum ſervorum venalium pedes Cretâ illinebant, & in circum producebant, in notam Victoriæ. Promontoria Albâ Cretâ conſtantia etiam in Selandiâ Daniæ reperiuntur; Agricola enim lib. 2. de Nat. Foſſil. cap. 18. MUNAM, quam deſertam vocat, allegat, maris Balthici Inſulam, qua è Pomeraniâ navigatur ad Copenhagen Daniæ. Sed deſerta jam non eſt hæc inſula, verum culta ſatis & populoſa, nunc Danis Möen dicta. Promontorium Stevanienſe, vulgo Stevens-klinte, eâ quoque abundat, quæ Saxoſa aliquantum eſt & ædificiis apta.

TERRA è LACU MEXICANO nivea huc ſpectat, quam dono Clariſs. viri Domini Johannis de Laet habeo, qui in deſcriptione Indiæ Occidentalis lib. 5. cap. 6. eam ab incolis Barbaris Hicatlalli, id eſt, terram candidam vocari ait.

Eruitur è celeberrimo lacu Mexicano, formâ luti, quod ad focum in orbes & paſtillos cogitur, qui mox niveum acquirunt colorem, eoque manus inficiunt. Leviſſima eſt, adeo ut paſtillus quem ego teneo, licet ſit craſſitie unius pollicis, longitudine unius cum dimidio & teres, pondere ʒij. vix ſuperet.

Viribus ſimillima eſt ceruſſæ, frigida & ſicca, adſtringendi facultate pollens, ſine ullâ mordacitate, eadem fere præſtans quæ ceruſſa. Argentum eâ polire ſolent artifices, ut vel hinc pateat ad Cretas referendam eſſe.

VIRIDIS CRETA nobis eſt, levis, ſubtilis, quæ cocta ad rubedinem tranſit, multis in locis invenitur. Olim optima in Smyrnâ, quam Græci Theodoſiam vocabant, quia fundus iſte, in quo primo hæc creta inveniebatur, fuit Theodoſii cujuſdam.

RUBRICA Græcis Μίλτος dicta, olim celeberrima in Cappadociâ, Lemno, Africâ & Balearibus inſulis extabat: ſed Synopica reliquis præferebatur. Primum in Cappadociæ quibuſdam ſpeluncis fodiebatur, & purgata in Sinopem Ponti urbem deferebatur, ubi venalis extabat: optima cenſebatur rubicundiſſima, ſpiſſa, gravis, ſibi tota concolor, cum diluebatur, unica mica plurimum humoris in ſimilitudinem ſanguinis diffundens. Tres ſpecies conſtituit Plinius: Rubram, minus rubentem, & inter has mediam, quæ omnium optima, ſed ad nos jam non defertur; unde aliæ ex aliis regionibus ſubſtituuntur.

Ex inſulis FEROENSIBUS adfertur Rubrica quædam coloris dilutioris, levis, adſtringens, quam à nemine adhuc deſcriptam arbitror; cui & alia ex eâdem inſulâ accedit quæ rarior, ita tamen ut pictoribus inſerviat ad rubrum colorem inducendum.

Rubrica LAMINATA, ſeu in laminas ſciſſilis, non niſi madefacta lineas ducit rubicundas,

cundas, dura eſt & fabris lignariis uſitata; vi pollet adſtringendi, reprimendi & fluxum ſanguinis ſiſtendi.

Huc ſpectat PNIGITES à Pnigeo vico Lybiæ Mareotidis appellationem trahens, Germani Swarzer-freite vocant. Pinguis eſt, ſpiſſa, mollis, nigra, adſtringens & acris valde, ſapore vitriolum refert, quod etiam flavo colore ex eâ ſudare videtur. Conſtat partibus diverſis, quarum quædam refrigerant & abſtergunt, aliæ calefaciunt & acres ſunt.

Ad Pnigitem referenda maſſa quædam nigra, ponderoſa, ſub titulo Swarz Mutter erde mihi donata.

Madefacta lineas ducit nigras, ſapore nullo peculiari prædita eſt. Pondus verò arguit compoſitam eſſe, & metallum in ſe claudere. Cujus rei experimentum facere non licuit, ſiquidem exigua ſaltem ejus mihi eſt portio.

TERRA NIGRA RANDRUSIENSIS in hunc cenſum etiam venit. Nigra eſt, arenoſa, exiguis glebis intermiſta, non admodum ponderoſa, colore nigro digitos inficiens, ſalſum quid ſapore præferens. Uſum alium habere non ſcitur, quam quod pictores eâ utantur perinde ac fuligine piceâ, ad nigros colores rebus inducendos.

GLEBA GRATIANOPOLITANA ex cinereo nigricat, durior aliquanto eſt, ſed friabilis, ab accolis inter lapides recenſetur. Reperitur in Delphinatu Galliæ duobus milliaribus à Gratianopoli, in monte ardenti, quem incolæ vocant *la Fontaine qui bruſe*. Locus igne concluſo aſſiduè ardet, ubi exterior terræ ſuperficies removetur, flamma emicat & latius ſerpit. Bitumen & Sulphureum quid redolet, à combuſtione cinereum colorem acquirens. Mihi dono Clariſſ. D. D. Stougardii obtigit Anno 1638.

FULIGINEI coloris Creta in laminas ſciſſilis, lineas ducit madefacta fuligineas, obſoletè nigricantes; vi abſtergente prædita eſſe videtur.

CRETA ARGENTARIA fabri argentarii utuntur, quæ ſpecies quædam Margæ eſſe videtur. Tonſores TRIPELA vaſa orichalchica poliunt & mundant, eâque utuntur & alii artifices, qui metallica poliunt; grana enim habet minima, ſed tamen robuſta, quo nomine ad poliendum apta. Varia ejus ſunt genera, quædam ſubſtantia terram & cretam exprimunt, quædam lapides & cæmentum.

CAP. IV.

De Terris quæ in uſum Medicum veniunt.

NUNC ut terras enumeremus quæ vim Medicamentoſam obtinent, & à nobis aſſervantur, prius de earum viribus in genere aliquid dicendum, ex quo cujuſvis facultates facili negotio inveſtigare licet. Omnis Terra, quia corpus natura ſiccum eſt, exſiccandi vim obtinet. Quæ adſtringit, frigida cenſetur, idcirco refrigerat & expellit. Quæ acrimoniam quandam habet, caloris eſt particeps, quocirca calefacit, quo acrior eo calidior. Pinguis, quæ glutine quaſi linguam afficit, & nec adſtringit, nec acris eſt, illinendi vim habet, & modice refrigerat. Quæ pinguis eſt, & adſtringit & illinit. Sic quæ acredinem pinguedini junctam habet, illinit & abſtergit. Habet & vim quandam Alexipharmacam peculiarem, quæ nec à primis, nec à ſecundis dependet qualitatibus; lubet ſecundum colores eas quas poſſidemus diſtinguere.

Inter ALBAS Terras, veteres SAMUS prærogativam detulere, quarum duo erant genera: unum collyrium dictum, eo quod medicamentis oculariis miſcebatur, terra pinguis, rara, mollis, candida, dulcis. Alterum dictum ASTER, vel quod ſigno ſtellæ ſignabatur, vel quod micæ quædam, ſtellularum inſtar, in ea emicabant. Vim habebat refrigerandi, adſtringendi, ſanguinis eruptiones & fluores ſiſtendi, uteri profluvia compeſcendi, inflammationes ſedandi, &c.

Huic reſpondere poteſt Gleba noſtra albicans Norvegica, quæ rara, tenuis, levis, adſtringens, micas & granula quædam habet permiſta, ſplendorem de ſe fundentia, quæ ab aliâ ſui parte, qua ſaxis adhærebat, frequentiores apparent, cum permixta viriditate. Hæc in fodinis cupreis prope Nidroſiam inventa eſt, & à Nobiliſſimo viro Ivaro Prip præfecto Regio Metallico ad nos delata, nomine MARGÆ SAXATILIS, Germanis Steinmarg / cujus naturam æmulatur.

Similem ex inſulis FEROENSIBUS accepimus, candidam, levem, friabilem, adſtringentem. STENOMARGAM vocat Agricola, id eſt, Saxi medullam; quod in fi-

bris, commissurisque Saxorum includitur, in iisque reperitur. Agricola easdem omnino vires ei tribuit, quas veteres Samiæ terræ, sanguinis per ora venarum profusiones sistere ait. A Ferrando Imperato lib. 5. cap. 41. AGARICUS MINERALIS vocatur, candore, levitate, & raritate Agarico vero prorsus similis. Quidam LAC LUNÆ vocant, propter candorem & teneritudinem, quam habet. Oritur à vaporibus metallicis, qui indies subtiles vehunt exhalationes, quæ ubi per saxa in cavitates exsudaverint, humido evocato quod siccum est remanet, & in medullam hanc raram, teneram, & friabilem concrescit.

Anshelmus Boëtius ad lapidem GALACTITEM refert quando durior est, eo quod ad lac mulierum generandum commendetur. Sic autem de eo Gesnerus, qui diligentissime ejus historiam est persecutus. In spelunca quâdam Stockhornii ditionis Bernensis, ut & Iracti Lucernensium, per summum montem fornici adhærens, nascitur substantia quædam fungosa, friabilis, alba, levissima, quam Fungum Petræum dixeris, vel Agaricum Saxatile, tam similis hujus est facies; incolæ Germanice Monmilk appellant, id est, LAC LUNÆ, ex substantiâ albâ, spumosâ, quâ concretus videtur. Hic lapis (si nomen lapidis meretur) Aquæ mixtus, albo lactis colore eam tingit. Insipidus est, siccat sine morsu, nulla in eo asperitas, & totus cum salivâ madentis liquescit, præsertim quò melior fuerit. Nam & crassior asperiorque reperitur, immaturior nempe & crudior, qui odore etiam caret, concoctus vero & perfectus asperitatem amittit, ita albidior colore, & pondere levior redditur, suaviter odoratus. Videtur quandam Holosteis dictis lapidibus, qui in terrâ arenosâ in Palatinatu effodiuntur, proximam habere naturam, & lapidi, quem ego ab odore Cidonitem nomino. Superstitiose quidam adversus quemcunque morbum cujusvis, propter quem expresso ipsius nomine è speluncâ eruitur, salutarem esse putant. Lucernæ in Pharmacopolio venire solet. Pollinem ejus Chirurgi ulceribus deficcandis inspergunt. Sunt qui Nutricibus, ad augendam lactis copiam, pollinis hujus ʒj. exhibeant è jure, ni fallorcarnium. Potest autem commodius ex lacte Amygdalarum, cui immixtus hic pollen aliquot horis fuerit, colatus propinari cum pauco saccharo & aquâ fœniculi. Ajunt mammillas evidenter hoc auxilio turgere, & repleri lacte. Præsertim à docto quodam viro nuper proditum invenio, Lac Lunæ, in profluvio sanguinis, utiliter dari tanquam somniferum, idque sibi experimento constare. Quod ad nomen priscum, ego aut ipsum Morochtum veterum esse aliquando putavi, aut easdem certe illi facultates esse. Sed amicus quidam, rerum fossilium omnium cognitione clarus, Margæ friabilis genus esse voluit. Hæc Gesnerus.

Est mihi alioquin alia MARGA SAXATILIS CINEREA, in Saxorum cavitatibus & fissuris. Hujus generis illa quam teneo, similis videtur ei quam describit Agricola de Nat. Fossil. lib. 2. cap. 10. ac ab ipso *Marga Goslarica* nuncupatur. Cinerei est coloris, ex crustis crassis constans, sapore aridiusculo, vim adstringentem & Emplasticam habens, unde exhibita sanguinis profluvium sistere solet; foris vero applicata, easdem vires habere putatur, quas terra Samia.

MARGA SAXATILIS INCARNATA ex montibus Bohemicis allata, similis plane ei est, quam in Lygiis montibus reperiri scribit Svenkfeldius. Gleba est pinguis & lubrica ad contactum, quamvis & quædam particulæ asperiores; colore incarnato, inæqualis, ponderosa, linguæ adhærens, chartam & digitos subluteo tingens colore. Cum Bolo Armenâ facultatibus convenire videtur, unde prodest ruptis, ex alto devolutis, Hæmorrhoicis, Dysentericis; Medetur fracturis ossiũ, Venenis morbisq; pestilentibus resistit.

MELIA TERRA ad hanc classem spectat, à Plinio Melinum dicta, ab insulâ Melo, coloris cinerei, aspera, linguam tactu siccat, mundat, colorem bonum conciliat, attenuat pilos, scabiem & vitiligines delet. Sed jam vix haberi potest. Ejus igitur loco esse potest, Terra Melitensis, quæ in Insulâ Melitâ, nunc Maltâ, eruitur, cujus mihi copia & crudæ & præparatæ.

TERRA MELITENSIS cruda, tactu est aspera, colore albo ad cinereum vergente, adstringens. Ad Serpentium morsus potissimum commendatur, eamque vim à D. Paulo accepisse credunt, cum naufragus ad hanc insulam appulisset, ut in Actis Apostolorum legitur; quocirca quidam Lapidem S. Pauli vocant. Matthiolus lib. 6. in Dioscoridem cap. 40. negat conferre iis, qui ab Aspide aut Viperâ sunt demorsi. In insulâ Melitâ publicata est linguâ Italicâ charta quædam, quæ de viribus & Terræ hujus & Lapidum aliorum, qui ibidem reperiuntur, agit, in hunc modum.

Vires

Vires Lapidis S.Pauli, Linguarum item, oculorum Serpentum pretioſorum, qui in Inſulâ Melitâ reperiuntur.

Terra, quæ S. Pauli vocatur, in Inſulâ Melitâ reperta, in ipſâ ſpecu D. Pauli, quæ, à civitate novâ, octo diſtat milliaribus, colore albo eſt, exque eâ fiunt imagines, tabellæ, vaſa, & alia ejus generis.

Linguæ coloris ſunt fuſci, oculi ſerpentum lutei, atque per totam inſulam inveniuntur eâ, quâ venduntur, formâ, veſtigia certiſſima miraculorum D. Pauli, patratorum dum tribus integris menſibus in hac inſulâ Euangelium incolis annunciabat, eoſque ad fidem Chriſti convertebat, omnes ejus inſulæ ſerpentes veneno ſpolians, cicureſque & inhabiles ad lædendum reddens, ac ſi in petras eſſent converſi; terram præterea infinitis dotibus augens.

Miræ ſunt virtutes tam terræ, quam linguarum & oculorum, dum omni veneno reſiſtunt, à morſibus venenatis non ſolum defendunt, ſed & curant, aliiſque morbis medentur.

Uſus hic eſt; Annulis includuntur oculi dicti, ita ut geſtantis tangant carnem, & inſtar aliarum gemmarum digitis ſint ornamento.

Linguas collo aut brachiis appendunt.

Parum dictæ terræ vino aut aquæ miſcent, ut bibatur.

Linguas & oculos itidem aquæ aut vino infundunt, ut ebibatur liquor.

Vaſis ex hac terrâ fabricatis ſi vinum vel aqua infundatur, ac, ubi vim eorum abſorpſerint, bibantur, multis affectibus medebuntur.

Sed ante omnia attendendum, ut dicta Terra, linguæ & oculi, ſint veri, per fide dignos ex Melitâ tranſportati, ne fraus ulla in iis contingat.

Hæc ſunt quæ in dictâ Schedulâ continentur; ſed nos, quia de ſolâ terrâ hoc in loco agimus, reliqua ad Hiſtoriam lapidum amandamus.

Præparatur verò & lavatur hæc terra, ejuſque pars purior colligitur, aſſervatur, & in paſtillos candidos cogitur, lenes, non pumicoſos, ſed admodum æquales. Horum paſtillorum duo mihi ſunt genera, minus alterum, pondere ʒj. utrinque cruce ſignatum tali, qualem in palliis & torquibus geſtare ſolent Equites Melitenſes, aut etiam ab unâ parte cruce, ab alterâ effigie D. Pauli, hoc pacto:

Alterum majus, unciam unam æquans. Cujus duo mihi ſunt orbiculi: in altero effigies viſitur navis parte averſâ, adverſâ verò Eremitæ Chriſtum cruci affixum adorantis. Alter orbiculus, parte adverſâ, effigiem Johannis Baptiſtæ cum Agno exhibet, hac in ambitu inſcriptione: FUIT HOMO MISSUS A DEO CUI NO: averſa facies etiam navis iconem oſtendit. Utriuſque iconem hoc pacto accuratè exhibemus.

Commen-

Commendatur hæc terra ad febres peſtilentes, vice boli armeni, ad putredinem in venis ſiſtendam, ad ſanguinis ſputum, ſerpentum & canis rabidi morſus; infantibus vermicatione oppreſſis, mirabiliter ſuccurrere ajunt.

Ejuſdem Terræ Melitenſis crudæ mihi fruſtulum eſt, in quo pes animalis putrefactus viſitur. Gleba eſt alba, ponderoſa, varios lapillos & heterogenea continens. In ejus verò planiori ſuperficie, pedem exhibet animalis putrefacti, felis aut canis, ut arbitror, in extremitate digitorum cruſtâ lævi & ſplendente obductum; quâ tibiam ſpectat, duobus quaſi oſſibus in lapides converſis & junctis conſtans. Tota maſſa pendet unciam unam & ʒvjß.

Veteres CHIA (ex inſulâ Chio allatâ) utebantur, albâ, cruſtoſâ, diverſis formis factitiis præditâ, ad rugas abſtergendas, ad ambuſta, aliaque, ad quæ Samia commendatur. Ejus loco nos BOLUM ALBUM officinarum ponimus, ad cinereum colorem vergentem, mollem, lubricum, pulverulentum, tangentium manus colore albo inficientem. Ex Ilvâ inſulâ Hetruriæ adfertur, eademque præſtat quæ olim Chia & Eretria, adſtringit & abſtergit. Utuntur quandoque eâ ſaponis loco, teſte Cæſalpino, ut ad Smecten etiam referri poſſit.

Eſt & BOLUS CINEREUS FIONICUS, inſigni adſtringendi vi præditus, cum pinguedine & lubricitate ad contactum, forſan non minorum virium.

BOLUS BORINGHOLMICUS, ex inſulâ Daniæ Boringiâ, vulgo Boringholmo, tranſportatus duum eſt generum, alter candicat ad cinereum vergens, alter nigrior eſt. Uterque ejuſdem fermè ſubſtantiæ, gleboſæ, inæqualis, pinguis; ubi politior eſt, lubricus; colore albo digitos ſi fricetur inficiens, non admodum ponderoſus, linguæ adhærens. Viribus diſcrepare non videtur ab aliis bolis. Vaſa ex eo confecta ignis ferunt fervorem, unde in Scaniâ in officinis ferrariis crucibula ex eo conficiunt, permiſtis fragmentis aliorum crucibulorum, quæ vi ignis diſrupta fuere.

Hiſce affinis eſt BOLUS NORVAGICUS, candidior aliquantò, pinguior & ad contactum lubricus. Ejus uſus eſt etiam in officinis noſtris.

Ad

Ad classem terrarum albarum nostri Musei refero TERRAM SIGILLATAM LEMNIAM ALBAM. De quâ quamvis variæ sint autorum sententiæ, cum Galenus eam commendet quæ rubra est, de quâ etiam nos suo loco; aliis tamen etiam ibidem inveniri coloribus testes sunt viri oculati fide digni. Inter quos Stephanum Albucarium & Petrum Bellonium nomino, qui asserunt Lemni incolas testari, nullibi unquam in hac insulâ effossam fuisse hanc terram, quam eo in loco ubi jam foditur, è colle fertili, Orientem spectante, herbis vestito, prope villam, dictam Repondi.

Tres ibidem foveæ reperiuntur, quarum duæ ruinâ obrutæ; tertia, ubi jam terram eruunt, Septentrionem spectat. Juxta montis radices tres limpidissimi exsiliunt fontes, quorum duo minores Septentrionem versus fluunt, major Meridiem. Terra, quam ibidem fodiunt, maximâ ex parte alba est, secunda quandoque rubra & lutea instar boli Armeni, quo jam utimur. Adeo ut aut in alio colle tempore Galeni hanc terram effoderint, qui jam ruinis obrutus est, aut hanc ipsam pristinam naturam mutasse necessum sit. Semel tantùm in anno eruitur hæc terra, sexto die Augusti, non sine superstitione, quia putant nullam habere efficaciam, nisi eo die fodiatur. Operarii Græci sunt, diligenter eos animadvertentibus Turcis, qui magistratum in insulâ gerunt, ne quid clanculum auferant. Dum fodiunt, suavem odorem spirat caverna. Nec omnis terra inde effossa pro bonâ habetur; illam saltem eligunt, quæ intra quasdam petras fragiles latet, pinguiorem, tenacem, sabulo destitutam. Oriente sole, per sex horas saltem continuando fodiunt, mox foveam claudunt, nec amplius in anno aperire fas est. Hinc fit, quod rara admodum sit hæc terra, cum pauci fodiant & tam brevi tempore. Bonam quam æstimant, unicus lavat, lotam sacculis includit, quos suspendunt, ut omnis aqua percoletur; hinc in massulas majores aut minores formant, quas Imperatoris signo sigillant, & exsiccatas Constantinopolim ad Imperatorem mittunt unà cum sigillo.

Ex quibus patet, non solum rubram, sed & albam, & rubicundam & luteam dari terram Lemniam, quarum trium priorum exempla ostendere valeo. Sed jam de ALBA saltem dicendum, ad cinereum vergente. Duo ejus generis mihi sunt pastilli, orbiculati, quorum unus drachmam pendet integram, alter dimidiam, ab alterâ parte characteribus Turcicis insigniti, ab alterâ signis vacui.

Olim Dianæ sigillo, quod capra erat, signabantur, teste Galeno: aliquantulum tenax & lubrica est hæc terra, ob pinguedinem, adeo ut linguæ adhæreat, sine mordacitate; si in aquâ resolvatur, similis erit molli ceræ.

Sanguinis ex utero profluvia, & fluxus muliebres compescit, Venenis morbisque malignis resistit, rabidi canis morsum curat, ulceribus malignis medetur. Scaliger exercit. 33. sect. 2. certâ vi secundarum qualitatum putat conferre, tanquam instrumento ideæ suæ, adstrictione sese inter venenum & cor interponens, præterquam quod duas proferat facultates, alteram quâ petit cor, alteram quâ tuetur certo non fortuito auxilio.

Insula Lemnus hodie Stalimene dicitur, & quamvis Terra, quæ jam inde adfertur, differat sigillo & modo eruendi, ab eâ quæ antiquitus inde effodiebatur, attamen non minorum est virium. Ferrandus Imperatus lib. 5. cap. 33. tres species nostro ævo inde transportari refert. Prima est terra sacra, vel Bolus Armenus orientalis, non tingens; vel alba leviter ad cinereum vergens (de quâ hic sermo) quæ quandoque etiam colore incarnato, ex quibus sigilla illa, quæ hodie tanto sunt in pretio, fiunt, quam tangere nulli licet præter sacerdotes. Secunda rubrica fabrilis, quâ fabri tignarii utuntur. Tertia fullonum, quâ pannos mundant; eamque eruere & tractare cuivis integrum.

Sunt & nobis alii duo PASTILLI TURCICIS characteribus insigniti, sed diversis ab iis quibus prior Terra Lemnia dotatur, colore interno totius massæ cinereo, exterius rubicundo, quasi rubricâ essent tincti; singuli, dum integri erant, drachmas duas pendebant: è quâ regione Orientis allati, ignoro; Lemnios non esse, & color & pondus evincere videntur.

Characteres hisce impressos, quamvis diversi sint, attamen idem significare monet Bellonius observ. lib. 1. cap. 22. à Turcâ quodam linguæ Arabicæ perito edoctus: TINIMACHTON, quod terram sigillatam notat, inscriptum est. Ac licet characteres inter se videantur discrepare, hoc tamen linearum vario nexui adscribendum, & magnatum, qui hosce pastillos signare curarunt, voluntati.

Alii duo mihi ſunt PASTILLI CINEREI, literis Arabicis inſigniti, qui ex rudiori terrâ compacti videntur, quam ſunt Lemnii veri; quo ex loco petiti, haud ſcio: Major orbicularis eſt, duarum drachmarum pondere, craſſitie dimidii digiti, in ſuperficierum orbicularium altero characteribus, ut dixi, Arabicis exornatus: Altero minore quatuor ſcrupulorum pondere, effigie Lunæ & trium Stellarum notato.



De quorum viribus non habeo quod dicam, niſi quod eas habeant cum aliis terris ſigillatis communes.

BOLUS CANDIDUS LIGNICENSIS ſeu Terra ſigillata Goltbergenſis, Axungia Lunæ Chymicis, Germanis Weis ſigillata vel Lignisch geſiegelt-erde. Effoditur ad Goltbergam in Ligies & Strigonium. Quia colore eſt albo, ex argento ortum trahere volunt, & aureâ minus æſtimatur. Agnatam & congenitam cum argento vim & virtutem in medendo ſortitur, quocirca ad ea commendatur, quibus argentum ipſum, & ex eo præparata medicamenta; capitis dolores mulcet & mitigat, cerebrum roborat, Diarrhœæ & Dyſenteriæ medetur, albumque uteri fluorem peculiari vi curat. Paſtillus noſter duas pendet drachmas, in ſigillo Aquilam alis & pedibus extenſis exhibet, quam hæc cingit inſcriptio, TERRA SIGILLATA LEGNICENSIS.

Inventa hic nuper eſt in Selandiâ, ad fontem olim D. Helenæ ſacrum, & variorum ægrorum concurſibus nobilitatum, Terra quædam cinerea, ad luteum inclinans; ex laminis quibuſdam coagmentata, cujus venæ per arenoſos cumulos in oppoſito fontis perreptant, intercurſantibus ochræ luteæ Venis, quæ cum Terrâ ſigillatâ affinitatem magnam habere videtur. Cruda magis adſtringit lotâ; in ore guſtata liqueſcit: ibidem reperitur & arenoſa magis & minus pinguis. Sunt qui vires, quas aquis iſtis tribuunt, ab hac terrâ dependere putant, quæ Ochræ permiſcetur, ut ſupra innuimus. TERRAM S. HELENÆ voco.

RUBRAS ut aggrediamur Terras Medicatas, eæ etiam, ratione coloris magis vel minus ſaturati, invicem differunt. Agricola tres ejus ſpecies conſtituit: valde Rubram, in rubro candidam, & inter has mediam. Veteres Sinopin, Fabrilem & Lemniam in hoc cenſu commendabant; nobis à Terrâ Lemniâ, quam veram habemus, rubri coloris, auſpicandũ.

TERRA LEMNIA RUBRA, quam tantopere contra venena celebrarunt veteres; Dioſcorides in ſpeluncâ, loco paluſtri, inveniri ait, & ab incolis in paſtillos efformari, admiſto caprino ſanguine, & ſigno Capræ impreſſo; unde ſigillum Capræ appellaverunt: antidotum contra Venena pernitioſa, ſi ex vino ſumatur, etiam præſumta Venena evomere facit. Prodeſt quoque contra ictus morſuſque animalium venenatorum, Antidoſis familiaris, Dyſenteriis utilis. Galenus vulgi relationibus, de hac terrâ, minus fidens, aſſerit lib. 9. Med. ſimpl. Se bis in Lemnum navigaſſe, ut ſinceriſſimâ potiretur, & impoſtorum fraudem detegeret, planeque negat hircinum ſanguinem miſceri, ut cuivis loco dicto videre licet.

Plinius dicit eſſe Minio proximam, Antiquis multum celebratam, cum inſulâ in quâ naſcitur;

ſcitur; nec niſi ſignatam venundari, unde & SPHRAGIDEM appellari. Sed qualis modernus ſit hujus terræ ſtatus, ſupra in Terrâ Lemniâ albâ dictum eſt. Rubræ hujus Terræ Lemniæ mihi unicus eſt paſtillus, drachmam unam pendens, notas à Galeno ſignatas habens. Rubra enim plane eſt, nec manus fricantis inficit; verùm non Capræ ſigillum, ſed eoſdem characteres Arabicos, quos alba, tenet. De viribus ſupra actum: plura igitur non addo.

Eſt & tertiæ ſpeciei paſtillus parvulus, dilutioris rubedinis, drachmæ dimidiæ pondere, qui firmius aliquanto linguæ adhæret reliquis, adſtringitque magis. Hanc terram à reliquis viribus non differre arbitror, licet eodem tempore, eodemque prorſus charactere non videatur ſignata. De hiſce operæ pretium eſt conſulere obſervationes Bellonii libr. 1. cap. 23.

BOLUM ORIENTALEM, à quibuſdam ARMENUM dictum, quia ex eâ Armeniæ parte, quæ Cappadociæ vicina eſt, advehi ſolet; Matthiolus ad rubricam Sinopicam accedere autumat. Quidam verò veram Terram Lemniam eſſe arbitrantur; ſed manus inficit, quod Terra Lemnia non facit: facultatem habet admodum exſiccantem & conſolidantem, Dyſenteriæ & cæteris alvi fluxibus aptam; item ſputo ſanguinis, catharris, ulceribus putridis oris & pulmonum. Quocirca & Pthiſicis utilis. In Peſte à Galeno commendatur.

Nos duum generum maſſas tenemus, GLEBOSAM unam, non ſignatam, aut in formam artificioſam redactam, quæ pallidior, vi adſtringente & pingui tenacitate aliis non cedentem.

Altera in maſſam oblongam quadratam, pondere quinque drachmarum cum dimidiâ redactam, cui duo ſigilla Turcica impreſſa, magis ſaturati coloris qnam prior: Lota videtur & purgata, ſed non ex eâdem fodinâ, quâ prior, eruta.



BOLUS TOCCAVIENSIS, in Tranſilvaniâ ad Toccaum ſeu Tockai repertus à Cratone in uſum traductus, notas veri boli Armeni habet, & inſtar butyri in ore liqueſcit. In Catharris & peſte valde commendatur, adeo ut Crato eum præferat Armeno, qui Imperatori ex Turciâ allatus erat. Mihi paſtillus eſt rubicundus ſex drachmarum, nullo ſigillo munitus. Crato quandoque HUNGARICUM vocat, dicit ſe ter in Theriacâ accepiſſe bolum Armenum præparatum, ſeu à ſordibus liberum, & ſimplicem prout effoſſus erat, ſed nullam animadvertiſſe diſſimilitudinem, niſi quod præparatus pinguior aliquanto ſit non præparato.

Hujus claſſis etiam eſt TERRA SIGILLATA, quæ Inſigne STRIGONIANUM præ ſe fert, montem ſc. tricipitem, cum hac inſcriptione, TERRA SIGILLATA. Cui cum lutei coloris parem habeam paſtillum, quid de eâ ſentiam, mox in luteâ dicam.

Huc quoque ſpectat TERRA SIGILLATA HEPATICI coloris, quæ adſtringit cum aliquâ abſterſione, ſed non adeo pinguis eſt ac ſuperiores; maſticata aſperitate aliquâ arenaceâ linguam mordicat, ſed mox liquatur & diſſolvitur. Pondere eſt duarum drachmarum. Sigillum ab unâ parte habet expanſæ Aquilæ, cum inſcriptione TERRA SIGILLATA. Erlachianam Terram eſſe demum intellexi.

Hac aliquantulum rubicundior eſt TERRA SIGILLATA LIVONICA, etiam in paſtillos drachmam ponderantes redacta: ab alterâ parte Inſigne templi oſtendit, duabus clavibus decuſſatim ſe ſecantibus, inſcriptione hac, TERRA SIGILLATA LIVONICA, ambitum cingente; alterum latus nullo dotatur ſigno. Valide adſtringit in Dyſenteriâ, Diarrhœâ, aliiſque ejus generis alvi fluxibus, ubi adſtrictione opus eſt, uſum habet; forſan & in febribus malignis & Theriacâ conficiendâ, loco terræ Lemniæ, eâ uti poſſemus. Nondum quemquam vidi, qui de hac Terrâ ſcripto aliquid publico mandavit.

Rubicundæ TERRÆ SIGILLATÆ aliæ ſpecies ex Germaniâ ad nos etiam adferuntur, montibus & clavibus ſignatæ, quas Lignicenſes aut Strigonienſes eſſe arbitror: de iis nil aliud, quam quod ſupra dictum, habeo quod referam.

TERRAS LUTEI COLORIS Muſei noſtri jam expendamus, quas etiam Medici ſibi vendicarunt, quas & Bolos quidam vocant, forſan quod artificum miniſterio, ut vires ſuas felicius exſerant, ab omni impuritate & fæcibus ſint liberatæ & in maſſulas redactæ variarum figurarum. Olim in pretio erat Bolus Armenus, qui ex Armeniâ deferebatur, à quibuſdam Bolus luteus Galeni dictus, ochræ foſſili colore haud abſimilis: cujus notæ erant, quod digitis attritus, ob duram ejus conſiſtentiam, manus non inquinaverit, ſed ſplendidior factus ſit; quod injectus igni, non ſecus ac ochra, in purpureum mutatus ſit colorem, & ſubſtantiam duriorem. Hodie cum non adferatur hic bolus, ejus loco commode utimur Terrâ ſigillatâ Strigonianâ.

Vocatur hæc terra vulgo TERRA SIGILLATA SILESIACA, TERRA SIGILLATA GERMANICA, SIGILLUM Strigonienſe, Axungia ſolis chymicorum, Streigiſche geſigelt-erde / Sleſiſch Sigillata, Geele Terra ſigillata.

Terra eſt lutei coloris, ad flavedinem vergens, pinguis, viſcoſa, inſtar butyri in aquâ vel ore diffluens. Reperitur in aurifodinis montis acuti, ſeu D. Georgii ad Strigonium oppidum ducatus Suidnicenſis, inter duriſſimas rupes; inde eruitur, & ſummâ diligentiâ, magiſtratus ordinatione, præparatur, & in formam orbiculorum, impreſſo ſigillo urbis, redigitur. Inventor ejus eſt D. Johannes Montanus, Medicus Clariſſimus, qui de eâ

eâ Scriptum in lucem edidit. Statuit esse aurum, Dei providâque naturæ ordinatione, in præeminentem præparatam Medicinam transmutatum, contra venena utilem, non minus quam Medicamenta, quæ magnis sumptibus ex auro Ungarico conficiuntur. De quo tamen dubitare videtur Sennertus; siquidem non ut aurum spiritu salis potius solvatur quam vitrioli.

Commendatur adversus toxica philtra, venena per os sumta: ea enim per vomitum expellit, si vel ante, vel statim post venena sumatur; sin tardius, per sudorem evocat. In peste vim maximam habet. Ictibus & punctionibus animalium venenatorum medetur, cor & cerebrum roborat, eorumque morbis occurrit, inflammationes sistit, hæmorrhagias, catharros, defluxiones, dysenteriam, lienteriam, diarrhœam, omniaque ventris profluvia curat; Ambustis ab igne vel aquâ fervente succurrit, vulnera & ulcera inveterata & maligna consolidat, contra pruritum, scabiem fœdam ac curatu difficilem rite usurpatur.

Hæmoptoicis, pthisicis, pulmonis vitiis laborantibus utilis. Omnibus morbis, qui per sudores expelli possunt, convenientissima; Terræ Lemniæ, omnibusque aliis sigillatis terris præferunt.

Mihi est tam CRUDA, quæ durior, impurior & non tam facile in liquore solubilis, quam LOTA & PRÆPARATA, seu in orbiculos redacta, drachmarum duarum circiter pondere, quæ notas omnes habet enumeratas: pro Insigni tenet montem tribus prominentiis insignem, ita tamen, ut tertius obtusior sit, cui additur duarum clavium, decussatim se secantium, scutum. Infra montem hæc leguntur: TERRA SIGILLATA.

Orbiculorum non eandem esse magnitudinem observavi; sunt enim hisce majores, sunt & minores. Sed monet Caspar Svenkfeldius in Catalogo Naturalium Silesiæ lib. 3. In Silesiacâ Terrâ emendâ, cavendum diligenter esse ab imposturâ. Solent namque circumforanei Lutum aut Argillaceum quiddam, in formam placentarum affabre fictum, & variis notis insignitum, loco Terræ sigillatæ Silesiacæ, plebeculæ obtrudere. Quod me movit ut quasdam, quæ sigillum Strigoniense præ se ferunt, in dubium vocare ausim, eò quòd notas illas non habeant, quas ostendit jam descripta; voco igitur TERRAM SIGILLATAM STRIGONIENSEM DUBIAM. Tres mihi ejus generis sunt placentulæ vel pastilli: una rubicunda, drachmam pendens, de quâ suprà aliquid monuimus; altera lutea, ejusdem ponderis, magnitudinis & figuræ. Hæ tam facile in liquore non solvuntur, aut linguæ contactu, ut superior, nec idem habent sigillum. Mons quidem adest triceps, sed arboribus & aliis ornamentis decoratus, claves inversæ sine scuto, inscriptio TERRA SIGILLATA.

Tertia major est, ejusdem cum luteo, ut arbitror, massæ, duarum circiter drachma-

rum, montis tricipitis habet Insigne, & in scuto claves duas situ genuino; montes arbusculis ornantur, inscriptio eadem cum præcedentibus.

Est & LIGNICENSIS LUTEA, ejusdem plane ponderis, figuræ & sigilli cum descriptâ superiùs. Aquilam enim expansam ostentat, cum inscriptione ad circumferentiam: TERRA SIGILLATA LEGNICENSIS. Earundem virium esse arbitror cum albâ, si non majorum, quia, ut illa albedine argentum, sic hæc flavedine aurum exprimit. Quæ igitur supra de Strigoniensi dicta, huc quoque referenda arbitror.

TERRÆ ARABICÆ SUBLUTEÆ titulo pastillos duos orbiculares noto, colore albo ad luteum inclinante, pondere drachmæ unius. Inscriptionem namque habent Arabicam literis clare satis expressis trium ordinum. Hæc terra linguæ admota fortiter adhæret, adstringit, & procul dubio vim resistendi malignitati obtinebit eximiam; ut omnia ejus generis, quæ ex Oriente, literis notata Arabicis, circumferuntur: ad contactum lubrici sunt hi pastilli, &, ab adversâ parte, non tam plani, quam prominentes & subrotundi.

Pastillus quidam luteus duarum drachmarum, utrinque sigillatus, acuminatus, sigillo sex stellas continente, huc referendus; Germanicus, an Hassiacus, nescio. Insigni vi stipticâ & adstringente præditus, facile etiam in liquorem solubilis, ut viribus Silesiacæ conformem autumem.

Ante annos aliquot, à Clariss. Viro D. Argerio Clutio transmissa ad nos est Terra quædam sigillata, cui pro sigillo impressi erant hi characteres: B. SIG. TERRÆ LEMNIÆ CONGENER; unde advectus, non scripsit: in pastillos & massas efformata erat. Majores unciam unam & drachmas tres pondere æquabant; minores ʒij. non excedebant. Majores massæ oblongæ erant, parte infimâ, quæ latior erat supremâ, parvum sigillum etiam obtinebant, lilium Gallicum exprimens. Pinguis erat, adstringens, & in liquore facile solvebatur. Ejus vires contra venenum, pestem, morbos malignos & dysenteriam, catharros, aliosque ejus generis prædicabat. In Dysenteriâ cum fructu eâ usus sum; in febribus item malignis, loco Terræ Lemniæ, in Theriacæ confectione semel eâ, reliquorum Medicorum consensu, usi sumus. Hanc verò ex Galliis tractu Blæsensi adferri mihi retulit D. Storgardius P. M. collega & amicus honorandus, qui eam exactè noverat; testari quoque id videtur Liliorum Insigne, quo parte inferiore dotantur majores massæ.

Sunt quoque mihi pastilli duo oblongi, parvi, drachmam ponderantes singuli, sigillo parvo in extremitatum altero insigniti, colore luteo ad pallidum vergente. Pingues sunt, adstringentis facultatis, & in liquore faciles solutu, ac ad naturam Stregoniensis Terræ quam proxime accedere videntur; ejus igitur naturam æmulatur. LICHENSES esse intelligo.

TER-

TERRA quædam BOHEMICA nuper adferri cœpit tam cruda quam ſigillata, variorum colorum. Ejus crudæ maſſam elegantem quadratam, ex albo & violaceo colore miſtam, nomine veræ Terræ Lemniæ à Pharmacopœo Sereniſſimi Principis Chriſtiani V. P. M. accepi: pollicis erat latitudine & craſſitie, oblongiuſcula, pendens unciam unam cum ſemiſſi; ſed tandem Bohemicam eſſe & Gabellæ præparari intellexi. Appulit enim huc non ita pridem quidam, qui Terram hanc variis coloribus inſignitam, tum etiam in paſtillos ſigillatos redactam, vendidit vulgo, unaque ex iis præparata vaſa elegantia. Fruſtum ab ipſo accepi inſtar jaſpidis variegati, item luteo & albo colore conſpicuum. Paſtilli erant lutei, rubicundi, albi, violacei, autoritate Comitis de Berkâ firmati. Vires harum terrarum linguâ Germanicâ conſcriptas, in impreſſâ ſchedulâ conſignatas, unà exhibuit. Schedulæ ſenſus hic eſt: Contra venena drachmæ unius pondere datur in aquâ cardui benedicti, & ſudores movet. Datura ʒj. ad ʒjß. cum ℈j. Theriacæ, ut quis à peſte præſervetur; dolores capitis lenit cum aquâ majoranæ; Ad palpitationem cordis datur ʒj. in aquâ Meliſſæ. Oculorum calidos affectus mitigat in aquâ Roſarum ſoluta, & oculis indita, aut foris applicata. Febres curat, ſudores movendo. Bis in die in aquâ foliorum Quercus exhibita drachma una Dyſenteriam & alios ventris fluxus tollit. Aſthmati & Tuſſi ex vino medetur; Sudores potenter movet in Balneo; Rubra & lutea cor roborant; Alba capiti & oculis, utero quoque & mulierum affectibus medentur. Pocula, ex his terris formata, iiſdem prædita ſunt virtutibus. Sigillum harum terrarum oſtendit bicipitem Parnaſſum, inter quem & alium monticulum, decuſſatâ cruce ornatum, ex colliculo frutex pullulat coronâ inſignis, cum ſubſcriptione hac, TERRA SIGILLATA 1639.

TERRA SESSANA, ab urbe Italiæ Sinueſſâ ſic dicta; nam ibidem effoditur. Strabo lib. 5. Sinueſſam in Setano ſinu ſitam eſſe ait, à quo ſibi nomen vendicaverit, prope quam Thermæ ſunt ad multos morbos utiliſſimæ. Hoc Terræ genus mihi à Clariſſ. D. D. Thomâ Bartholino apportatum eſt, coloris cinerei, cum intermiſtis quibuſdam granis aureis micantibus; uſta hæc terra & in vaſa efformata purpureum & rubicundum acquirit colorem. Ex hac enim terrâ figuli vaſa formant, quæ per totam Italiam diſtrahuntur, & ob granula aurea per ea diſperſa commendantur. Poculum ejus generis delineabimus ſuo loco, quod dono ejuſdem amici mei teneo.

TERRA OREANA. Per Italiam & Gallias circulator quidam percurrebat, Terræ quoddam genus contra varios morbos venditans, quod Terram Oreanam vocabat, forſan ab Oro, quod Italis aurum notat, quaſi Terram auream diceres; ſed unde advecta, & an artificio quodam depurata, nulli revelabat. Gleba eſt crocei coloris, minime pinguis, arenoſa & fibroſa, acida aliquantum, leviter adſtringens, levis, in pulverem levi attactu diſſiliens. De quâ plura non habeo, niſi quod iiſdem viribus præditam eam voluerit ejus præco, quibus aliæ terræ ſigillatæ. Intellexi tandem Terræ ſpeciem non eſſe, ſed ſuccum inſpiſſatum Achiotl. ſimilem, & locum in Chocolatâ obtinere; dici vero Orelianum à loco ubi creſcit planta ex quâ exprimitur. Barlæus in rebus geſtis Mauritii pag. 128. vocat Tincturam Aurantii coloris Orellianam.

Exiguus præterea mihi eſt paſtillus, coloris luteo purpurei, titulo BOLI UNGARICI & ZELTNIZEN, mihi communicatus, nullo ſigno notatus, ſed ruditer digitis compreſſus, ſcrupulorum duorum pondere. Madefactus chartam colore tingit luteo, adſtringit & glutinat.

TERRÆ PURPUREÆ fruſtulum ab amico accepi, duriuſculum, pingue, ex quo duo minuta cornua cervina, candida, elegantia, enata eſſe non ſine delectatione cernere licet. Tota maſſa drachmas duas vix pondere ſuperat. Unde aut cujas ſit, ignoro.

TER-

TERRA ANTISCORBUTICA. Hujus meminit Henricus Petreius differt. Harmonic. de Scorbuto 38. in hunc modum: In Norvegiâ prope Bergas celebre emporium, terram rubram, sigillatæ cuipiam non absimilem, effodi perhibent, præsentaneum hujus morbi Alexipharmacum. Cur igitur vocetur Terra Antiscorbutica, hinc patet. Invenitur verò prope Bergas Norvegiæ, ut Petreius refert, atque inde ad me detulit vir Clarissimus D.D. Jacobus Fabricius Archiater Regius, sed crudam, variis quisquiliis, radicibus, lapillis, aliisque permistam, quâ formâ apud me etiamnum reperitur; sed ejus particulam lavi, purgavi & aptam reddidi Medicinæ, quæ hac formâ jam conspicitur. Pulvis est rubicundus ad luteum tendens, arenosus, minime pinguis, nam per se in orbiculos cogi nequit, nullius fermè saporis, instar arenæ inter dentes strepitum edens, non admodum ponderosus. Hujus drachmam unam in aquâ aliquâ antiscorbuticâ exhibent, ut sudorem provocent, quo aliquoties ita provocato, radicitus exstirpari scorbutum referunt. Miratur Petreius dicto loco hanc terram ad exteros non exportari: Miror, inquit, cur, quemadmodum Guajacum ab Indis & Americæ populis, quibus lues Venerea endemia est, ita consimilia remedia ad Scorbutum curandum ab hisce populis in Germaniam, præsertim à lucri cupidis Mercatoribus non invehantur. Sed mirari desinat; Vulgare vitium est, propria despicere, peregrina admirari, & nil nisi magno pretio emptum æstimare.

TERRÆ CIMBRICÆ. In Cimbriâ juxta promontorium Biörnshoffuit/ districtus Hottersnensis, duo terrarum genera inveniuntur, luteum alterum, alterum cinereum, quæ ad naturam Terræ sigillatæ quam proxime accedere videntur. Crudæ adhuc & non purgatæ, purissimæ, & ab omnibus heterogeneis separatæ inveniuntur in mineris; pingues sunt, ad contactum lubricæ, adstringentes & linguæ adhærentes, liquescunt liquoribus inditæ sine fæcibus. Sunt mihi ejus generis massæ quædam, præsertim luteæ. Ex cinereâ statua est D. Virginis, ulnis infantem gestantis trium circiter unciarum altitudine, Dono Nobiliss. & Eruditissimæ Matronæ Birgittæ Tot de Tureby; sed manu nobilis cujusdam Virginis affabrè satis elaborata. Non dubito quin Terræ hæ vim habeant resistendi malignitati, ad sudores eliciendos commodæ, in primis in Dysenteriâ & aliis alvi fluxionibus utiles.

Ad luteas terras OCHRAM referre licet, quæ vel NATIVA est vel factitia. Illa hic locum proprie meretur; hæc licet inter metallica recenseatur, ab hoc censu non videtur excludenda. Græcis ὤχρη dicitur, quod Luteo sit colore.

Plinio & Latinis SIL voce peregrinâ, cum Lutea vocari possit, Germanis Ocher/ Berggelb/ Silbergelb. Nativa nascitur non solum inter metalla, sed etiam in propriis venis.

Quondam Attica commendabatur. Nunc foditur in Ungariâ, Rhetiâ, Germaniæ Mineris argentariis, Hildesheimii, inter Alsfeldam & Embeccam, in Norvegiæ fodinis argenteis; in Cimbriâ quoque & Islandiâ. Gustu acris est, & in externis saltem usum invenit apud Medicos. Tumores & panos discutit, excrescentem carnem reprimit, cum cerâ cava explet, articulorum tophos comminuit. Dioscorides eligendam suadet levissimam, saturatè luteam, non lapidosam, friabilem. Pictores quoque ejus usum sibi familiarem reddiderunt. Quidam potius inter lapides metallicos, quam Terras, reponendam putant; sed nescio quo jure.

OCHRA SCANDERBURGICA LUTEA. Prope Scanderburgum Cimbriæ, terra quædam lutea è monte vicino eruitur, Venis suis reliquum montis perreptans, quam pro sigillatâ aut medicatâ, vim sigillatæ Terræ habente, venditare ausi sunt quidam, unde & pastillos ex eâ formarunt, ac sigillo Rosæ decorarunt, vendibiliores eos vulgo ut redderent. Sed ego cum Terram crudam ad me deferendam curassem, nihil in eâ offendi pinguedinis, nec magnopere adstringere animadverti, sed potius acrimoniam quandam gustanti præbere: unde non tam ad Bolos aut Terras sigillatas, quam Ochras referendam duxi. Eo autem magis in meâ confirmor opinione, quod accolæ ipsâ terrâ luteâ exsiccatâ, ad tingendas & pingendas ædes, colore flavo utantur. Igne verò ubi uritur, rubrum colorem assumit, priore obliterato.

Hanc enim notam esse Ochræ genuinam docet Dioscorides: cum ait Ochram per ustionem transire in Rubricam; à veteribus SIL dicta videtur, ut supra monuimus.

Quocirca non suasero ut quisquam hac terrâ internè, nisi cautè, utatur; Siquidem, ut reliquæ Ochræ, vim habet erodendi, dissipandi collectiones & tubercula, reprimendi excre-

excrescentias carneas, ut supra dictum, ac vel eo nomine potius extrinsecus, quam intrinsecus adhibenda.

Huc etiam OCHRAM ISLANDICAM refero, de quâ hæc ad me ex Islandiâ scripsit Ornatissimus Juvenis Trebanius Jonas. Est in australi Islandiâ colliculus, religiosus à priscis habitus, ex quo etiamnum pulvis medicamentosus eruitur. Distat ab Episcopali sede Scalkolte, duo aut circiter milliaria; habitaculum proximum Holar vocatur, sed provincia Grimnes. Fama est in eodem loco mulierculam quandam diem suum obiisse, adeo sanctam, ut splendore insolito, instar accensæ candelæ, ibidem prætereuntibus appareret; unde prisca simplicitas hunc locum deinceps religiosum habuit.

Hanc terram ubi accepissem, comperi colore luteo obscuro esse, modicam, aut ferme nullam vim adstringendi habere, interim acrimoniâ quadam præditam esse, colore luteo manus tingere, & levi contactu in pulverem abire. De ejus usu hoc memorant, quod scilicet, corporis parti dolenti si applicetur exterius, dolor sedetur; quandoque sed raro exhiberi in internis affectibus.

Ego veræ Ochræ notas habere cum videam, haud tuto in internis affectibus præberi autumo. In externis verò tumoribus & inflammationibus haud incommodè.

Vim enim, ut reliquæ Ochræ, habet dissipandi tubercula, reprimendi, &c. ut supra ex Dioscoride & Galeno monuimus. Galenus præterea 5. de simpl. Medic. facultatibus cap. 13. Ochram inter illa medicamenta refert, quæ & urinam provocare, & callosas sive tophosas substantias ac consistentias incidere sunt idonea, minimum caloris possidere asserens.

OCHRA NIGRICANS ARGILLACEA, Germanis Swartz gyldiger letten auß Drusen / huc quoque spectare videtur, ex fodinis argenteis Norvegiæ allata. Partim in massas concreta est, partim pulveris formâ transmissa: viribus reliquis Ochris respondere arbitror, ac suum in Medicinâ usum habere. Quamvis & pictores forsan ex eâ colores præparare valeant.

OCHRAM ANGLICAM flavi coloris mihi attulit ex Angliâ D. Erasmus Brochmannus. Massa est duriuscula, unciarum duarum longitudine, & latitudine, quadrata ferme, licet inæqualis, pondere unciæ unius, & drachmarum septem: ad Chirothecas tingendas in Angliâ utuntur, colorem enim iis indit pulchrè flaventem.

OCHRA FACTITIA PLUMBARIA, Germanis Bleigelb / Sweisgelb / pictoribus saltem in usu est. Fit ex plumbo nigro in ampullam conjecto, & vi ignis tam diu usto, donec colorem luteum acquisiverit. Quibusdam cerussa citrina appellatur.

Sunt quædam TERRÆ METALLICÆ, inventæ in fodinis argentariis Norvegiæ, quæ & huc commode referri posse videntur. Una earum, quas teneo, CINEREI NIGRICANTIS est coloris, cui Talci micæ sunt permistæ; Titulo Germanico tali, Gelb in Drusen in Silber-gruben gefunden / ad me transmissa est: Altera sublutea ad purpureum inclinans, in massulas inæquales & asperas concreta, Germanis Braun gesundert letten dicitur; in venis & ductibus fodinarum invenitur.

CAP. V.

De Terris Miraculosis.

MIRACULOSAS vocamus terras, quæ præter ordinarium naturæ cursum & modum generantur & producuntur. Harum duo ostendimus genera, unum quod Scanicum vocamus, eo quod ibidem repertum; alterum Islandicum, quod inde ortum traxerit, ut ex ejus historiâ patebit.

Anno MDCXIX. cum perversus ille mos collaria, linteamina, aliaque muliebria ornamenta ex linteo confecta, cœruleo colore tingendi Daniam invasisset, atque in hoc luxu, frustra opponentibus se verbi divini Ministris, pertinaciter persisterent ad superbiam proniores, Deus Opt. Max. ut quantopere hoc vitium aversaretur declararet, & ad pœnitentiam miraculo mortales revocaret, multis in Scaniæ locis, terram cœrulei coloris, ei prorsus similem, quam apud Aromatarios emere solebant, pluviæ in modum supra multos effudit: Cujus particulam tunc temporis inde attulit, mihique dono dedit Vir Celeberrimus D.D. Thomas Finckius, Medicinæ in Academiâ Hafniensi Professor Publicus, socer honorandus. Terræ cujusdam cœruleæ pulverem repræsen-

tat, ac chartam & quævis alia, præsertim candida, colore tingit Cyaneo, glebosa, sapore nullo; madefacta verò in nigram & luridam convertitur terram, talique colore obvia inficit. Pluvias varias prodigiosas memorant historiæ, sed similem me legisse non memini. Plinius Decad. 3. lacte pluisse refert, idem alibi sanguine & carne, lapidibus, imo & terrâ, Decad. 4. lib. 5. Sed quæ colorum vires præbere possunt, atque madefacta in nigram terram transmutentur, vix auditum. Auro in Insulâ Pelagiâ, Ferro in Lucaniâ, ante bellum Parthicum, quo Crassus occisus est, pluisse testis est Ammianus libr. 17. Annonâ in Charintiâ, horarum duarum spatio, ad duo amplius milliaria, ex quâ panis pinsebatur, testis est Thuanus lib. 5. de anno MDXLVIII.

Alterum portentosæ terræ genus, linteo viliori ex navis velo abscisso inhæret. Ex cineribus ortum traxit anno MDCXXV. cum in Orientali Islandiæ tractu mons Módals Jokul dictus conflagraret. Nauta, qui linteum hoc attulit, refert, quod, cum circa Nidrosiam Norvegiæ navigaret, ejusdem anni mense Septembri, subito ingens obortus sit nimbus, non aquæ, sed cinerum & terræ, ut ipsi videbatur, qui totam navem operuit, velisque pertinaciter adeo adhæsit, ut inde totus discuti nequiverit. Atque in ejus rei testimonium, particulam hanc veli, terrâ eâ infectam, mihi obtulit, ex quo tanto temporis tractu multum periit, vestigia tamen remanent manifestissima. Historia hujus conflagrationis, vulgari idiomate edita est hic Hafniæ anno MDCXXVII. Cœpit vero mons prædictus, qui alioquin perpetuò nive & glacie tegi solet, conflagrare anno MDCXXV. die secundo Septembris, primo horribili tremore & mugitu, erumpentibus flammis & cineribus. Ex nive & glacie liquefactis, tanta accessit aquarum inundatio, permistis glaciei fragmentis, ut navigationi idonea visa sint loca, quæ antea habitationibus & pascuis erant deputata. Hinc indies crescentibus flammarum eruptionibus, horribili boatu & strepitu, lapidum & pumicum in aërem ejaculatorum, cinerumque magno impetu extrusorum, tanta facta est copia, ut continuatæ extiterint tenebræ noctis instar per totum istum tractum, exceptis locis flammæ vicinis, ubi aër ab igne aliquantulum illustrabatur. Interea temporis in vicinis locis terra motibus concutiebatur tam validis, ut & ex durissimis cautibus coagmentati montes dissilirent. Cineribus vero adeo repletus aër, ut volatilia quasi exanimata deciderent, & per terram in cineribus, reptilium instar, reptitarent. Terra quoque iisdem oppleta, adeo ut incedentium per eos genua strinxerint; unde alio commigrare coacti sunt accolæ, fertilitate Terræ in meram sterilitatem conversâ. Duravit hoc incendium in decimum quartum diem. Post conflagrationem variis in locis calidi fontes & Thermæ eruperant, quæ etiamnum visuntur. Quanto verò impetu pumices & cinerum acervos evomuerit, vel ex hoc liquet, quod naves, circa Norvegiam navigantes, iis fuerint oppletæ, ut ex hoc linteo liquet. Narrat Nicephorus lib. 15. cap. 20. Tempore Leonis Papæ cineribus pluisse, qui palmæ altitudine in tegulis jacuerunt. In agro Neapolitano, ex incendio Vesuvii montis hoc pari modo contigisse arbitror.

Huc referre licet Terræ communis portionem sanguine tinctam, quæ sanguineâ pluviâ imprægnata fuit Stralsundi anno MDCXLVII. decimo-tertio Septembris, & huc transmissa, mihi vero à D. Simone Pauli communicata. Ejusmodi portenta raro aliquid boni præsagire solent.

CAP. VI.

De Salibus in genere.

SALEM quidam à saliendo dictum putant, eo quod igni injectus exsiliat: sed cum hoc non omnibus ejus speciebus competat, etymologiæ ratio hæc minus accurata. Qui enim compactus & spissus est, in igne crepitat & exsilit, ut fossilis & marinus: qui minutus & spissus, crepitat tantum; qui rarus, sive compactus fuerit, sive resolutus, nec crepitat, nec exsilit. Quocirca potius à Græco ἅλς, per Metathesin literarum, traductum puto.

Per SALEM verò hic intelligimus, corpus minerale inanimatum, in aquâ solubile, saporibus diversis præditum, & seminariâ in primâ Creatione vi dotatum, quâ certis in locis conservatur & multiplicatur. Vulgo generari dicunt è succo aqueo & terreo crasso. Cum enim exhalatio sicca substantiæ sit terreæ, accedens ad naturam ignis, si ab aquâ apprehendatur in pluviâ aut visceribus terræ, pars ejus ignea salsas reddit aquas, reli-

reliquum in terram vertitur, ut vult Cæſalpinus. Sales enim omnes generari vult, vel ab exhalatione refrigeratâ, quæ aquâ reſoluta ſalem marinum & lacuſtrem producit, terræ verò agglutinata ſalem foſſilem, &c. Vel ex combuſtione corporum, quo pacto artificiales Chymici præparantur. Sed ratio hæc minus ſufficit. Non enim cauſam exhibet cur magis in uno quam altero loco reperiatur. Quocirca vero conſentaneum, ſalem, ut & reliqua mineralia & metalla, in primâ mundi origine creatum in terrâ eſſe, in quâ virtute ſeminali, ſibi inditâ, ſe ipſum conſervat & multiplicat.

Hanc vim Elementis inditam cum videamus, quidni & corporibus perfectioribus & miſtis. Quod vel in eâ ſpecie ſalis, quæ NITRUM vocatur, manifeſtiſſimè elucet. Hoc enim non ubique, ſed iis ſaltem in locis generatur, ubi ſpiritus ille, ſeu principium ſeminarium adeſt. Quo igitur purior eſt materia, quæ ab hoc ſemine impregnatur, eo purior etiam evadit Sal inde genitus; quo impurior illa, eo impurior hic. Si verò plurimâ miſceatur humiditate, fontes ſalſos producit, ex quibus coctione per exhalationem Sal elicitur.

Sub SALE comprehendimus nos Salis veri varia genera, Nitri ſpecies varias, Alumen, Vitriolum, ejuſque generis alia Salina corpora.

CAP. VII.

De Sale Naturali & Artificiali.

SAL, quo communiter in cibis utimur, eſt vel Naturalis, vel Artificialis. Naturalis, quem Natura ſponte gignit, vel in terrâ, vel extra eam. Qui in terrâ reperitur, vel cæditur in montibus, ut in Carpatho, quâ parte Siberburgii Ceculique incolunt, Saltzburgi, &c. & in Germaniâ juxta Thuſam oppidum. Vel effoditur in campis, ut in Poloniâ, ſecundo lapide à Cracoviâ, ad oppidum Veliſcum, & in Germaniâ in Staphurt. Vel ſub arenis invenitur, ut juxta Peluſium in Ægypto, qui Cyrenaicus dicitur.

Extra terram Naturalis Sal reperitur in fonte, fluvio, lacu, mari. Fontes vel ſalem ferunt, ſicuti calidi Pegaſæi; vel ejus rivuli, Solis calore, in Salem evaporantur, ut Salſulæ in campo Galliæ Narbonenſis. Fluvii aut Salis ramenta deferunt, ſicut Ochus & Oxus apud Bactros, aut ſumma eorum in ſalem denſantur, reliquis aquis veluti ſub glacie fluentibus, ut apud Caſpias portas, circa Mardos & Armenos, teſte Plinio.

Lacus in Salem mutantur, vel toti, ut in Apuliâ Tarentinus, & in Æolide Tragaſeus: aut eorum ſaltem extremitates, ut in Siciliâ Cocanici. Æſtuat Sale lacus in Cypro ad Cittium, in Judæâ Aſphaltites, cujus Sal Sodomæus vocatur. Ad mare tenuis quidam Sal gignitur, cum æſtu fervet & ſpumas agit, eaſque ad littora & ſcopulos appellit. Dioſcorides ἅλὸς ἄχναν, florem Salis aut feſtucam vocat.

Artificialis Sal vel fit ex aquis marinis, vel ex ſalſis fontanis, aut ex putealibus excoquitur; vel conficitur ex ſui generis lixivio, ut Chymici omnes.

Salis uſus varii ſunt, in ſacris, in ædificiis, in Medicinâ, in cibis. Romani in ſacris eo uſi ſunt creberrimè, ſiquidem nulla fiebant ſine molâ ſalſâ, quem ſalem virgines Veſtales ſerrâ ferreâ ſecaſſe refert Fabius Pictor. Hebræorum Sacerdotes capita victimarum Sale aſpergebant.

In ædificando utuntur Arabes quibuſdam in locis; maſſas ejus quadratas, cum aquâ, calcis loco conglutinantes. Sic narrat Plinius lib. 6. cap. 28. in ſinu Capeo Arabiæ maris, oppidum Gierra, turres habere, ex ſalis quadratis molibus, nec non Carrhis Arabiæ oppido, muros domoſque ex maſſis ſalis fieri. Sic & in Africâ Ammanientes domos extruunt. In Medicinâ, calefacit, exſiccat, abſtergit, adſtringit, à putredine conſervat, attamen febribus putridis non competit, tum quia calidus, tum quia exſiccando viſcera indurat. Infantes ſale conſpergere ſuadet Galenus lib. 1. de tuend. ſanit. cap. 7. ut cutis ſpiſſior & ſolidior fiat: carnes & piſces aliaque eſculenta à putredine ſervat. In cibis edendi aviditatem excitat, ſaporem gratum conciliat, adeò ut ſine Sale cibus nullus jucundus videatur; à jumentis quoque expetitur, quæ ſale ad paſtum excitantur, unde largior lactis copia & caſeus gratior. Hinc ad vitæ lepôres & animi voluptates tranſlatum Salis vocabulum, ut nulla humanior vita ſine ſale degatur. Unde illud Poëtæ:

Non eſt in toto corpore mica Salis.

Salaria inde tracta, præmia militibus & honoratis deputata. Ad cibum verò eligitur

tenuis & humidus, quod amarus non sit, sed suavis & gratus linguæ, facileque liquescat. Ex iis, quibus nos utimur, primas tenet Luneburgicus, hinc Scoticus, Gallicus, Hispanicus, deterioris notæ ad carnes Suillas & Pisces majores condiendos adhiberi solent.

SAL FOSSILIS, qui & SAL GEMMÆ in officinis dicitur, eo quod Gemmæ instar pellucidus sit, & Crystallum nitore & colore imitetur, in tesseras excisus ad nos adfertur. Is, quo utimur, ex Poloniâ maximâ ex parte adfertur, quamvis in Calabriâ, alibique, ut supra dictum, etiam effodiatur. Mihi tam Calabrini, quam CRACOVIENSIS est specimen, in quibus, quo ad externam figuram & saporem, differentia ferme nulla est; nisi quod Calabrinus purior & nitidior. Pituitam viscidam ac lentam incidit & attenuat, humores tenaces, qui difficulter è corpore educuntur, sine omni incommodo evacuat; cum Agarico mixtus, vertigini succurrit. Pectus & ventriculum ab excrementis liberat, doloribus Colicis, aliis mistus, opitulatur, indurata resolvendo & superflua expellendo; ad dentifricia quoque commendatur. De Polonico hoc habet Cromerus in descriptione Poloniæ lib. 1. In minori Poloniâ salem instar ingentium Saxorum, adeo duritie lapideâ solidum, ferro exscindi constat, ut ne dum molâ teratur ad hominum usum; sed & ex illo domos & oppida ædificari.

AMMONIACUS SAL, qui & ARMONIACUS dicitur, ab ἄμμος nomen traxit, quod sub arenis in laminas concretus, in Africæ Cyrenaico tractu effodiebatur olim. Erat colore nigricante, fissilis secundum longitudinem, rectis scissuris, sapore ingrato. Sed jam ad nos vehi desiit; quocirca ejus loco utuntur Sale quodam, ex Sulphuratis Puteolani districtus deprompto. Eo enim loci, ubi ignes subterranei flammas evomere solent, in illorum hiatuum faucibus, veluti per sublimationem quandam, materiâ minus terrestri evaporante, hoc genus salis reperiri solet; quoad colorem simile alumini Schisto videtur, fissile secundum longitudinem, instar lapidis specularis, & velut in crustas compactus. Gustanti levi acrimoniâ & paucâ adstrictione, nec non extergendi vi præditus videtur, unde ad illa conferre ab Italis censetur, quæ Sali Ammoniaco à Galeno tribuuntur.

Sed quia & ille non ab omnibus approbatur, nec quovis in loco haberi possit; artificialis quidam excogitatus est, qui idem nomen obtinuit, & à Chymicis maxime expetitur. Fit ex quinque partibus urinæ humanæ & parte unâ salis communis, & parte dimidiâ fuliginis lignorum, simul coctis ad consumptionem humiditatis: reliquum sublimatur, iterum solvitur & coagulatur. Sal summe volatilis est, & fixa omnia volatilia reddit. Quocirca ejus usus apud Chymicos frequens, ubi metalla solvere aut sublimare nituntur. Saporis est magis acuti quam Sal communis, quocirca corrosivus magis; ad faciendum colorem cœruleum utuntur artifices, & fabri, ubi stannum ferro jungere & unire gestiunt.

Cum in omnibus vegetabilibus duo Salium reperiantur genera, unum fixum, alterum volatile; hoc quandoque Armeniacum vocari solet, ob affinitatem quam invicem habent, ratione subtilitatis & penetrationis. Cæsalpinus salem Ammoniacum vulgarem ad Nitra refert, de quibus mox sermo erit.

SAL ALKALI ex herbâ, Kali Arabibus dictâ, artificialis etiam est, & huc referri potest. Affertur ex Hispaniâ, ingentibus glebis cinereis & nigricantibus præduris. Chymici ad varia utuntur, Vitrarii quoque, qui vitra conficiunt. In re Medicâ, ob virtutem exsiccantem & abstersivam, locum etiam habere potest. Scaliger ex Kali, ut dixi, quam vulgo Sodam, Serapio Usnem vocat, trito & presso parari ait, & à quibusdam vocari Salicornum, ab aliis Sodam, ab aliis alumen Catini, à pelvis facie in quam destillat. Matthiolus ex hac herbâ dixit parari Cineres, quibus fabri vitrarii utantur; & ex decocto SALEM ALKALI à Mauritanis vocatum, Amatus Lusitanus non ex Kali, sed herbâ Antillide combustâ parari putat hoc seculo: quia omnem cinerem, qui ex Syriâ adfertur ad conficiendum saponem, ex herbâ Antillide combustâ fieri ait.

CAP. VIII.

De Nitro.

NITRUM quidam dictum putant à Nitriâ oppido Ægypti, ubi in magnâ copiâ olim conficiebatur, à quibusdam Sal Petræ, quia in terrâ sui generis, ad muros & petras, instar lanuginis, sponte efflorescere solet. Quia Salis quædam species est, idcirco & easdem agnoscit differentias. Vel enim sponte nascitur, vel arte conficitur. Quod sponte nascitur, reperitur vel in terrâ, vel extra terram.

In terrâ reperitur aut cæditur aliorum fossilium more, quod est durum, spissum & lapidi simillimum, ab Arabibus TINCAR dictum. In Asiâ tale provenire solet juxta Philadelphiam Lydiæ & Magnesiam Cariæ. Unde Galienus Imperator, cum Asiam Scytharum incursionibus vastatam esse intellexisset, jocatus dixit. Quid? sine Asiæ nitris esse non possumus? E speluncis etiam petitur, in quibus stiriarum modo dependet; colligitur ex iis etiam decidens adhuc liquidum in terram, ac ibidem instar spumæ concrescit: quod APHRONITRUM proprie dicitur, quamvis hæc vox etiam ad illud genus accommodetur, quod effoditur, sed minus apte.

Extra terram quod nascitur, vel in convallibus & campis reperitur, HALMIRAGA Græcis dictum, vel ex lacubus extrahitur. Prius genus apud Medos invenitur, testante Plinio, ubi per æstatem eo canescunt convalles. Item in Thraciâ juxta Philippos. Sed hoc terræ mistum & sordidum, idcirco & APRIUM vocari idem asserit: posterius in Macedoniâ colligitur, ubi lacus nitrosus erat, qui in agro Letao circa canis ortum gignit nitrum, quod veteres CALASTRÆUM vocant, ab oppido Calastrâ, quod in proximo sinu erat, è quo evehebatur.

Factitii nitri tria etiam erant genera: unum ex aquis Nili conficiebatur, præsertim ad Naveratim, Nitriam, (unde vox nitri) Memphim. Dum vero hic in Nitrariis nitrum conficiebatur, subtile ac tenue quid spumæ aut floris instar à reliquo separabatur, quod Græci ἀφρὸν νίτρου dicunt, & ab eo distinguitur quod ἀφρονίτρῳ vocant, & fossile est. Svenkfeldius in Catalogo fossilium Silesiæ APHRONITRUM existimat esse illud quod FEL VITRI, vitri spumam & recrementum vocamus, Glaß-galle Germanis. Cum vitri materia in igne liquescit, agit spumã, quæ de eâ verriculo, tanquam recrementum de Argento detrahitur, mox verò concreta in panes candidos cogitur. Saporem habet mixtum, amarum magis quam salsum. Aurifices ad argenti scobem, cum ex eâ massam conficiunt, addunt, ut citius in igne liquescat. Cæsalpinus vocat Sal vitri lib. 1. cap. 20.

Alterum Factitium ex fossili fiebat illo, quod Arabes TINCAR vocabant; hoc Arabicè BORAX, Græcis Chrysocolla dicitur. Tertium ex Quercu aut robore cremata fiebat; Quibus quartum addere licet, quod ex terrâ, nitroso semine impregnatâ, apud nos conficitur, facto nempe ex eo lixivio, & percolato, perque ignis calorem exhalato, ut sal nitri remaneat, quod deinde, si necessum, purificari potest. HALINITRUM hanc speciem vocant. Ad illud conficiendum eligere solent terram ovillo stercore impregnatam.

Variæ præterea dantur Nitri differentiæ, quoad colores, sapores, consistentiam, duritiem, figuram, & ad ignem habilitatem; de quibus consulatur Agricola.

In Novâ Hispaniâ tractus Americani, verissimum nitrum reperiri, testis est Nirenbergius Hist. Nat. lib. 15. cap. 29. qui, ex Francisco Hernando, docet Indis illud quod Arabibus Baurach, nostratibus Borax, Tequixquiel vocari, idque è Terrâ eos verrere ait, crescente lacu, aut è muris antrisve deradere, roseum ac candidum, leve, fistulosum & fragile, percolatumque formam & splendorem nostratis referre; eoque abundare totum lacum Mexicanum.

Nobis aliquot species NITRI sunt, una quæ ex nativo conficitur, quod supra diximus ex TINCAR Arabum præparari, & vulgo BORAX, Arabibus Baurach, quod apud Mauros Nitrum notat. Translucidum est hoc nitrum, micis grandini simillimis, in frustula oblonga compactum. Conficitur Venetiis ex cremato lapide quodam candido & fossili, quem Boracem crudum vocant, & fossile nitrum esse arbitrantur quidam. Sed Cæsalpinus negat, eo quod Nitrum lapidosum, quale circa Memphim saxeis tumulis addensatum scribit Plinius, saporem salsum & amarum habeat: hic vero crudus Borax,

rax, non ſolvitur, nec ſaporem ullum præ ſe fert, ſed uſtione & præparatione mordentem ſaporem acquirit.

Utuntur eo aurifices ad ſcobem auri conglutinandum, quia fuſionem adjuvat, ut Chryſocolla, quocirca à quibuſdam hoc nominis obtinuit. In Medicinâ inſigni vi expellendi pollet, unde ad ſecundinam & fœtum mortuum extrudendum eo utuntur.

NITRI ORIENTALIS exiguum fruſtum, ex Muſeo Paludani acquiſitum, mihi obtulit Henricus Cuſterus Medicinæ Candidatus. Obſcurius eſt, nec ita clarum aut perſpicuum ut noſtrum, ſed ad rubicundum ſeu Roſeum inclinat colorem; ſapore alioquin convenit cum vulgari.

NITROSUM LAPIDEM, nigrum, aſperum, ponderoſum, ex Ætnâ monte, mihi ex Siciliâ redux exhibuit Vir omni laude major D.D. Thomas Bartholinus: pyriformis eſt, inæqualis, unciarum duarum pondere; linguæ admotus eâ parte, quâ magis nigricat, inſignem ſaporem ſalſum & nitroſum de ſe fundit. Durus interim adeo eſt, ut cultro ſcindi aut domari nequeat.

NITRUM hic in Daniâ è Terrâ nitroſâ elaboratum, vulgo Salpeter à Latino Sal Petræ, candidiſſimum & perſpicuum eſt & quaſi diaphanum. Ejus elegans mihi eſt ſpecimen in maſſam, duorum pugnorum magnitudine, eleganter concretum. Pondere eſt libræ civilis unius, Cryſtallinum, forma columnarum anguloſarum obliquè tranſversè, per longitudinem, modis inexplicabilibus diſpoſitarum, ut corpus viſui jucundum exhibeat; concretionis rationem vix quiſquam ſine admiratione contemplabitur.

Vires Nitri mirabiles ſunt. Sordes abſtergit in lixivio reſolutum; Fullones maculas veſtium eo abluunt. Infectores cum eodem coquunt lanas, ut ſorbeant colores.

Veteres, Aphronitro aquâ liquato, in balneo cutim abluebant, ut pura & nitida redderetur. In Medicinâ vim habet diſſolutivam, attractivam, abſterſivam, & humores ſuperfluos conſumptivam; quocirca pinguedinem extenuat ore ſumptum, ſaniem internorum Apoſtematum abſtergit, pediculos capitis necat, aurium vermes interficit, inteſtinorum tormina ſedat cum Cymino & flatus diſcutientibus exhibitum. Cum melle in formam linimenti redactum, faciem clarificat, vitia cutis emendat, oculorum cicatrices delet. Licet viſui ſit candidum & tactui frigidum, in ſe tamen continet ſpiritum rubicundiſſimum, calidiſſimum, & maximè inflammabilem, igneæ prorſus naturæ. A nitro quoque tota pulveris tormentarii vis provenit, qui ex nitro, ſulphure & carbonibus conſtat. A Sulphure habet quod facile accendatur: quia tamen Sulphur totum in momento non accenditur, ſed per partes & ſucceſſive deflagrat, Nitrum & ſubito, & cum impetu; Hinc contrario modo cum ſe habeant, & inflammata ac attenuata majorem capacitatem poſtulent, fulmineus iſte oritur impetus, qui magnâ violentiâ obvia expellit & longiſſimè propellit. Chymici nitrum fuſum in igne adjecto ſulphure purgant & Sal Prunellæ vocant, magnarum virium in inflammationibus faucium & febribus ardentibus; refrigerandi enim vi pollet eximiâ. Qui præparandi modus Plinium non latebat; ſiquidem lib. 31. cap. 10. Salem nitrum ſulphuri concoctum in lapidem verti ait. Franciſcus Hernandus apud Nierenbergium refert Indos ferculis quibuſdam & obſoniis nitrum addere, jucundius atque commodius ipſo ſale, nec tamen omnino ſimilem præſtare effectum, ſed gratius nonnihil accidere.

Propinatur ab Indis Medicis permixtum aliis Medicamentis, quæ iidem PATLI vocant, frigidumque eſſe aſſerunt. In vinum aut lympham conjectum, mirum in modum refrigerare, ipſumque, grandinem, nivem ac glaciem in hac re præſtandâ vincere creditur. Maizi ſpicas in aquâ, cui incoctum nitrum, emolliunt, gratiamque iis addit haud mediocrem; abluuntur eodem aquæ inſperſo. Crura & pedes perquam commode eo lavantur, ut à frigore & fiſſuris tuti ſint; non ſine adſtrictione & corroboratione aliquâ.

CAP. IX.

De Alumine.

ALUMEN Græcis στυπτηρία, à vehementi vi adſtringente ſic dictum, ad Sales etiam ſpectat; hoc peculiare habens, quod, cum carbonibus ardentibus imponitur, vel ollæ incluſum ſuccenſis ignibus torretur, in bullas tumet, ut nitrum, & aliquid de ſuâ perdit ſubſtantiâ. Sed aquâ, ut reliqui ſucci concreti, liqueſcit.

Ejus varia ſunt genera; quoddam à Naturâ elaboratum cernitur, quoddam Ars perficit. NATURALE vel liquidum eſt, vel concretum. Liquidum vel purum eſt, lactei coloris, limpidum, igneum quid exſpirans, quod à Græcis φόεμμον vocari ſolet; vel impurum, ſqualidum, ſcabrum, ſordibus inquinatum, ἀδιάφορον dictum. Concretum varias habet ſpecies: vel enim in laminas ſciſſum eſt, ὀχιστὸς Græcis vocatur, quod tamen non tam alumen quam lapidem ſui generis eſſe autumo, cum nec in aquâ diſſolvatur, nec adſtrictionem habeat. Vel ſigillatim effloreſcit inſtar canorum capillorum, atque idcirco Græcis τριχίτης vocatur. Vel plumoſum ſeu plumeum, quod raro viſitur legitimum. Vidiſſe tamen ſe teſtatur Cæſalpinus lib. 1. de Metal. cap. 21. Prope loca ardentia & ſulphurea, quaſi cinis ſit ſulphuris combuſti, glebis candidis valde adſtringentibus, nunc mollibus, quod liquidum alumen eſſe dicit, nunc concretis in filamenta, quod Schiſton vocari ait. Hujus loco ſubſtituere licet Amianthum lapidem, qui variis modis in locis ſiccis generatur, quandoque figurâ lanæ & pilorum, quandoque fibris oblongioribus, quandoque in formâ truncorum arborum, ſuis tamen conſtans fibris & velleribus. Sed nec hæ ſpecies vere ad alumen ſpectant, cum ejus naturam non ſapiant; de iis potius inter lapides agendum.

Rotundum etiam datur alumen, quod τρογγύλην vocant, & varias habet differentias: vel enim bullarum modo intumuit, vel foraminum fiſtulis ſpongiam refert; vel eſt ſolidum, quod etiam minutiores ſuas agnoſcit differentias.

Arte elaboratum alumen illud eſt, quod ab artificibus, vel ex naturali, vel ex lapidibus aut terrâ ſui generis excoquitur. Eſtque vel RUPEUM ſeu ROCHÆ, quod & glaciale vocant; vel SCAIOLUM, quod ex Schiſto lapide combuſto præparatur; Scaja enim & Scalia cruſtam ſignificat & ſquammam, teſte Scaligero Ex. 104. ſect. 7. vel SACCHARINUM, vel FÆCIS, è vini fæcibus igne combuſtis, vel CATINUM, ex plantâ Kali, ſeu Sodæ cinere. Sed poſteriores Sales potius Chymici cenſendi quam Alumina.

ALUMEN ROCHÆ ſeu Rupeum Scaliger Ex. 104. ſect. 6. ita confici ait. Ex ſaxo fit, ſeu exciſâ rupe, atque redactâ in calcem: eam calcem in cumulis diſpoſitam, aſpergunt aquâ ſæpe de die, donec in luti ſpeciem tabeſcat; Id quod paulo minus ſeſquimenſe perficitur: tum in lebete cum aquâ conturbatum coquunt, coctum per canales in alveos derivant, quorum ad parietes concreſcit alumen inæquale, & grandibus fruſtis, puſtulis faſtigiatis; ea exemptâ aquâ ferramentis decutiuntur. E Rutilâ rupe rutilum, ex albâ candidum fit. Hoc alumen maxime in uſu eſt, & reliquorum ferè omnium vices ſupplet.

In Scaniâ ex Pyrite nigro, vitriolo & Sulphure aluminoſo conſtante elaboratur, quæ ſi rite ſeparari poſſent, poſſeſſori, qui eſt Nobiliſſ. Joachimus Beck, lucrum redderent triplicatum: Alumen quidem & Vitriolum inde elicere novit, ſed Sulphur, ſine reliquorum jacturâ, nondum capere didicit. Pyrites hic quamvis niger ſit & variarum figurarum, etiam Sphæricæ, quando uritur colorem rutilum acquirit, ac optimum ſuppeditat alumen Rupeum.

Mihi ex hoc ALUMINE SCANICO, concreta quædam eſt columna longitudine pedis Romani cum quinque unciis, juxta baſin ſeu radicem ſtrictior, paulatim in amplitudinem majorem exſurgens donec in figuram Pyramidalem terminetur, Adamantem magnum referens ex quadrato; cujus quodvis latus eſt trium unciarum cum ſemiſſe, in acumen deſinens. Politus eſt omni ex parte hic Adamantinus apex, cum reliquum corpus inæquale & aſperum ſit, variis protuberantiis & crepidinibus quaſi conſtans laminatis, corpus conſtituens pulchrum, Cryſtallinum, & viſui jucundum.

Uſum magnum obtinuit Alumen apud Aurifices, Infectores, librarios, coriarios, Medicos & alios. Aurifices eo purgant aurum, ut ejuſdem bracteas æri inducant. Infecto-

res lanam & pannos in aquam aluminosam mittunt, ut colores facilius suscipiant & retineant. Eo etiam utuntur qui coria tingunt. Librarii chartam aquis, in quibus liquatum fuit alumen, immergunt & exsiccant, ne diffluat, utq; atramenti scriptorii acrimoniam meliùs sustineat. In Medicinâ vim habet adstringendi, vulneribus cicatricem inducendi, putrida purgandi, humores exsiccandi, carnem luxuriantem compescendi; quocirca ad multa medicamenta ulceribus destinata commodissime adhibetur.

SACCHARINUM sic dictum, quod ab artificibus in metas instar Sacchari efformatur, fit ex Alumine Rochæ, ovorum albumine, & aquâ Rosaceâ. Locum habet inter Cosmetica, ad mulierum dealbationes & cutim albam ac nitidam reddendam.

CAP. X.

De Vitriolo & cognatis.

AD atramentum refertur VITRIOLUM, quod, ad distinctionem reliquorum, sutorium vocatur, quod eo ad coria nigro colore tingenda utantur Sutores. Vocatur & Chalcanthum à Græcis, quia est æris quasi quædam efflorescentia. Vitriolum, à vitri nitore. Arabibus, Alkalcadis; Germanis Kupferwaßer.

Ad Sales referimus, quia consistentiam Salis habet, & in aquâ, ut Sales, liquescit, licet id neget Angelus Sala tractatu de Vitriolo. Tanti vero rationes ejus non sunt momenti, ut à sententiâ nos dimoveant. Colore quidem, odore & gustu differt à reliquis salibus: sed & illi eodem modo inter se differunt. Nec accidentaliter magis compositum est, quam reliqui, cum suam habeat essentiam, & vim seminalem quâ sibi simile producere valet, crescere & multiplicari, ut reliqui. Quod si forsan per se non reperiatur, in ære tamen & aliis corporibus, ex quibus fit, existit. Nec reliqui sales perpetuo colorem servant & non mutant: puriores enim & albidiores sunt alii aliis: quidam pallidi ex obscuris redduntur. Ex sale etiam communi, non minus variæ substantiæ separantur quam ex vitriolo; & in nitro manifestius hoc apparet, quod diversissimos colores & substantias præparatum exhibet.

Vitriolum vel Naturale est, à naturâ sponte, ex aquâ Sorii, Melantheriâ & Chalcitide confectum: vel Artificiale. Illud fossile appellare licet, quod ex tali constet humore, qui gelu quasi concrevit, idque vel in venis, fibris & commissuris Saxorum, vel dum ex iisdem guttatim destillat, stiriarum modo de eorum pendet cameris, & denique deciduum ex stiriis in solum delapsum ita colligitur. Atque hæc duo posteriora genera σταλακτικὰ Græci vocant, quod destillando concreverint.

Factitium duplex est: Alterum proprie πηκτὸν Græcis dictum, Latinis concretum, quod cum è cuniculis suis effertur, & in quadratas piscinas effunditur, frigore aut calore solis congelatur: Alterum ἑφθὸν, Latinis coctum; decoquitur enim aquâ atramentosâ in alienis quadratis.

Modum explicat Matthiolus in librum 5. Dioscorid. cap. 74. Minera effossa, in acervum in longitudinem protractum, quandam super aream exaggerant; sub die per sex menses relinquunt, vertendo quandoque, dein tegunt & macerari ac fermentari sinunt sub tecto aliis sex mensibus. Hinc aquâ dissolvunt, excrementa subsidere sinunt, claram aquam affundunt, in plumbeis lebetibus coquunt, æris aut ferri frustum immittunt, quod in aquâ liquescit, decoctam materiam eximunt, in alveolos ligneos digerunt, ubi concrescit Aluminis modo. Optimum censetur cœruleum, grave, densum, translucidum, quale est stillaticium, proximum concretum. Percoctum ad infectus & denigrationes aptius cæteris: sed in Medicinâ invalidius.

Ratione coloris, Vitriolum aliud album, aliud viride, saturi aut diluti coloris, aliud cœruleum: præstantissimum è Cypro, territorio Romano, Ungariâ adfertur; laudatur etiam Silesiacum & Goslariense.

Vitriolum in liquore resolutum, servit coriis & lanis denigrandis. Infectores rubrum colorem fuscum reddituri, in aquâ, in quâ vitriolum solutum fuit, iterum coquunt. In usus medicos eligitur potissimum fossile, cœruleum, grave, spissum, pellucidum; secundas tenet quod concretum dicitur, adstringit vehementissime & calefacit, sanguinem è venis fluentem sistit, ulcera putrida & excrescentia minuit, solvit alvum cum melle & aquâ mulsâ drachmæ pondere. Vermes latos etiam necat. Igneæ prorsus est Naturæ, & sulphur ardens in se continet; unde in metallis solvendis, tingendis, generandis, multum

multum præstat. Spiritus ejus ferrum in cuprum mutat. Duos autem in se continet spiritus, Album & rubrum, valde corrosivos; denique in Terrâ remanet sal fixum. Veteres crudo vitriolo drachmæ pondere quandoque usi sunt; sed nos tutius ejus spiritu, qui egregie penetrat & putredinem sistit; quocirca in febribus putridis & pestilentialibus locum habet.

VITRIOLUM ALBUM, Græcis λευκόϊον, quia color ejus similis violæ albæ, Germanis Gallizenstein, maxime ad naturam salis vulgaris accedit, candidum est & transparens, quia de humore aqueo plus participat. Gosselariæ quoddam reperitur stiriæ figurâ, translucidum instar Crystalli. Hoc præ reliquis usum habet in collyriis. Præparatur quoque ex eo in aquâ dissoluto & coagulato Vomitivum eximium, de quo vide Crollium.

VIRIDE DILUTUM GOSLARIENSE est, quod maxime hic in usu fullonibus, & tinctoribus est, ex eoque vulgo spiritus & sales præparant, magisque de naturâ ferri, quam cupri participare creditur.

VITRIOLUM Cyprium, cœruleum est, plane saphirini coloris, in tesseras parvas redactum & asservatum, in superficie luteum quendam adsciscit colorem, quod Misy esse arbitror. Hoc cæteris ad medicamenta præfertur, sed pretiosius est. Commendatur valde ad scabiem & ulcera ex lue Venereâ contracta. Latentem in se habet dulcedinem, nec adeo adstringit ut reliqua. Quod si eo aliquantulum fricetur lingua, ac post per tubulum fumus Nicotianæ seu Tabaci ore excipiatur, dulcedinem quandam acquiret fumus, qui aliàs acris esse solet.

Ex hoc confici posse credo pulverem illum Sympathicum, quem tantopere commendat Nicolaus Papinius peculiari tractatu Parisiis edito, quamvis Romanum viride ipse præferat. Præparatur verò hoc pacto: Sume arbitrariam quantitatem vitrioli Romani, mense Julio vel Augusto, & postquam repetitis dissolutionibus ex aquâ limpidâ, filtrationibus per chartam emporeticam, evaporationibus ad ignem ac coagulationibus in loco idoneo, prout ars Pyrotechnica docet, à fæculento magmate liberatum fuerit, summamque viriditatem consecutum fuerit, contundetur crassiuscule, & ferventioribus Solis radiis, dum versatur in Leone, per horas 360. exponitur, hoc est, diebus 16. vel, ut alii malunt, per 15. vel 18. dies plus minus, prout ad perfectionem, vel minus perfectam calcinationem devenerit, seu summam albedinem. Hic observandum, quod à pluviâ & aëre humido defendendus, nec ferro versandus pulvis, Sole Leonem ingrediente exponendus. Præparatus pulvis loco sicciore asservandus. Per plures annos potest asservari.

Pulverem hunc compositum reddes in vulneribus cum fracturâ aut fissurâ utilem, si tantundem ei addideris gummi Tragacanthi pulverisati. Pulvis hic linteo, cruore aut pure læsi tincto, insperfus & alio involutus curat vulnera & ulcera incurabilia; de quibus consule authorem.

COERULEI coloris est etiam VITRIOLUM NATIVUM Sueticum, in fodinis Cupreis sponte natum & nullâ arte elaboratum, colore cœruleo. Cyprio non cedit, nisi quod Cyprium Crystallinum sit, hoc verò dilutius aliquanto, asperum & inæquale. Massa ipsa exterius flavescit à calore Solis, ut puto, aliquantulum alterata, fungosa, nec admodum ponderosa. Frustum, quod teneo, uncias quatuor cum semisse pendet, & ex fodinis Sueticis eruit ac secum detulit, mihique dono dedit Nobiliss. Vir Dominus Johan. de Marigny Gallus, dum hic in comitatu esset Illustriss. Domini Thuillerii, Christianissimi Regis Galliarum ad Reges Septentrionis Legati extraordinarii.

VITRIOLUM NORVAGICUM. In Norvegiâ simile Vitriolum elaboratur arte, magis ad cœruleum quam viridem tendens colorem; verum non in Massis, sed granulis asperis & inæqualibus prostat: viribus & facultatibus nulli cedit.

VITRIOLUM SCANICUM, à Nobiliss. Viro Domino Joachimo Beck elaboratur ex Pyrite nigro argenteo, unà cum alumine, de quo supra diximus, elegans certè, viride, transparens & Crystallinum. Mihi ex eo columna est, quæ circa baculum ligneum concrevit, pondere sedecim librarum, longitudine pedum duorum minus unciis duabus, in circumferentiâ crassitie pedem unum cum semisse habet, ex variis crystallis viridibus angulosis concreta, eleganti figurâ & habitu, sed ab aëre humido aliquid ejus in liquorem resolvitur viridem, qui deinde facile rursum coagulatur.

Ad hoc ATRAMENTI genus, quod sutorium vulgo dicunt, & reliqua referuntur, Chalcitis nempe, Misy, Melantheria, Sory; nigro enim omnes inficiunt colore, & à Pyrite

æroso ortum trahunt, à se invicem quoque gignuntur æquè atque à Pyrite, qui est quasi stirps horum omnium. Potissimum fit Sory ex Melantheriâ, ex Sory Chalcitis, ex Chalcitide diversæ species Vitrioli.

CHALCITIS rubra est, ærei coloris, semper nativa, nunquam factitia, dura, glebosa, optima recens, speciem æris præ se ferens, cui oblongæ & resplendentes sunt fibræ. Facultates habet mistas adstringentem & acrem, sed vincit acris, quæ adeo vehemens, ut carnem urat & crustam efficiat, sed usta mitior evadit. Ingreditur compositionem Theriacæ, ut nigriorem colorem ei conciliet, ut volunt quidam. Sed vix jam haberi potest; quocirca ejus loco substituunt Vitriolum ad rubedinem calcinatum, quod Colcothar vocant. Cæsalpinus Vitriolum viride & candicans ad genera Chalcitidis refert.

MISY est affine Chalcitidi, viribus & ustione, Cyprium reliquis præfertur, auro simile, (Agricola cinereum & nigrum statuit) durum, quod fricando auri colorem imitatur, & stellæ modo splendet. Effloresci non solum ex Chalcitide, Sory & Melantheriâ, sed ex omni etiam Vitriolo, tam nativo, quam factitio, teste Agricolâ, quamvis Cæsalpinus hodie vulgò non cognosci ajat. Illud vero, quod à reliquis effloresci, scintillis destituitur, juxta Agricolam.

MELANTHERIA modo lanugini, modo salsugini similis est, lutei quoque coloris, reperitur ad ostia fodinarum, ex quibus æs eruitur, modò adsit Pyrites. Vim causticam obtinet ut Misy, & omnia adstringentia tenuitate superat; nigredinem non gignit madefacta, nisi ferveat.

SORY quidam Melantheriæ speciem esse voluerunt, eisdemque esse coloribus, sed differt odore gravi & nauseoso, ut quasi fulmineum quid præ se ferat, porosum est, easdem cum reliquis habet vires, adstringit & urit. Quatuor hæ species sæpe simul inveniuntur, ubi conficitur Vitriolum, sed cognitu difficiles. Galenus 9. simpl. ait se in Metallis Cypri vidisse ternas zonas junctas, quarum infima erat Soryos, suprema Misyos, media Chalcitidis. Eorum loco vulgo substituitur Vitriolum variè calcinatum; leviter enim ustum bullas exhibet instar Soryos, magis adhuc, flavedinem acquirit instar Misy, acrius adhuc calcinatum, rubescit instar Chalcitidis.

CAP. XI.

De Sulphure.

A Salinis corporibus, ad pinguia, Sulphurea, & bituminosa transitum faciamus. Hæc oleo solvuntur & miscentur, ut illa aquâ. Ex calidâ & siccâ exhalatione provenire vulgo statuunt. Verùm ut non negandum ex elementis constare, ita simul affirmandum, hæc non minus ac reliqua corpora in primâ creatione formas accepisse à Deo Opt. Max. à quibus virtus etiam dependet seminalis, quâ sese propagare & speciem suam conservare valent. Hinc etsi ubique sint elementa & exhalationes, nullibi tamen hæc generantur, nisi ubi hæc adest forma & virtus, quæ mistionem dirigat, & ad hoc opus, non vero aliud formandum disponat. Omnia hæc dividimus in Sulphur & ei cognata, ac Bitumen. Quæ etiam vel liquida sunt, ut bituminis quædam species, vel sicca, ut sulphur. Analogiam vero quandam habent cum pinguedinibus in corporibus animalium; ut enim inter solidas partes hæ concrescunt, ita illa inter dura terræ viscera.

SULPHUR, Græcis θεῖον, forsan quod in expiationibus sacrisque vetustatis olim ejus usus extiterit, succus est mineralis constans parte inflammabili, gravem odorem de se præbente, & terrâ crassâ, fixâ, succum chalcantosum admistum habente. In Metallorum generatione Chymici partes agentis ei tribuunt, dum Mercurium coagulat spiritu Metallico & seminali accedente principio; eo verò si destituantur, Metalla destruit & consumit.

Estque duplex, FOSSILE seu Vivum & Nativum, quod Græci ἄπυρον vocant, seu ignem non expertum, & FACTITIUM, πεπυρωμένον dictum, igne depuratum. Nativum illud triplex est: Impurum, quod ex Islandiâ adfertur & demum depuratur; Purum, ex Goslariæ fodinis; & Fixum, ex monte Vesuvio. Factitium, variis modis fieri solet: Quibusdam in locis ex aquis decoquitur; ut ad Budam Pannoniæ: Alibi ex effossâ glebâ & in vasis coctâ perficitur igni; ut in multis Italiæ locis, Senensi, Puteolano & Volaterrano tractu. Fit autem hoc pacto. Effoditur impurum Terræ & lapidi commistum quod-

quoddam, pumicosum, tenuibus scintillis micans ad Solem, aliud densius, aliud translucidum, aliud cinerei coloris, in urnis fictilibus coquitur, ignem in fundo tantum sentientibus.

Sic sublimatur purior substantia, quæ cum ascenderit ad superiorem vasis regionem, per rostrum descendit in aliud vas liquatum olei modo inde egressum, in loco frigido coit variâ figurâ. Aut Pyrites eo stillat, & in ollis coquitur, ut cernere licet in Saxoniæ Brambecco & Hadzkeredo, ditione Principum Anhaltinorum. Est etiam Virgineum & Caballinum dictum.

Varia SULPHURUM cum nobis sint genera, primum locum tribuimus ei, quod, cum purissimum sit, etiam Crystallinum conspicitur. Elegantius certè non vidi: Nam aureum plane est, & instar Crystalli pellucidum. Exigua ejus massula mihi est, vix drachmam unam pendens, simile plane ei, quod Musei Calceolarii autor vocat sulphur vivum ex Peruanæ Provinciæ fodinis aureis erutum, quod colore fulvo aurum purissimum æmulari videtur, ac ita pellucidum ut vitro assimiletur.

Sed eo discrepat, quod, vermiculis in unum conglobatis, instar Alcionii tertii Dioscoridis non sit. Meum enim massam solidam Crystalli refert. Sed magis ei competit descriptio à Monarde cap. 56. apud Clusium producta. Ex Quito regione Peruanâ provenire ait, ubi eruitur ex venis proximis aurifodinis. Hujus pulvis vino dissolutus, & per aliquot dies faciei vespere illitus (purgato prius corpore) inflammationes curat. Scabiem tollit oleo Rosaceo mixtum. Vide reliqua. Ejus ex Norvegiâ copiam insignem mihi attulit D. D. Jacobus Janus, Medicus Regius.

Huic succedit aliud etiam AUREI coloris, purum, in stirias concretum, & in glebæ Cylindricæ modum convolutum, sapore & odore planè sulphureo, simile ei quod è locis fulmine tactis exhalat. Rarum est & leve, ob aëream humiditatem & pinguedinem naturalem. Hoc verè ἄπυρον & vivum, quod locum in Medicamentis præ reliquis habet. Per se enim à Naturâ ita depuratum, ut artis adminiculo non egeat; sed, loco florum sulphuris, usurpari potest.

SULPHUR FIXUM ἄπυρον Puteolanum, subviride, subtilissimum, colligitur in monte Vesuvio Regni Neapolitani, qui perpetuò sulphureâ flammâ flagrat. Hoc instar Roris exsudantis & formâ pulveris subtilissimi sublimatur, adeo fixum ut in ignem conjectum non flagret aut flammam concipiat. Loco florum Sulphuris in Medicinâ usurpari potest. Quod si in copiâ haberi posset, inquit Crollius, posset verus Spagirus singulare sibi ex illo Medicamentum Chymistico Magisterio elicere.

Aliud mihi est SULPHUR VIVUM PUTEOLANUM, in massâ albâ seu cinereâ, levi, fungosâ, cujus superficiei adhæret crusta quædam Sulphurea lutea, ex ipsâ massâ, calore ardentis in monte foci, ut videtur extrusa.

Cui affine SULPHUR PUTEOLANUM CRUDUM, sed colore differt, flavum enim est, ponderosum & impurum adhuc, ita tamen ut non multum scoriæ admixtum habeat; adeò ut à Naturâ aliquo modo ita depuratum videatur, ut in usus traduci valeat.

SULPHURIS CRACOVIENSIS MINERA. Lapis est cinereus, ponderosus, durus, inæqualis, albicantis Sulphuris venas hinc inde per totum corpus dispersas habens; quæ subinde flavescunt. Arte purum ab impuro separandum, ut inservire usibus possit.

SULPHUR SUBVIRIDE NATIVUM Sueticum. Ejus massam elegantem ex fodinis cupreis Sueciæ mihi attulit Insignis Juvenis Joan. de Marigny Gallus, quod figurâ bifidum refert Parnassum, apice uno eminentiori, à Naturâ ipsâ depuratum, & guttatim eleganter concretum, ita ut aspera & prærupta montium æmuletur. Totum corpus uncias pendet quatuor, in longitudinem ad pollices quatuor ascendit, latitudine duorum; quà apex summus est, duas non superat. Hujus generationis modum indicasse videtur Agricola de Nat. Foss. lib. 3. cap. 24. de figurâ Sulphuris agens, ait quoddam genus esse, in quo singulæ guttæ ad similitudinem & magnitudinem grani Dolichi, cui cauda sit similiter rotunda, figurentur. Ex talibus enim concreta nostra massa videtur.

SULPHUR VIVUM ISLANDICUM, ex Heclâ monte petitum, cinerei coloris, porosum, leve, intermicantibus micis, & sulphuris puri venis. Ex hoc Mercatores nostri purum sulphur excoquere hic solent & divendere.

SULPHURIS VIVI cinerei, denſi, ſubnigricantis, gleba impurior eſt; attamen ex eâ quoque coquitur ſulphur purum, quod vulgo eſt in uſu.

Inter ARTIFICIOSA primo occurrit SULPHUR FLAVUM, ignem expertum, figurâ tereti, eo quod per fiſtulas arundinaceas ſit percolatum.

VIRGINEUM dictum ſulphur, pallidius eſt, & figurâ panis coagulatum. Virgineum dicitur, quia ejus ſuffitu utuntur virgines ad capillos rufandos, quod etiam lanis candorem & mollitiem adfert.

SULPHUR NIGRUM, CABALLINUM officinis dictum, quia equorum ſcabiem eo curare ſolent. Hoc nigrum eſt, ex ſquammâ ferri & ſulphure ſimul miſtis ac in urceos transfuſis, conficitur. Exterius ſulphure luteo vulgari obductum eſt.

Eſt mihi & Sulphuris genus, quod Anno MDCXLVI. decimo-ſexto Maji hic Hafniæ ex aëre decidit. Eo enim die cum pluviâ ingenti tota urbs, omneſque ita inundarentur plateæ, ut greſſus hominum impediret, Sulphureoque odore aërem inficeret, dilapſis aliquantulum aquis, quibuſdam in locis colligere licuit Sulphureum pulverem, cujus portionem ſervo, colore, odore, & aliis, verum ſulphur referentem.

Sulphuris uſus multus eſt. Græci & Romani ejus ſuffimentis crediderunt expiari poſſe religionem ædium. Fullones, veſtes lixivio ablutas, ſulphure ſuffire ſolent, & infectores lanas, ut candorem & mollitiem eis concilient. Sulphuratis ellychniis cum ſilice & ferri conflictu flammam elicimus, quâ candelam accendimus; igni enim valde amicum. Ingreditur quoque compoſitionem pulveris tormentarii. In Medicinâ etiam locum invenit. Vim enim habet calefaciendi & attrahendi, venenatorum animalium ictibus impoſitum. Ex aceto venenum extrahit. Abſtergit quoque, unde cum reſinâ illitum ſcabiem curat, vitiligines ex aceto tollit. Propinatur ad purulenta exſpuentes, ſuffitu gravedines aufert, & Lethargicos excitat. Epilepticos ejus nidor irritat. Varia ex eo conficiunt Medicamenta Chymici.

Cum hydrargyro ſublimatum fit cinabrium. Fumus campanâ vitreâ exceptus, in liquorem decidit, ſeu oleum acidum. Subtilior ejus pars per ſublimationem in flores exaltatur, ex quibus deinde Balſamus ſulphuris præparatur, in Peſte & Morbis malignis magnarum virium.

CAP. XII.

De Arſenico.

AD ſulphuris naturam quam proximè accedit AURIPIGMENTUM Plinii, Græcis ἀρσενικὸν dictum, quamvis etiam cum Metallis affinitatem habeat aliquam. Cum ſulphure in eo convenit, quod cito ignem concipiat & inflammetur, & flammam reddat odoris ſulphurei, in calido diſſolvatur & exhalet in fumum volatilem, odorem habens multo deteriorem ſulphure, ſpiritibus animalibus cerebri valde infeſtum. Cum Metallis convenientiam hanc habet, quod inſtar metalli ſplendeat, &, ſi fundatur, aliquid metallici poſt ſe relinquat.

Cæterum vox ARSENICI quandoque latius ſumitur, quandoque ſtrictius. Late ſub ſe comprehendit Auripigmentum, Riſagallum & Sandaracham, de quibus junctim hoc capite agendum. Strictè ſolum Riſagallum notat, ex Auripigmento confectum. Tria verò hæc naturâ & facultatibus ita conveniunt, ut non niſi ratione majoris & minoris coctionis differant: aliud enim magis excoctum, aliud minus; aliud plus, aliud minus de hydrargyro & ſale cum ſulphure miſto participat. Hinc quidam Auripigmentum vocant Arſenicum croceum, Sandaracham Arſenicum rubrum, Riſagallum Arſenicum album.

Eſt autem AURIPIGMENTUM, ab aureo colore ſic dictum, ſuccus mineralis ſulphureus, conjunctum habens Lithargirum paucum & ſpiritum ſalis. Ejus tria dantur genera. Unum ex tenuibus conſtans cruſtis, tanquam ſquammis, ut altera alteri impoſita videatur, ac fundi poteſt inſtar Lapidis ſpecularis, colorem auri exprimens. Præſtantiſſimum habetur ſi purum ſit, & aliis non permiſtum. In Myſiâ Helleſponti gigni vult Dioſcorides. Vide Talcum aureum, quod omnino hoc genus Auripigmenti eſſe arbitror. Alterum auri colorem imitatur formâ pulveris exiſtens. Tertium colore fermè Sandarachæ, glebosum, ex Ponto & Cappadociâ olim advectum.

Auripigmenti ſapor acris eſt, uſtum ſulphur olet: Pictores opermentum vocant, eoque

que pingunt; Medici ad psilothra & medicamenta pilos auferentia utuntur: si diutius cuti adhæserit, eam erodit, quia vim urendi habet, humidumque radicale depascitur; interim ex eo, & Arsenico albo, Amuletum conficitur, quod contra pestiferum contagium collo gestatum, à multis in magno est pretio.

ARSENICUM ALBUM, Risagallum, quibusdam Realgar, factitium quid est, ex Auripigmento elaboratum: toties enim cum sale sublimatur, donec candidum reddatur. Modum ita delineat Agricola: Crustis auripigmenti fossilis tantundem salis fossilis adjiciunt, trita in duobus fictilibus vasis, patellarum instar latis, nec admodum profundis, intus plumbo illitis, & quà committuntur obturatis luto, coquuntur, usque dum totum Auripigmentum in sublime sublatum fuerit & sublimiori vasi adhæserit; deinde iterum ac sæpius teritur & coquitur, doneccandidum fiat.

Venenum est inter Septica vehemens, quocirca ad glires & mures necandos adhibetur. Æs, ejus fumo, candido colore tingitur, ut Argentum æmuletur. Eo multa in transmutationibus Metallorum præstare se putant Chymici. Per nitrum calcinatum, Mercurius ejus volatilis & sulphur tollitur inflammabile, ut relinquatur pinguedo quædam butyracea, quæ extra corpus ad fistulas & ulcera difficilia usum suum habet.

SANDARACHA ejusdem naturæ est cum Auripigmento, & in eisdem Metallis reperitur in quibus Auripigmentum, solo colore videtur differre, quia vel saturato colore rubro est instar Cinnabaris; aut minus rufa & sublutea. Præfertur rufa & saturatior, friabilis, pura, ad cinnabaris colorem accedens, odore sulphuris graviori, si teratur aut uratur. Est vel Naturalis, de quâ jam dictum; vel Artificialis. Hæc fit ex Auripigmento in ollam, cujus os obturatum, conjecto, & quinque horis in furno cocto, tum enim Sandarachæ colorem acquirit. Plinius aliam ponit speciem Sandarachæ factitiam ex Sandarachâ coctâ, quæ tamen proprie Sandaracha dici non meretur, sed à Dioscoride SANDIX vocatur.

Pictores & Torneatores ejus usum sibi vendicarunt ad pingendum: Medici inter Escharotica, & illa, quæ urendi vim habent, eam ponunt, nequaquam intra corpus sumendam.

Diligenter hic notandum; inter Sandaracham Arabum & Sandaracham Græcorum magnum esse discrimen. Græci per Sandaracham intelligunt eam quam jam delineavimus.

Apud Arabes Sandaracha est gummi Juniperinum, quod etiam Vernicem vocant vulgo. Hoc qui non observant in Medicamentorum compositione, periculosos committunt errores, cum hoc sæpe ingrediatur Medicamenta intro sumenda, illud vero venenum sit, nequaquam intra corpus admittendum.

CAP. XIII.

De Bitumine.

BITUMEN, Græcis ἄσφαλτος, est corpus fossile, similare, inflammabile & pingue, cum quo ubi Sales concurrunt, aliæque metallicæ concretiones, in varias species dispescitur. Generatur in cavernis terræ & inde vel in mare effunditur, ibidemque ejicitur; vel è terrâ solum, vel cum aquis mistum effluit aut effoditur.

Facile omnia bitumina inflammantur, &, cum semel flammam conceperint, rapidè ardent, & affusâ aquâ non extinguuntur, sed magis ardent. Causam hujus rei esse putant, quod cum talia inflammantur, non in superficie solum, ut ligna & alia, sed penitus tota conflagrent & ignea evadant. Hinc cum superficiei aquæ affunduntur, concentratur per antiperistasin ignis internus, vehementiusque agit, affusamque aquam dissipat, fulgentiusque emicat. Hæc etiam ratio est, cur sub aquis multa bituminosa ardeant. Mirum & hoc est, quod aquâ gaudeat hic ignis, eaque, quæ reliquos ignes nutriant, hunc exstinguant: ut oleum, sulphur, paleæ, fimus. Quod eâ de causâ fieri videtur, quia siccitate cum igni conveniunt, & suâ frigiditate exstinguunt, dum facile amica uniuntur; vel potius quod eventilationem prohibendo suffocent, & aëris nutrimentum excludant.

In genere Bitumina omnia vim habent calefaciendi & discutiendi, unde ad humores frigidos dissipandos adhibentur in Paralyticis & Epilepticis; atque eosdem effectus habent Thermæ fontesque Medicati, qui Bitumine & Sulphure constant.

Bitumen omne, vel liquidum, vel concretum eſt. Liquidum eſt Petroleum, Naphtha, Bitumen Judaicum, Piſaſphaltum, Maltha.

PETROLEUM quaſi petræ Oleum, quod è petris validiſſimo odore extillet. Subtile eſt oleum, varii coloris; vel enim candidum, vel flavum, vel rubrum, vel nigrum eſt. Inter hæc verò candidum præſtantius, nigrum vilius. In Italiâ in agro Mutinenſi reperitur, & è petris extillat, candidum & rufum, quod vetuſtate & coctione craſſeſcit. Unà cum aquâ effluit,&, qui colligunt, aquam ſcopis quaſſant, ut oleum omne in uno angulo uniatur, quod deinde cochlearibus aufertur.

In Siciliâ fontibus innatat,& oleum Siculum vocatur. Ad lucernarum lumina, inſtar olei utuntur, & ad ſcabiem jumentorum. Sed calefacit, ſiccat, penetrat, ob eſſentiæ tenuitatem; humores excrementitios diſcutit; in Paralyſi & nervoſarum partium doloribus frigidis utile.

NAPHTHA bitumen ſubtiliſſimum eſt, vel potius bituminis liquidi ſpiritus, ex Babylonico bitumine potiſſimum extractus, cui tanta cum igne cognatio, ut ex intervallo diſtanti ignem ad ſe rapiat, ac Solis calore accendatur. Unde Plinius procul abeſſe ab omni uſu dicit. Plutarchus in Alexandro ſcribit, Naphtham à quibuſdam Pharmacum Medeæ appellari, quâ coronam & peplum Creontis filiæ inunxerit atque hac arte combuſſerit. Nulla bituminis ſpecies eſt, quæ tantam vim habeat penetrandi & exſiccandi atque hæc; quocirca ad humores frigidos diſcutiendos, Colicis, Lethargicis, Apoplecticis & Paralyticis inungi poteſt. Magnam cum Naphthâ affinitatem habet Oleum ceræ deſtillatum, tam ratione facilis accenſionis, quam penetrationis.

BITUMEN JUDAICUM, quod in lacu Judææ naſcitur, adeo lentum & ſequax eſſe fertur, ut avelli nequeat præterquam filo quod menſtruum mulieris infecerit. Quod in Babylone provenit, commendatur, ſi purpuræ modo ſplendeat, ponderoſum ſit, & validum odorem vibret.

Ejus generis quoque eſt PISASPHALTUM, quod picem Bitumini miſtam redolet, & in Apollonio Epyri invenitur, quia fluminis impetu ex montibus devolvitur Cerauniis, & in glebas cogitur. Quamvis alii Piſaſphaltum artificioſum quid eſſe ſtatuant, ex bitumine liquido impuriore & pice compoſitum, quod picandis navibus inſervit.

Tria hæc Bituminis liquidi genera non niſi ſecundum magis & minus differunt, ut quidam ſtatuunt; ita ut pars ejus ſpirituoſior & ſubtilior ſit Naphtha, huic proxima Petroleum, craſſior & fæculenta Aſphaltum; non ſecus ac videmus ex ſuccino per deſtillationem primò elici ſpirituoſum & limpidum oleum, quod Naphtham repræſentat, mox oleum flavum, demum materiam nigram & fæculentam. Hinc Agricola uni eidemque rei diverſa impoſita eſſe nomina autumat, quorum numerus crevit ex diverſarum gentium vocabulis. Babylonii enim Naphtham vocant ſuo nomine, Samoſathæ Maltham, Mauri Arabice Hafra.

MALTHAM huc quoque pertinere volunt quidam; verum non merum bitumen, ſed ejus colamentum limo argilloſo miſtum eſſe videtur. Cum quid attingit ſolidi, adhæret,in jungendis & ferruminandis muris Calcis uſum præbet. Vitruvius ad Babylonis muros exſtruendos adhibitam fuiſſe docet lib. 1. cap. 5. Verum Cæſalpinus lib. 1. de Metallicis, Maltham tanquam artificioſum & miſtum quid deſcribit. Ait enim eſſe Cæmenti genus tenaciſſimum, & duritiem lapidis antecedens, quod fieri ſcribit ex calce vivâ recenti, vino exſtinctâ, mox tuſâ cum adipe ſuillo & ficu, duplici linimento. Id,quod Malthatur,oleo perungitur ante. Hinc colligere licet Maltham duplicem eſſe: Naturalem, quæ Bituminis ſpecies,& quâ exſtructi muri Babylonici; & Artificialem,à Cæſalpino deſcriptam.

Sic etiam ſe res habet cum Piſaſphalto, MUMIA Arabibus dictâ, quæ etiam ſumitur pro miſturâ, quâ condire cadavera ſolebant, ne in ſepulchris putreſcerent.

MUMIA namque talis eſt condimentum cum ſanie cadaverum miſtum & exſiccatum Bituminis modo circa oſſa concreſcens, colore nigro vel ſubflavo, ab interitu cadavera vindicans. Eſtque duplex: ex pice & bitumine conſtans, quæ Piſaſphaltos dicitur; & nobilior, ex Aloë, Myrrhâ aliiſque aromatibus, cum ſanie cadaverum miſtis, conſtans.

Errant igitur qui pro mumiâ, in ſuis cavitatibus corporis concretâ, ipſam carnem ſumunt cadaveroſam. Integra cadavera ita condita ex Ægypto adferuntur, ſed præferun-

tur

tur Magnatum, eo quod illa Aromatibus & Balſamis condita, unde nobilior fit Mumia. Plebejorum ſolo Aſphaltho inunguntur.

Mihi CRANIUM PUERI eſt ita conditum, ut & manus ſiniſtra, in quâ ungues adhuc ſunt, & linteum quo obvolvebatur.

Commendatur Mumia ad frigidos corporis affectus, tam in potu, quam extra, ad dolorem capitis antiquum, Paralyſin, Vertiginem, Epilepſiam, Singultum, Cardiacam, Tuſſim; ſed præcipue ad ſanguinem ſiſtendum, & fracta membra conſolidanda.

Concretum Bitumen varium eſt; nam vel intra Terram denſatur, mutaturque in aliquam lapidis duritiem, vel extra Terram. Intra Terram generatur bitumen foſſile, quod, pro modo concretionis, varia nomina ab autoribus obtinuit; ut enim cum bitumine liquido plus lapideæ & terreæ concretionis ſe miſcuerit, ita hoc vel illud nomen obtinuit: Atque hinc eſt quod in naturâ talium corporum bituminoſorum inquirendâ magna occurrat difficultas, cum Autores ſæpe ad locos natales reſpicientes, ab iis nomen impoſuerint; atque ita res eaſdem ſæpe ſegregent & disjungant, quarum natura & generatio eadem ferme eſt. Nos Agricolam ſequi decrevimus, qui eorum naturam diligentiſſimè inveſtigavit.

Quod Galenus vocat LAPIDEM AMPELITIDEM, ab aliis rei ruſticæ ſcriptoribus dicitur TERRA AMPELITIS, quod Vermes Vitium oculos rodentes, κνίπας à Græcis dictos, enecet. Theophraſtus CARBONES vocat, quod eorum colorem habeat & vices gerat.

Quando idem hoc corpus adeo durum eſt, ut politi poſſit, GAGATES, à Lyciæ fluvio Gagâ, dicitur: Strabo GANGITIM vocat. Politum à Plinio GEMMA SAMOTHRACIA appellatur. Nicandro THRACIUS LAPIS, quibuſdam OBSIDIANUS LAPIS.

Hæc omnia ex eodem fonte proveniunt, & radicem agnoſcunt bitumen nigrum: ex vario concretionis modo, & rerum aliarum admiſtione, diſcrimen ratione ſoliditatis & duritiei obvenit. Quæ enim plus Bituminis habent, facile flammam concipiunt; quæ plus ſucci lapideſcentis, difficulter accenduntur, ſed polituram admittunt exactiorem.

CARBONES FOSSILES ſeu LITHANTRACES, fabris ferrariis apud nos ſunt in frequenti uſu, vulgo Steen-kol. Inveniuntur in Scaniâ non procul Helſingburgo, in Boringholmo quoque, ſed maximâ copiâ ex Scotiâ ad nos deferuntur, ubi prope Edinburgum effodiuntur. Putantur ferrum fragile reddere. Loco lignorum ad coquendos cibos & hypocauſta calefacienda frequentiſſimè utuntur Angli. Pilos & palpebras colore nigro tingunt. Vi exſiccandi & digerendi pollent. Ex durioribus, globulos, ſtatuas parvas & gemmas concinnant multi.

Ex Inſulâ Feroënſi & Iſlandiâ durioris genus adfertur, quod non facile ignem concipit aut inflammatur, ſplendorem tamen habet, ut ad GAGATEM aut LAPIDEM SAMOTURACIUM referendum videatur. In Feroënſi Inſulâ inter Saxorum & Cautium commiſſuras invenitur, ac laminatim eruitur, ſingulæ laminæ trium aut quatuor digitorum craſſitiem habent. GAGATEM FEROENSEM voco. Ignem non concipit ut Lithantrax, ut experimento ſæpius didicerunt fabri noſtri ferrarii, minus enim in ſe continet Bituminis & plus terreæ ſubſtantiæ. Eique plane ſimile quod ex Iſlandiâ accepi.

Huc ſpectat PIX FOSSILIS ex inſulâ Barbados. Hæc inſula una eſt ex inſulis Cannibalibus, ſitis ad continentem auſtralis Americæ, à quibuſdam Barbados, ab aliis Barbudos dicta. Effoditur ibi picis ſolidæ & nigerrimæ quoddam genus, leve, poroſum, cujus portiunculam mihi tranſmiſit Clariſſ. Vir Johannes de Laet, Americanæ Hiſtoriæ autor; totum vix pendet ſcrupulos quatuor, magnitudine Nucem Moſchatam non ſuperat. An eâ ad naves oblinendas utantur, nondum conſtat.

Extra Terram in MARI concreſcit SUCCINUM, ſic dictum, quod ex ſucco coagulari quidam exiſtimaverint, Græcis Ἤλεκτρον, Arabibus Carabe, quibuſdam Ambra citrina, veteribus Germanis Gleſſum, Boruſſis Gentarum, nobis Raf. Hodie ad littus maris noſtri colligitur formâ maſſæ ſeu glebæ nullam certam figuram aut formam habentis, duræ ſolidæque ſubſtantiæ inſtar lapidis, unde ad lapides à quibuſdam refertur. De ejus generatione variæ ſunt autorum ſententiæ: probabilior illa, quæ ſtatuit ex Bitumine liquido ortum trahere, quod è cavernis ſuis effluens maris ſalſugine coaleſcit, tenuique portione excluſâ induratur. Vel, ut quidam volunt, ſuccum bituminoſum à ſubterraneo calore in ſpiritus reſolvi & ſublimari, ac intra poros terræ à nitroſis ſpiritibus iterum figi

figi & coagulari. Cum Chymicis notum ſit, ſpiritum ſalis non ſolum alios ſpiritus, ſed & oleoſa quævis congelare & coagulare. Reperitur quandoque Purum & Syncerum, quandoque beſtiolis permiſtum, herbis item, lignis, Chalcantho, aliiſque ſordibus. Perſpicuitatis & opacitatis ratione, varias habet differentias. Panno ubi fricatur, paleas & ſcobes ſiccas attrahit. Igni admotum flammam concipit, & odorem gravem de ſe ſpargit. Non ex alio principio quam Bitumine ortum trahere, id arguit, quod quibuſdam in locis Germaniæ, Italiæ, Galliæ, è terræ mineris eruatur, & fruſta ſint inventa, quæ foris ſuccinum coagulatum exhibuerint, intus purâ Naphthâ ſeu Petroleo referta extiterint. Quin & varia mineralia, Chalcitis, Melantheria, aliaque ejus generis illi adnata extitiſſe conſtat. Idem comprobat Chymica ejus reſolutio, in quâ extillat, præter Oleum album, Naphthæ ſubtilitate reſpondens, ubi rectificatum fuerit, flavum & rubrum, ſpiritus aluminoſus & ſalſus cum phlegmate egreditur, & Sal collo Retortæ adhærens, à quo coagulatio facta eſt.

Reperitur apud nos copioſe ad Cimbriæ littus occidentale, ut quæſtum inde jam faciant multi. Veriſimile tractus iſtos Arenoſos bitumine refertos, quod, ubi in mare exſudat, coagulatur eo modo quo dictum eſt. In Boruſſiâ ad maris Balthici littora, ortâ tempeſtate Sudini retibus illud piſcantur. In Sileſiâ ſub arce Greifenſtein è Terrâ eruitur, ut & quandoque Iſlebiæ. Quatuor ejus potiores ſunt differentiæ: unum album vel candidum, non tranſparens, cæteris pretioſius; alterum auri modo flavum & tranſparens; tertium variis coloribus ornatum, interdum tranſparens, interdum opacum; quartum opacum variiſque coloribus ignobilioribus, uno aut pluribus fœdatum.

Succinum calidum eſt & modicæ adſtrictionis, in uſu medico album præfertur flavo, commendatur ad varios affectus. Foris in collo geſtatum, contra faſcinationes & nocturna terriculamenta pueros tueri volunt; capitis etiam deſtillationibus, & tonſillarum ac faucium vitiis reſiſtere, oculorum fluxus & ophthalmias curare. Cordis & cerebri affectibus medetur, ſpiritus vitales & animales conſervat, Aſthmaticos à paroxiſmo liberat, urinæ difficultati & calculo ſuccurrit, Hydropicos per urinam purgat, gonorrhœam, hæmorrhagiam & difficultatem inteſtinorum compeſcit, dentium dolores ſedat, menſes movet, uteri fluorem ſiſtit, & ſtrangulatum peculiari vi prohibet. Renes & matricem purgat, ventriculi vitia corrigit. In ſummâ, Balſami inſtar eſt, calorem nativum roborans & morborum inſultibus reſiſtens.

Ad omnia verò efficacius eſt oleum ex eo debito modo præparatum, quod à quibuſdam non immerito Balſamum Europæum vocatur, ac veri Balſami loco haberi poteſt. Olim tanto in pretio erat, teſte Plinio, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum, vigentiumque pretia ſuperaret.

Succini omnia genera in Muſeo demonſtramus. Primo enim occurrunt SUCCINI ALBI non pellucidi fruſta, inter quæ unum eximium duarum librarum pondere cum ſemiſſe, quadratum fermè, longitudine pollicum octo, latitudine quinque, odoris gratiſſimi; reliqua minutiora. Inter hæc verò gradus candoris obſervare licet, dum quædam magis, quædam minus ad flavedinem tendant. Eſt & fruſtum quod fulvi ſuccini conjunctam oſtendit particulam.

SUCCINI FULVO colore, auri modo ſplendentis & tranſparentis elegans ſequitur Maſſa, figurâ pyramidali, in quâ rivi quaſi & ſtiriæ effluentis bituminis liquidi clara extant veſtigia, protuberantibus hinc inde inæqualiter ſtriis. Hanc cum Natura, ſine artis miniſterio, politam adeo & elegantem reddiderit, ut ab artifice nullo melius poliri poſſet, ſpectaculum præbet gratum & jucundum.

Sunt & hujus generis fruſtula parva, in quibus culices, muſcæ, aliaque animalcula continentur, quæ, dum liquidum bitumen adhuc eſſet ſuccinum, irrepſerunt, vel inciderunt, ut inde ſe extricare nequiverint antequam coagularetur; Sicque nobile invenerunt ſepulchrum, non ſecus ac formica illa, de quâ Martialis lib. 6. Epigr. 15.

Dum Phaëthonteâ formica vagatur in umbrâ
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.
Sic modo quæ fuerat vitâ contempta manente,
Funeribus facta eſt nunc pretioſa ſuis.

Succini FULVO COLORE SATURATO, vinum Falernum ad rubedinem tendens exprimentis, Exempla etiam adſunt.

Quod OPACUM eſt variiſque coloribus ignobilioribus dotatum, etiam hic viſitur.

Ex

Ex Islandiâ frustum ejus coloris accepi, sed ad duritiem lapideam accedens, & difficulter ignis vim sentiens, odore tamen, colore & perspicuitate, nostro simile. Hepatico colore fragmentum adest nigrioribus intercursantibus venis, albi & flavi permista exhibens frustula. Odore est minus grato, ex impuro bitumine, concurrente terrestri & nitrosâ materiâ, concretum. Immaturum esse quidam volunt, sed duritiem & consistentiam eandem cum reliquis habet. Ut æquè in suo genere maturum esse videatur ac reliqua; quocirca non tam causæ efficientis & coagulantis, quam materiæ culpâ tale evasit.

Succini Orientalis titulo delata ad me massula, nihil peculiare à nostro obtinet, imo impurior videtur, ut primo aspectu gummi quoddam cerasorum diceres, nisi odor & inflammabilitas obstarent. Impuritates permixtas habet & frangibilius nostrate: unde advectum nescio; nam dono D. Henrici Custeri Junioris habeo.

Succinum in aquis dulcibus lacus Meler in Sueciâ, prope Insulam Biarco, à D. Jona Bureo inventum, mecum communicavit Nobiliss. Vir D. Georgius Stiernhielm, supremi Dicasterii in Livoniâ Vice Præses. De quo cum dubitarem, an in aquis dulcibus concretum fuerit, regessit simile frustum repertum fuisse in fossâ quam ex lacu Meler per Telgam in mare Balthicum ducere conabatur Carolus IX. Rex Sueciæ. Sed, ni plura ejus generis ibidem reperiantur, adhuc dubito an ibidem concreverit. Licet enim absurdum non sit, in lacubus, & aquis dulcibus scaturire posse fontes bituminosos, qui succino materiale suppeditare possint, formale tamen, quod concretionem largitur, Sal nempe, deest. Similia hîc Hafniæ reperta sunt frusta, dum fossas novas circa urbem ad plagam Septentrionalem foderent, tribus orgiis infra terræ superficiem.

Cap. XIV.

De Ambra & Spermate Ceti.

AD hanc classem Bituminum concretorum, & in mari repertorum, referunt Ambram Griseam & Sperma Ceti.

Ambra quamvis vox sit omnibus Succini speciebus communis, in specie tamen accommodatur corpori bituminoso, valde odorato, à recentioribus Græcis Ambar dicto, à Latinis Ambarum, vulgo Italorum Ambre Cane & Ambra Grisea. Hermolaus Barbarus primus Succinum Orientale vocavit.

De ejus ortu variant Autores. Serapio scribit in mari oriri instar fungorum, quod postea cum lapillis quibus adhæret ad littus expellitur. Avicenna & Psellus è fontibus in mare effluere testantur. Lusitani ferunt in toto maritimo Æthiopiæ tractu reperiri etiam ingenti magnitudine fluitans, transferri ad littora ventis quibusdam flantibus in magnâ copiâ, existimari ab ignaris Picem aut Bitumen. Sed varii coloris pro naturâ terrarum; complecti lapillos, conchilia & alia ejusmodi. Esse præterea pisces ex Cetaceo genere, Azelas vocant, Ambari avidos, quod postquam devoraverint stupidos reddi, ex quorum ventre Ambarum extrahitur. Est vero substantia pinguis, odoratissima, in maris Indici & Æthiopici littoribus inventa, nunc durior, nunc mollior, friabilis, ita tamen ut sub dentibus & unguibus instar Mastiches vel ceræ dilatari possit, colore nunc uniformi, nunc puncta citrina aut alba aspersa habens. Probabile esse videtur, & experientiæ congruum, licet in mari reperiatur, tamen ab eo originem non habere, sed ut Succinum ex fontibus Bituminis manare, & in summo mari, aëri expositum coagulari & densari. In Indiâ fontes esse, ex quibus oleum & Balsamum nobilissimum fluat & colligatur, testantur Historiæ: ex hisce per venas subterraneas, si quid in mare fluat, condensatur & in Ambram concrescit. Huic sententiæ adstipulatur autor Geographiæ Arabicæ citatus in notis ad Garciam, qui ita habet. Ex hoc mari educitur Ambar plurimum, optimè fragrans, & quidem ex eo est quod sit centum librarum, plus minus. Est autem id quiddam quod evomunt fontes in imo maris, cujusmodi sunt fontes Naphthæ, & quando invaluit tempestas, ventus ejicit illud in littus. Odorem autem nobilissimo suo Sulphuri debet, unde Crato Sulphur esse, aut ad minimum ei inesse affirmat.

Ambræ tria statuuntur genera, unum Selachiticum ex Zeilam Insulâ Indiæ, rufum & pingue, quod cæteris præfertur. Alterum ex Sechrâ loco maritimo Arabiæ felicis, subalbidum, colore ovi Struthiocameli, quod ut plurimum est quod ad nos adfertur griseum & varium maculis nigricantibus. Tertium deterrimum quod nigricat, quale

esse volunt quod pisces devorarunt. Hujus etiam duas constituunt species, unam in ventre repertam, ignobiliorem, alteram juxta spinam dorsi, magis sinceram. Optima censetur, quæ à sordibus est repurgata; quæque plurimum ad candorem accedit, cinerei coloris, aut quæ ex venis, nunc cinereis; nunc candicantibus constat, levis, quæque acu perforata multum oleacei liquoris resudat; nigra improba censetur, ut & candidissima; quoniam gypso adulterata putatur. Vide quæ de Ambrâ habet Clusius ad cap. 1. Garcia.

Calida statuitur ordine secundo, sicca primo, præterquam quod in odoramentis & suffitibus habeat maximum usum, in Medicinâ etiam locum invenit. Insignem vim habens spiritus Animales & Vitales roborandi, unde cerebro & cordi confert, sensus omnes vegetiores reddit, utilis senibus & naturâ frigidioribus; in Syncope & Melancholiâ commendatur.

Nomine AMBRÆ GRISEÆ nondum maturæ, massam quandam accepi, odore Ambræ, sed debiliori, colore albo, intermistis venis ac maculis quibusdam nigrioribus; lævis, lubrica & ad contactum pinguis, insipida, mollis adeo ut digitis atteri possit. Quando verò atteritur, in laminas exiguas spermati ceti similes colore & lubricitate resolvitur, adeo ut genus spermatis ceti, aut Ambræ, quam in cetis reperiri ajunt, esse autumem. Et haud scio an referri possit ad Camphoram Ascap (primo enim aspectu Camphoram refert) de quâ Averroës 5. colliget. cap. 56. ubi inquit Caphuræ genus inveniri passim in maris alveo, quod deinde aquis supernatet, laudatissimum vero id censeri, quod Arabibus Ascap dicitur. Verum cum eum refutet Garcias ab orto Histor. Aromat. lib. 1. cap. 1. quod vera Caphura non in mari, sed in arboribus nascatur, hic judicium suspendo. Nam ab eo, qui ex Indiis attulit, nil aliud rescire potui, quam quod esset Ambra nondum matura. Sed cum Ambrâ nil præter odorem habet commune.

Adulteratur quandoque Ambra ab impostoribus, factitio quodam ex ligno Aloës, Styrace, Ladano resolutis, addito Moscho: vel etiam ex Benzoino, cerâ candidâ novi examinis, carie fraxini, arborum musco, addito Moscho & Zibetho; sed fraus à peritis facile detegitur.

Nativa enim non tam facile in aquis mollescit atque factitia; manibus præterea si tractetur, ceræ modo lentescit factitia, non item vera; color quoque & odor non tam exacte exprimi possunt in adulteratâ, quin differant à verâ.

SPERMA CETI, à quibusdam HALOS ANTHOS, flos maris dictum, quod existimant nil aliud esse quam Balenæ sperma, ex ejus vulvâ in congressu elapsum, ab aliis Ambra alba & Succinum marinum dictum, Germanis Walrath & Balrath / Danis Hwalraf. De ejus nomine, non minùs ac de re ipsâ, variæ agitantur controversiæ. Matthiolus multis argumentis contra Fuchsium docere conatur non esse illud quod Dioscorides vocat Halos anthos. E contrario ejus rationes non satis firmas esse urget Ferrandus Imperatus. Notandum interim, vocabulum ἅλὸς ἄνθος, vel pro subtilissimâ salis parte & quasi flore in salinis collecto sumi, vel pro subpingui illâ materiâ, quæ mari innatat, de quâ hic sermo est, capi: & observavit Fuchsius, vocabulum ἅλὸς, cum sine articulo à Græcis effertur, pro mari sumi. Sed ne rebus omissis in vocibus nimii simus, vocetur hoc sensu Halos anthos, ad rem ipsam accedamus.

Est igitur Sperma Ceti pinguedo quædam mari innatans, instar minutarum squammarum piscium aut furfurum, colore albo, pallido & subflavo, quæ Vere potissimum apparet tempore matutino, ubi mare à fluctibus tranquillum. Sin verò tempestas oriatur, discutitur, & adhæret rebus quibuscunque obviis. Solis fervorem ubi senserit, resolvitur, pars ejus subtilior exhalat, gravior fundum petit, atque ex eo progressu temporis generantur Mituli parvi, nigri instar granorum Milii, qui tandem crescunt & debitam magnitudinem acquirunt.

De ejus generatione non consentiunt autores: maxima pars semen aut sperma ceti esse arbitratur, quod post coitum è vulvâ excidit, unde id nominis ei indiderunt; Negant alii. Mihi narravit vir fide dignus nostras, Matthias Christiani, Insularum Feroënsium Præfectus Regius, se Piscationi Balenarum interfuisse, ubi inter alias una capta fuit 27. ulnarum, peculiari figurâ à reliquis, capite adeo grandi, ut tertiam fermè partem totius Piscis æquaret, in cujus cranio, quod cellulis quibusdam erat distinctum, ingens hujus materiæ copia reperiebatur, atque à piscatoribus colligebatur; adeo ut

in

in eâ ſit ſententiâ, corpus illud, quod à nobis nomine Spermatis ceti vocatur, non eſſe ſperma verum, ſed liquorem cerebri, non cujuſvis, ſed hujus generis ceti, qui à Feroënſibus Dögling vocatur; In aliis enim non reperitur. Carnem autem hujus piſcis eſui ineptam dicunt. In eâdem ſententiâ video eſſe Carolum Cluſium libro 4. exoticorum, cap. 17. ubi hujus ceti ponit delineationem, ac à Belgis Potviſch vocari ait, aſſeritque in ejus, qui captus fuit in Belgio, capite repertum fuiſſe plus quam quartam partem dolii, quo aſſervantur Haleces ſale conditi, plenam ejus liquoris, quem vulgò ſperma ceti appellant, Hollandis Walſchot. Fieri igitur poteſt, ut tam in mari, quam in tali cetò, reperiatur hæc materia. In ceto, quando capitur; quoniam in ejus cerebro generari videtur: in Mari, quando hic cetus pugnando cum aliis occubuit fracto cranio, vel etiam hanc materiam certo tempore, inſtinctu naturæ, per appropriatos meatus evacuaverit ſponte.

Maxima vero eruditorum pars, bituminoſum corpus eſſe putat, aliunde in mare influens, ac ibidem conſiſtentiam & ſalſedinem, odoremque piſculentum acquirens; quod allatis experientiis contrarium videtur.

Varias figuras habet quod vulgo pro ſpermate ceti venditant, vulgare illud, quod coloris eſt argentei, ſquammoſum, depuratum ab ignobiliori certum eſt. Alioquin ex Iſlandiâ maſſulam accepi ſevo ſimilem, ſubflavam, in ſquammas non diviſibilem, quam pro ſpermate ceti etiam venditant, niſi forte impurum ſit & non depuratum. Aliud grande fruſtum, teres, oblongum, fibris refertum, craſſum, ex Feroënſibus Inſulis accepi, quod etiam pro ſpermate ceti venditabant, ſed ego ſpinalem Medullam Balenæ potius eſſe exiſtimo, & an ex eo ſperma ceti elici poſſit ignoro. De eo ſuo loco agendum. Utuntur Spermate ceti ſeu Haloſantho ad reſpirationem difficilem, pondere ſcrupuli unius. Ad caſum & ſanguinem grumoſum diſſolvendum vim habet magnam. In colicâ paſſione & morbis à flatulentâ materiâ ortis etiam uſurpatur. Continuus tamen & creber ejus uſus minime ſalutaris exiſtimatur. Refert enim Encelius periiſſe honeſtiſſimam matronam ad oſtium Tangræ ex nimio hujus abuſu.

LIBRI PRIMI
SECTIO SECVNDA,
DE
LAPIDIBVS.

CAP. I.

De Lapidibus in genere.

PRIMUM genus Foſſilium, quod Mediorum Mineralium titulo complexi ſumus, hactenus vidimus: ſecundum, quod Lapidum eſt, jam expendendum, ita ut habitâ inſtituti ratione eos ſaltem proponamus qui in noſtrâ ſunt poteſtate. Per Lapidem intelligimus corpus foſſile, durum, inductile, in aquâ non liquabile, ortum ex ſucco lapideſcente, in quo ſpiritus eſt lapidificus.

Dum Foſſile dicimus, præſupponimus corpus perfectè miſtum & inanimatum eſſe; & quamvis quidam ex minoribus ſupra terram reperiantur, tamen major pars ex eâ foditur & eruitur.

Durum verò eſt reſpectu Salium, Sulphurum & Terrarum, quamvis duritiei certi dentur gradus. Quidam digitis quidem teri poſſunt, ex partibus tamen conſtant arenoſis durioribus: quidam ferro ſcinduntur, quidam limâ raduntur, quidam Smiride teruntur; quidam, qui duriſſimi ſunt, ſolo Adamante poliuntur.

Inductile dicimus, quia ut metalla malleari & in laminas dividi ſe non patiuntur, nec ut Sales aut Terræ in aquâ liqueſcunt. De Materiali cauſâ lis inter autores eſt magna: ex Elementis vulgò deducunt, quod quidem verum, ſed remotior inde petitur materia, ut ex tribus Chymicorum principiis, Sale, Sulphure & Mercurio, quæ ex quibuſdam elici manifeſtè poſſunt; verùm proximam inquirimus, quam putamus eſſe ſuccum lapideſcentem, qui in terrâ & aquâ reperitur.

Terra enim in ſuccum adeo ſubtilem redacta, ut aquæ miſta Diaphanitatem ejus non impediat, Gemmis ſe præbet materiam: ſin vero craſſior extiterit, lapidi vulgari, accedentibus ſalibus & exhalationibus pinguibus & humidis. Ex hiſce namque conſtare in pleriſque videmus ſuccum hunc, qui in lapides tranſire poteſt. Efficientem proximam dicimus eſſe ſpiritum lapidificum, aut vim in primâ creatione à Deo inditam cuique ſpeciei, ſeminali principio concluſam. Hoc autem principium diffuſum & diſperſum eſt in Naturâ, ex quo Deus terram diverſis ſeminibus fœcundam reddidit. Nec refert quòd certis & diſtinctis capſulis incluſum non reperiatur, cum in vegetabili familiâ id neque ſemper occurrat. Salix enim, aliæque ejus generis plantæ, licet conſpicuum non ferant ſemen, ut alia, interim per totum corpus principium illud obtinent, quo per particulam avulſam propagari poſſint. Huic efficienti proximo ſeminali, aut in materiâ exiſtenti, aut aliunde accedenti, ſuppetias fert cœleſtis calor, omnia in actum redigens quæ potentiâ in rebus latitabant. Quod verò lapidum tanta ſit diverſitas, id cujuſvis formæ ſpecificæ adſcribendum, quæ competentem nacta materiam, illud, ad quod deſtinata eſt, perficit. Lapides locum peculiarem, ubi generentur, ſibi non vendicant, ſed ubivis terrarum inveniuntur, tam vulgares quàm pretioſi. Ex Indiâ Orientali, Perſiâ, Chinâ, præſtantiores ad nos deferuntur. Alioquin in ſpecie, quidam in aquis, ut ſilices & ſaxa: quidam in aëre, ut Ceraunia: quidam in terrâ, ut major pars: quidam in plantis, ut ſemen Saxifragæ: quidam in animalibus, aquatilibus, aëreis, terreſtribus; ut in ſpecie patebit.

Lapides in certas claſſes redigere difficile admodum eſt, cum mirè in iis ludat Natura. Sive enim ratione coloris, ſive figuræ, ſive ſubſtantiæ dividas, diverſæ naturæ ſæpiſſime coincident. Multum in eo ſudavit Anshelmus Boëtius, quem conſulere licet.

No-

Nobis placebit hæc divisio quâ dividuntur in minus pretiosos & pretiosos, ut ab ignobilioribus ad nobiliores paulatim ascendamus. Minus pretiosos dicimus, qui pretio non usque adeo magno comparari possunt, habitâ proportionis ratione: Pretiosas vocamus Gemmas, quæ carè venduntur. Minus pretiosi sunt magni vel minores. Magni, vel duri, ut saxa, silices, pyrites, marmora: vel molles, ut Alabastrum, Gypsum, Calcarius lapis, Talcum. Minores hujus generis; Lapis Tuberonum, percarum, oculi cancri, &c. qui molles sunt: Duri, Hæmatites, Lapis Lazuli, Armenus, &c. Pretiosos etiam dispescimus in majores, ut Jaspis, Nephriticus, &c. Minores, ut Adamas, Rubinus, Granatus, &c.

CAP. II.

De Saxo.

A Lapidibus minus pretiosis, magnis & duris ut incipiamus, inter eos Saxum primum occupat locum, Danis een Kampesteen: forsan quòd minoribus ejus generis in bellis usi sint veteres, eaque fundis & aliis Machinis in hostes jaculati sint, ut apud Virgilium 2. Æneid.

Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat.

Intelligimus autem lapidis ignobilioris speciem majorem, ex quâ integri quandoque constant montes & rupes, ex impuriore materiâ lapidescente ortam, colore vario, obscuro tamen & ingrato. Quo crassior fuerit materia & ignobilior, eo viliora gignuntur Saxa, quia, quæ crassa sunt, minus densari possunt, ideoque partes ejus minus cohærent.

Saxorum multæ sunt differentiæ, quæ partim à consistentiâ depromuntur: unde quædam arenaria, quædam crustosa, quædam limosa sunt: partim à qualitatibus, unde aliud læve, ut tophus, aliud liquabile, ut silicis genus, aliud olidum; partim ab usu, ut cos, saxum calcarium, quadratum, ædificiis aptum, molare, quo frumentacea moliuntur.

SAXUM ARENARIUM dicitur illud, quod asperum & veluti ex arenis compositum, idcirco & lævorem nullum admittit, utile tamen est ædificiis fabricandis, quia calcem bibit. Primum ejus generis, arenis constat crassioribus bene compactis. Cujus mihi unum est genus, cinereum, nigricans, intermicantibus scintillis aureis. Aliud genus est, quod tenuissimis constat arenis, micis argenteis intersplendentibus, molle adeo ut digitis teri possit. Ex eo arenulas conficiunt Scribæ, quo atramentum in chartis exsiccent.

Invenitur prope Medelfartum Fioniæ, in promontorio quodam Freti. Colore hoc variat: quibusdam in locis luteam præbet arenam, ut Fribergi in Germaniâ: quibusdam rubram, ut Rochalitii, quibusdam cineream, quibusdam in rubro subnigram, quibusdam rubram aureis micantem micis. Hoc Saxum variis quandoque rebus gravidum apparet. Continet enim silices, conchas, pectines & alia corpuscula. Arenarii saxi genus est quod ex Gotlandiâ ad nos adfertur, ex quo statuæ & alia efformari solent.

Inter saxa arenaria, aut cotes, reponendus mihi videtur LAPIS ARCUM referens: oblongus est, teres, paululum incurvus, colore cinereo, quibusdam in locis compressus, instar costæ magni cujusdam animalis, aut ceti, quam non inepte refert, superficie lævi, longitudine pedum sex, crassitie brachii infantis; Sed quia circa medium fractus erat, vinculo ferreo colligavi utrasque extremitates. Ex Norvegiâ accepi. Is, qui misit, dixit in flumine quodam repertum esse, & arbitrari se arcum fuisse in lapidem conversum: sed figura arguit lapidem esse sui generis, non admodum durum, siquidem ferro facile atteratur. Ego cotis vices sustinere posse arbitror, quod etiam cultri affrictu probavi.

SAXUM ODORE VIOLAS REFERENS ad me transmisit Vir Clarissimus D.D. Jacobus Jani, Medicus Regius, ex monte Calenberg in Misniâ erutum. Frustum verò est trigonum, altero laterum colore præditum cinereo, reliquis maculis quibusdam nigris & puniceis cum micis aureis intersperſum, rude alioquin & impolitum, inæquale, pondere uncias quatuor circiter æquans; naribus admotum suavem spirat violæ odorem, qui lapide calefacto manifestius sentitur.

Hujus lapidis mentionem fecisse videtur Agricola de Nat. fossil. lib. 5. cap. 17. ubi inter reliqua sic inquit: Verùm non ipsi solum (de Misenis Ætitibus loquitur) suaviter

olent, ſed etiam tum Saxi in Calenbergo ad Aldenburgum reperti fragmenta, tum Silices in Berningero monte, in confiniis Miſniæ & Boëmiæ ſito. Si tanta ibi erui fragmenta poſſent, ut ex iis fornaces in hypocauſtis extrui valerent, hyeme grato odore afficeretur tota domus.

At idem Agricola lib. 1. Foſſil. cap. 5. odorem hunc non eſſe ipſius Lapidis, ſed muſci ei adhærentis putat; Sic enim circa finem capitis: At Geodes Miſenus & Berningeri lapis, non ipſi olent violam, ut nec Aldenbergii ſaxi fragmenta; ſed muſcus qui ei adhæreſcit: Hæc ille. At meum, quod jam aliquot annis ſine muſco ſervo, fragmentum Lapidis Aldenbergici, adhuc violam olet.

Quemadmodum Saxum hoc Aldenbergicum gratum violæ ſpirat odorem, ita SAXUM SUILLUM, Norvegis Swin-ſteen / fœtidum exhalat, & talem quidem, qualem ſpirare ſues ſolent, unde nomen invenit. Nigrum eſt Saxum, fragile, ſtriatum, in ſe Pyritem argenteum & Talcum habens, unde micas quaſdam ſplendentes de ſe fundit. Reperitur verò in Norvegiâ, in tractu Hedemarkenſi; Inſula namque in lacu ejus ditionis Mios, Hovitzholm dicta, extat, quæ integris cautibus ejus generis ſcatet, quas cum equitando tranſeunt, ex attritu horum Lapidum ſoleis equinis facto, tantus oritur fœtor, ut nares occludere cogantur tranſeuntes. Fruſtum hujus Saxi, quod ego obtineo, uncias ferme octo pendet.

Uſum habere ajunt, quod in pulverem redactum, & ſuibus quocunque morbo laborantibus exhibitum proſit. Fœtorem iſtum ex miſturâ Pyritis, & forſan Sorios, ortum trahere puto. De lapidis Aſſii fœtore, ſuo loco.

SAXUM FISSILE, quibuſdam Cruſtoſum, quòd in cruſtas findatur, ſtratis ac tectis utile, ſic dictum, Germanis Sckifer-ſtein / nobis Sckever-ſteen / multas habet differentias. Quoddam tam molle, ut ex eo fieri nihil poſſit; aliud tam durum, ut non niſi ferrâ ſecetur. Coloribus quoque differt: aliud è cinereo candidum, aliud in cinereo viride, aliud cœruleum, aliud rubrum, aliud ſubluteum; aliud nigrum, quale ad nos ex Belgio adfertur, ex tractu Rhenano, ad templorum tecta cooperienda. Cujus tantæ quandoque adferuntur laminæ, ut menſas ex iis fabricent aliaſque tabulas deletiles. Prope Helſingburgum Scaniæ, purpurei & cinerei coloris Rupes cernitur cruſtoſa, quamvis in uſum non traducta.

SAXUM FISSILE ISLEBIANUM huc ſpectat, quod nigrum eſt; & in comitatu Mansfeldiæ Iſlebiæ reperitur. Hoc ab Agricolâ ad Spinum lapidem veterum refertur, in ſe & metalla & bitumen continens, quod ex eo quod Agricola deſcribit elicitur, cruſtis quandoque Pyritis aurei micæ adhærent, quæ varias animalium effigies exprimunt. Mihi fruſtum eſt haud mediocre, quod Barbi piſcis lineamenta ſingula tam exacte aureo colore exprimit, ut ſquammas ſingulas, pinnas, caudam, caput, barbam melius ars nulla exprimeret. Anshelmus Boëtius exiſtimat eo in loco quandam piſcinam fuiſſe, quæ tenui terrâ obruta fuerit, ſed ab exhalationibus Metallicis ſubterraneis condenſatam in Saxum abiiſſe, ac piſcium corpora, quia terram non ſuſceperint, exhalationem Metallarem, terrâ ſubtiliorem magiſque penetrantem, facile in ſe recepiſſe, & cum eâ æris non ſolum colorem, ſed etiam ſubſtantiam. Sed hoc vix probabile, cum non integra piſcium corpora in æs converſa appareant, ſed exteriora ſaltem eorum lineamenta extent; carnis, oſſium, internorumque nulla veſtigia.

Adhæc, non piſcium ſolùm tales hic ſpectare licet effigies, ſed, teſte Agricolâ, etiam Gallos gallinaceos, Salamandras, Pontifices Romanos barbatos & triplici coronâ inſignitos, B. Virginis effigiem puerum ulnis geſtantem, imò inter ipſos piſces marinos paſſeres. At quis hæc tam mira & varia in piſcinâ iſtâ extitiſſe crediderit? Cogimur igitur fateri, Naturam polydædalam, multa ſinu ſuo fovere, quorum rationem nemo unquam inveſtigabit. Ex hoc ſaxo æs optimum conflari docet Agricola lib. 10. cap. 15.

SAXUM LIMOSUM potius ad Margas quam Saxa referri poſſe videtur, facile enim ab humido in limum ſolvitur, unde etiam nomen traxit, vel initium futuri ſaxi ſtatui poteſt. Prope Lovanium invenitur, eoque à pluviis in limum Calci concolorem reſoluto utuntur. Agricolæ ad agros fœcundandos uſurpant; fimi enim vices ſupplet.

Hic ſibi locum vendicare videtur SAXUM CRUSTOSUM, quod prope Emendorpium vicinum Hafniæ pagum inventum eſt. Hoc enim, ſi dentibus teratur, in limum reſolvitur; colore luteo, manus inficiens, ponderoſum, quadratum, ex variis cruſtis & laminis compactum, cum durum adeo non ſit, quin facile teri ac frangi poſſit.

Quo

Quo nomine ad Lapides referendum, ut & superius; sed quia Saxi videtur species, hic locavimus. Nescio an hunc lapidem referam ad OSTRACITEM ab Anshelmo Boëtio lib. 2. cap. 212. descriptum.

CAP. III.

De Silice, Pyrite, Molari, Cote.

SAXI genus durissimum SILEX est, ad scalpendum & muros exstruendos minus aptum, calcem enim non bibit, quia extrinsecus lævis est, & sine poris & angulis ordinatis, colore vario, sed obsoleto & obscuro. Inveniuntur enim nigri, ut Lapidis Lydii vices subeant; rubri item, flavi, virides, fusci, mixtisque coloribus. Nonnulli ab igne patiuntur, & in calcem rediguntur, quæ tamen nullius usus; nonnulli nec igne, nec vetustate læduntur, ex quibus conficiuntur formæ, in quas æs funditur, & mortaria ad gemmas terendas, quod tamen non ferro, sed Smiride, magno laboris & temporis dispendio fit. Qui opaci sunt & tritissimi, vulgo Flintesteene dicuntur. Si molliores, sunt potius lapides quam silices dicendi, ut ii quibus plateæ sternuntur.

Silicis species est PYRIMACHUS; Germanis Flußstein / aut Waßerlisling; colore albo & perspicuo, liquabilis, unde Metallarii Metallis fusis superinjiciunt, ut iis supernatent, &, ne nimium Metalli in auras evolet, prohibeant. Vitrarii ex iis vitra, Chymici factitios lapides conficiunt.

Invicem attriti non tam scintillas, quam flammam obscuram cœruleam quasi præbent, cum odore sulphureo ingrato. Diaphanus Pyrimachus à Gemmariis in formam Adamantis redigitur, & pro Adamantibus Bohemicis venditur.

Sunt mihi, flavi, virides, fusci, mixtis coloribus silices, maximâ ex parte apti, ut bombardis aptentur, ut ex iis ignis excutiatur, qui pulverem pyrium accendat.

Nigro & corneo colore varias figuras à Naturâ sortitur: est enim mihi magnus satis, qui humanum corpus, Diaphragma tenus, scitè adumbrat. Caput naso & oculis insigne, collo & scapulis bene proportionatis. Hic in Seelandia in campo quodam inventus est.

SILEX ille, quem Helmont LUDUM Paracelsi vocat, quemque tantopere ad calculos è corpore humano pellendos commendat, parvus est, tessellatus, coloris flavi & subfusci, vix unciam quoque latere attingens. Meus repertus ad ripam Scaldis propè Antverpiam. Præparationem ejus lege apud Helmondum & Charletonum de Lithiasi pag. 231. Alium lapidem ad me transmisit Vir Clarissimus D. D. Henricus Kusterus, Medicus Haterslebiensis, titulo Ludi Helmontii, quem à filio ejus Francisco Mercurio ab Helmont accepisse se scribit, sed diversus longè est à priore, colore fuligineo, ad flavũ vergente, quibusdam in locis calce tinctus, Angulosus, incertæ figuræ, non adeo durus, quin radi possit: adhæret ab unâ parte frustulum luteum, silicem magis referens, & ei simile quod ante descriptum. An amico fucum fecerit Helmont me latet; Res suscipione non caret.

Est qui PANEM refert eâ figurâ, quâ minores è puriore farinâ apud nos confici solent, globis duobus invicem junctis, cortice cinereo quasi farinâ obducto, medullâ nigricante: uterque globus excavatus extat, adeo ut existimem, Ætites duos fuisse, qui in se calimos fovebant, sed disruptos fuisse & hoc pacto concretos.

CUSPIDEM HASTÆ exhibet alius, tantâ æmulatione, ut dubitare liceat, Artis ne, an Naturæ extiterit opus, colore nigricante.

PUGIONEM referunt alii, quorum quidam lutei; sed de iis varia Doctorum sunt judicia. Quia enim apud nos ut plurimum in collibus & Veterum sepulturis inveniuntur, dubitant multi an arma Veterum fuerint; dubitant alii, Artis ne, an Naturæ sint opera: ad lapides Ceraunios referunt alii; quocirca de iis pluribus in sequentibus.

Ad silices referunt PYRITEM, quia ex ejus quadam specie ignis copiose excutitur, eumque proprie pyrimachum dictum putant, quod igni repugnet. Nam, in ardentes conjectus fornaces, fluit, &, ubi defluxerit in catinum, rursus concrescit & durescit.

Reperitur ut plurimum in fodinis Metallicis, quocirca metalla quandoque permixta habet, quandoque iis destituitur, adeoque purus lapis esse non videtur, quocirca à quibusdam ad metalla potius quam lapides refertur. Argentum & Aurum ei inest, qui Reichenstenii in Lygiis reperitur: Æs & Argentum Cotebergi: Plumbum nigrum & candidum

candidum Goſelariæ; Æs tantum Cuperbergi: nihil habet Metalli Bretebronni effoſſus. Colore etiam differt: alius aureo eſt, alius argenteo, Marcaſitam vocant Arabes & Mauri; alius colore lapidis plumbarii, alius cinereo.

Quo quiſque ſpiſſior eſt & metalli plus habet, eo gravior. Ex durioribus, ferri aut alterius lapidis duri attritu facile ignis excutitur, ex mediocribus quoque aliquando, non vero ex mollibus. Ferrum vero ignem ex eo excutit duritie ſuâ, ut & aliis duris. Ignem vero reddit ob motus velocitatem Sulphur quod in eo continetur aëris attritu igniens, eo modo quo omnia pinguia, dura, affricta ignem concipiunt, ut rotarum axes dum celerrimè moventur, ligna dum ſibi invicem affricantur.

Figurâ variâ reperiuntur: modo GLOBOSI ſunt, qui in ripis & fluviis reperiuntur, Pyrites æroſus globoſus Bauhini. Modo Cylindri inſtar teretes, in argillarum venis reperti, quales nos ex Heliglandiâ habemus.

Inde quoque ille nobis eſt, qui dimidiatam refert cochleam, cellulis circa ambitum diſtinctam; magnam affinitatem habens cum eo, quem Bauhinus lib. 4. fontis Bollenſis vocat Pyritem Globoſum, cui primæ cornu Ammonis ſpiræ adhærent. Modo TESSERARUM figurâ apparent, quales ex Norvegiâ, colore aureo, accepi, Marcaſitam referentes. Modo oblongi ſunt & intus ut fiſtulæ cavi, qui Hannoveræ in commiſſuris Saxi calcarii extant; modo OVI, modo UVÆ, modo FAVI, modo VIRGULARUM, & aliarum rerum ideas exhibent; ut mirum Naturæ luſum in iis contemplari, non ſine jucunditate, liceat. Varietatem inſignem videre licet apud Bauhinum loco citato.

In uſum Medicum quandoque venit, calefacit, mundificat, oculorum obfuſcationibus medetur, dura emollit, matura reſolvit, carnis excreſcentiam prohibet; uſtam aliqui Diphrigem vocant. Galenus in pulverem & arenas redacto, ad aquas hydropicorum exſiccandas, utitur. Plura vide ſect. 3. cap. 12.

PYRITEM LEONEM referentem ex Heliglandiâ Inſulâ, juxta oſtium Albis ſitâ, habeo, qui figurâ externâ utcunque Leonem refert, & ex globulis aurei coloris conflatus videtur. Cum additamentis rotundæ accedit figuræ, coloris aurei, obſcuri vel æroſi, in diametro quinque obtinens uncias, pondere librarum duarum.

GLOBOSUS PYRITES argentei coloris, pilam luſoriam referens, durus, minime friabilis, libram unam cum dimidiâ æquans, inventus eſt Hafniæ Anno 1647. in Auguſto, cum foſſas ducerent extra portam Orientalem. Nec hic ſolum, ſed plures alii ejus generis; ut dubium nullum ſit, quin minera horum ibidem extet.

PYRITIS NIGRI genus in Scaniâ reperitur, ex quo alumen conficiunt: Ejus ſpecimen teneo, exacte globoſum, ſed aliquantulum compreſſum, magnitudine caput humanum ſuperans, caſeum Hollandicũ figurâ externâ referre videtur, ſed adeo ſphæricus ac ſi torno in eam figuram eſſet redactus; in ſuperficie externâ lineis circularibus cingitur & ſquammulis dotatur. Quamplurimos ejus generis Sphæricos, magnos & parvos, in iſtis mineris extare accepi; Meus in Diametro pedem unum cum ſemiſſe obtinet.

PYRITEM AMIANTUM CYPRIUM referentem fodinæ ſuppeditant Norvegicæ, ex quibus fruſtum, quod teneo, drachmas quinque pendet. Externâ ſuperficie cinereum refert Pyritem, granulis aureis intermicantibus, ubi vero fractus eſt, interior ejus ſubſtantia miram oſtendit compaginem; ex tribus enim quaſi laminis conflatur, quarum quælibet craſſa eſt unciæ parte tertiâ, ex minutiſſimis filamentis cœruleis compoſita, quæ tamen ſeparari nequeunt. Inter quamvis verò laminam interſperſa ſunt granula aurea, fovet etiam ſinu ſuo lapidis ſciſſilis particulas quaſdam. Durus adeo lapis non eſt, quin cultro aliquid ei abradi poſſit. Non multum diſſimilis eſt lapidi, quem Ferrandus Imperatus lib. 24. Hiſt. Nat. cap. 11. vocat, vegetationem lapidis gypſi pilarem; niſi quod durior ſit gypſo, & micas obtineat aureas, utpote è Pyritum genere.

PYRITES MAMMARIUS à me vocatur Pyrites coloris nigricantis obſoleti, tribus conſtans globulis cohærentibus, & quorum ſingulis papilla erumpit eleganter circulo circumſcripta, ut plane tres mammas connata cum ſuis papillis referat, in centro, ubi uniuntur, etiam papilla emergit elegans. Tota, quia triangulum quaſi conſtituit, à baſi in apicem tres ſuperat uncias, pondere unciarum novem, ſubſtantia pyritis aureis granis micantis.

Ad Silicum familiam & iſti ſpectant SILICES, qui ab Ardelione quodam Italo manipulatim deglutiebantur, ut nummos lucraretur. Res ita ſe habet. Fuit ante annos circiter

citer decem Agyrta quidam Italus in Angliâ, qui populo persuadebat se lapidibus victitare: accepto enim præmio, manipulum parvorum silicum fluviatilium deglutiebat, ac percussâ regione ventriculi, ex collisione eorum strepitum excitabat, qui ab adstantibus audiri potuit, ut sic testaretur se vere eos deglutiisse.

Horum silicum quatuor ad me detulit amicus, quorum tres colore sunt luteo, quartus niveo: sunt autem læves, magnitudine articuli digiti majoris, nullâ asperitate præditi, drachmas circiter duas ponderantes.

MOLÆ è saxo crassiore & duriore fiunt, Græci μυλίας & μυλίτην vocant, Latini lapides molares: nos Mölle-steen/ ab usu nomine mutuato, quod iis frumenta moliantur: suas etiam habent species.

Est genus quoddam quod LUTUM vocant, quod in locis ardentibus generatur, ex lapidum liquefactorum & rei ardentis materiâ, quam, dum incendia sæviunt, ejiciunt, ut instar rivi fluant; ubi ab aëris ambientis frigore coagulantur, in lapideam materiam vel massam convertuntur, ac non secus ac alia saxa cæduntur.

Apud nos Molæ sunt cinerei coloris, quæ in Scaniâ prope Landscronam eruuntur è Saxi genere arenario & duriore. Advehuntur quandoque è tractu Rhenano cœrulei coloris duriores, crassiores & majores nostratibus. In Norvegiâ quædam cæduntur ex lapide Talcoso granatis & pyrite referto, cujus frustum teneo hic sub terrâ repertum, dum cellam subterraneam foderet mihi vicinus civis.

COS lapis durior est, ferramentis acuendis aptus; variis igitur Artificibus, qui ferreis utuntur instrumentis, inservit. Ad tria genera reduci potest. Primum OLEARIUM dicitur; oleo enim illinitur, ut aciem trahat. Nigrum plerumque est & perpolitum, barbitonsoribus in usu ad Novaculas acuendas, ex tractu Aquensi adferri solet. Secundum AQUATICUM, ex lapide arenoso, molli & æquali constans, colore cinereo; hoc in formam quadratam longiorem, vel in orbem redigi solet, ut motu circulari actum, atque cadentem ex alto, vel in subjecto alveo existentem aquam excipiat, quo exhibitum ferrum commodiùs terere possit.

Apud nos fodiuntur Aquariæ in iisdem fodinis in Scaniâ, ex quibus Molares petuntur. Tertium genus & oleo & aquâ proficit, quales fuerunt olim Ciliciæ. Illud, quod Salivâ proficit, ad aquaticum reducimus.

Nec prætereundum, sæpè ligna in lapides versa, Quercinum in primis & faginum cotium munera sustinere, quorum nobis exempla sunt ad manum. Inter reliqua frustum est, pedis unius cum dimidio longitudine, latitudine quatuor pollicum circiter, colore ex Cinereo nigricante, intermisto viridi obscuriore, quod faginum fuit lignum, cujus usus nautis nostris non infrequens.

Usus cotium in genere est, in ferro acuendo. Cum ferrum cotibus aquariis atteritur & acutum redditur, id, quod utrimque deteritur, refrigerat; quocirca Mammis Virginum illitum, eas augeri prohibet, & podagricis prodest. Quod ex oleariis decidit, abstergit, & ad defluvia capillorum emendanda adhibetur.

CAP. IV.

De Marmoribus.

LAPIDIS magis frequentis, duri, coloris minus grati, species exhibuimus: jam pulchrioribus coloribus præditos videamus, qui MARMORIS titulo insigniri solent, à reliquis Saxis, nitore, duritie, æqualitate differentes. Est autem MARMOR lapis insigniter durus & pulcher si poliatur ad splendorem suscipiendum ita aptus, ut statuæ & columnæ nitentes ex iis sculpi possint, Græcis Μάρμαρος ἀπὸ τὸ μαρμαίρειν, à splendore. Vulgo Marmer-steen. Causa duritiei est bona concretio, nitens, materiæ æquabilitas & puritas. Concrescit autem beneficio exhalationum & aquarum, quæ terram subtilissimam ingrediuntur. Imprægnatæ verò sunt hæ aquæ, nitro, sale, aliove metallico liquore, ut terreas partes minuere ac melius conjungere possint. Causa efficiens præter vim Marmorificam, non solum calor est, sed interdum frigus subterraneum aut gradus caloris remissior. Nam exprimendo humorem superfluum, cogendo, sæpe exsiccat frigus. Diversitas marmoris ex materiæ diversitate dependet. Si enim mollior materia, lapilli, aut alia Heterogenea materiæ marmoreæ miscentur, ignobilia ac scabrosa fiunt marmora, quæ sculpi non possunt, sed instar silicis dissiliunt, ac granulata vocantur.

cantur. Marmor, cum primum è fodinis eruitur, mollius est: sed temporis successu adeo induratur, ut vix sculpi possit, quod omnibus ferme Lapidibus commune. Non omnes marmoris partes semper simul generantur, sed successivè: sæpe enim marmoris particulæ, variis coloribus ab exhalationibus infectis tinctæ, nimium indurantur; deinde accedente novâ exhalatione, & materiâ tanquam Calce, particulæ illæ ferruminantur, ac tota massa in unum lapidem, distinctum maculis & coloribus, coit. Coloris varietas exhalationis varietatem ostendit. Si tenuis fuerit & subtilis, intimas partes penetrans, optimus, æqualis & exactus fit lapidis coalitus; sin secus, inæqualis, ut supra dictum.

Marmora coloribus distingui solent: sunt enim vel uno colore prædita; vel variis simul mistis: Dantur Alba, nigra, viridia, cinerea, flava, varia, &c.

ALBUM MARMOR Parium olim dicebatur, ab Insulâ Paro, vel sculptore Ageracrito Pario nominato, qui Venerem ex eo lapide primum sculpsit, à veteribus Lychnites, quod ad lucernas in cuniculis cæderetur. Duo ejus genera statuunt, unum Phengites, quod translucet, alterum non translucens. A vulgari Alabastro duritie differt & splendore. Foditur in Italiâ in agro Lucensi ejus genus quoddam, quod ab oppido CARACIENSE nomen obtinuit.

ALABASTRUM quidam huc referunt, sed inter molles & raros Lapides locum suum potius habet, nisi externæ figuræ & polituræ respectu ad marmora etiam referri debere quis putet. Distinguunt verò inter ALABASTRUM & ALABASTRITEM; ita quidem, ut lapis is, qui mollis adeo est, ut scindi cultro possit, Alabastrum vocetur, & à quibusdam ad Gypsi speciem referatur; qui verò durior, ALABASRITES.

Alabastrum igitur crudus videtur Alabastrites; hic vero crudum Marmor. Ejus varia statuuntur genera, colorum ratione, adeò ut omne Marmor cujuscunque coloris, modo molle sit, Alabastrum dicatur; unde & Zeiblicium Marmor, vulgo Serpentin-steen / huc quoque trahunt. Usus tamen obtinuit, ut Alabastrum tantum jam sumatur, pro Marmore albo, molli, ad Parium proxime accedente, qui ustus Gypsi loco usurpari possit. Quidam humorem affusum sorbet, & Alabastrum proprie esse volunt: quidam infusos humores non sorbet, ut Alabastrites: quidam instar onychis pellucet. Variis in locis Italiæ, ut & Norvegiæ, candidum invenitur; Ratisbonæ quoque & in Thermis Carolinis, candidissimus extat. Ex Feroënsibus insulis mihi frustum allatum Alabastritis candidissimum, durum, dimidiati globi figuram habens. Alioquin varia vasa ex Alabastrite parata teneo. Ex his confecta vasa, unguenta optime conservant. In Medicinâ etiam usus suos obtinet.

Resinæ mixtus durities solvit, cum cerâ dolores stomachi compescit, gingivas adstringit, ℈j. pondere Dysenteriæ medetur; aqua, in quâ solutus, oculorum lachrymas siccat. Extat Langii unguentum de Alabastro, dolores capitis in febribus & aliis calidis affectibus mulcens. In nimiâ dosi exhibitus, ut Gypsum, strangulat.

Ex Alabastrite mihi Tabellæ quædam sunt, in quibus singulari arte elaboratæ pulcherrimæ eminent literæ, non stylo ferreo, sed aquis quibusdam rodentibus ita elaboratæ, ut intermedia lapidis erosa substantia literas ipsas eminentes relinquat, à perito hujus artis Dano Petro Trelund elaboratæ.

NIGRA MARMORA varia olim fuerunt, & jam sunt. Commendabatur olim BASALTES seu Basanitis, Obsidianus, Numidicum marmor.

BASALTES marmoris genus est durissimum, limis resistens, ferrei coloris, à Basal, quod Æthiopice ferrum notat; dicitur etiam Basanus à βασανίζω, id est, diligenter examino, quia eo Argentum & Aurum examinatur & probatur, non minus ac Lydio Lapide; Germanus ein Reiswer-harter eisen-farber Marmer. Crescit formâ & crassitie ligni mediocris, singularis quidem verum copiosus, atque ita junctus coaptatusque veluti à fabro lignario commissus esset, sex, quinque nonnunquam, rarius quatuor angulis, figurâ trabis erectæ, foris lævis & tactu minus asper, ferrugineus, ponderosus, duritie Adamantinâ. Variis in locis Germaniæ reperitur.

In Silesiâ ad Crissum fluvium Basaltem lapidibus coagmentatis, è terrâ ulnas decem & septem extantibus, Arx Stolpa cum adjunctis ædificiis insistit, aëri undique libere exposita.

Huc spectat OBSIDIANI & NUMIDIANI illa species, quæ ex Belgio ad nos adfertur, à Belgis Toet-steen / à Gallis *Piere de Tuche*, Germanis Probier-stein / quia Auro & Argento examinando inservit. Ex hoc marmore grandia quadrata conficiuntur,

eur, quibus magnatum demortuorum loculi teguntur, Tabulæ item Epitaphiis aptæ; politi enim instar speculi splendent & nigerrimi sunt.

Est & in Alpibus, quæ Helvetiam ab Italiâ disterminant, marmor nigrum, quod politum splendore cum Obsidiano certat. Ex eo mihi tabella est quadrata, quam olim in Angliâ accepi.

In Scaniâ eruitur nigri Marmoris genus prope Ydstadium, ex quo mensarum tabulas formant elegantes, sed maculosum quandoque est, Venis inæqualibus & atro purpurascentibus; Quandoque vero nigrore non cedit Obsidiano. Ex hoc mihi mensa est magnitudine conspicua.

Aliud genus in Scaniâ prope Anderum, ubi fodinæ sunt Mineræ Aluminis, reperitur, scissile, quod cum alumen in se contineat, firmum adeo non est, nec exacte adeo poliri potest, sed mollius & in humido nigram de se fundit tincturam, & exsudantis aluminis flores.

Ejus generis mihi unus est lapis, pedem Romanum longitudine superans, quadratus, quovis latere, latitudine unciæ unius cum semisse. Eâ formâ sine omni alio artificio è terrâ erutus est.

In Norvegiâ aliud reperitur, quod poliri egregiè potest, sed impurius est & venas quasdam ferrugineas in se continet, ut & filamenta quasi quædam nivea, tenuia, quæ merum & genuinum sunt Argentum. In eo enim dives extat argenti vena, quæ jam cum fructu separari cœpit à possessore, Viro Nobiliss. Avone God de Regni Daniæ Archithalasso, à quo & rudis hujus lapidis & politi teneo specimen, quod affrictu Auri, Argenti & reliquorum metallorum bonitatem belle explorat.

VIRIDIA MARMORA olim celebrabantur, Lacedæmonium, Augustum, Tiberium, sic dicta quod eorum principatu primum inventa; maculis prædita ut Ophites; sed Augustum undatum & in vertices crispum erat: Tiberium sparsim convoluta canitie. Lacedæmonio ex viriditate maculæ parvæ inerant, frequentes & claræ, à quibusdam Laconium dicebatur.

Jam frequens est OPHITES, quod Serpentis formas & maculas distinctas exhibet, cujuscunque tandem coloris. Duo genera ratione duritiei & mollitiei occurrunt. Unum durius, quod recte ad marmora refertur & hic locum habet: aliud mollius, quod cultris secatur, ex quo varia efformantur, quod potius ad Alabastra, ut supra dictum, spectat. Hujus generis est Zeiblicium, quod in Misniâ reperitur, vulgo Serpentenstein / cinereum, subnigrum & subviride, maculis albis, viridibus, purpureis, nigris, imo lineis quibusdam variegatum. Varia ex eo conficiunt, pocula, cochlearia, mortaria, laminas incurvas, aliaque ejus generis. Quandoque adeo mollis est hic lapis, ut humorem imbibat, quod ut impediatur, oleo nucis Moschatæ inungunt vasa ex eo fabricata.

Commendatur ad multa, quæ schedulâ typis mandatâ enumerare solent venditores: sed, omnibus fides an sit habenda, valde dubito. Hæc autem sunt.

Lapis Serpentinus calefacit, phlegmata consumit, dispellit, omnium membrorum dolores exstirpat. Commendatur ad Colicam passionem, ventriculum frigidum, ejusdem dolores ex cibi copiâ, calculum arenosum, Podagram, Chiragram, si ex eo bibatur, & calefactus loco dolenti applicetur. Ad Phthisin calefactus pectori & abdomini supra umbilicum applicatur; Pulmonibus enim & Hepati succurrit. Plura prædicantur, quibus enumerandis supersedeo.

Quæ ex hoc lapide possideo artificiosa, suo loco enumerabo.

MARMOR CINEREUM Seravitianum durius est, & vere marmor, quamvis ad Serpentinos & Ophitas à quibusdam referatur, quia maculis insigne est. Seravitiæ aliisque in locis Italiæ invenitur, ut & Germaniæ quibusdam locis. Ex hoc globi conficiuntur parvi, ut manibus detineantur, ab iis qui febre ardente laborant. His enim recreari videntur, dum refrigerando dolorem mitigant & calorem.

Subviridis ille lapis, Italis VERDELLO dictus, huc quoque spectat; eo enim utuntur Lapidis Lydii loco, ad aurum & metalla probanda. Quidam Thyitem veterum esse arbitrantur. Reperitur etiam in Norvegiâ, unde ad me allatus quidam polituram admittit, & ad metalla, non secus ac verus lapis Lydius, probanda adhibetur. Bituminosi ac sulphurei quid ei inesse videtur; hinc fit ut ex eo in mari sæpe frutices marinæ nascantur & nutriantur, cujus exemplum demonstrare possum in fuco verrucoso ex eo enato, cum radicis, si modo radix dicenda, particulæ ei adhæreant.

Ad flava Marmora PHENGITEM referunt, qui venis flavis & transparentibus micat. Talis is est, qui Romæ in templo S. Mariæ in porticu spectatur, ubi columna ex eo fabricata visitur dimidiata, colore flavo, parietis rimam claudens, & externam lucem solari fulgore intromittens, ita ut, sole radios suos in columnam jaculante, ardere videatur; de quo multa fabulantur. In Germaniâ etiam flava occurrunt, quæ, si mollia sint, ad Alabastra referuntur; Quidam vocant Gelber Spat.

PORPHYRITES inter rubra principatum obtinet, Italis Porfido, durus admodum est & splendidus: Ex eo fiunt non solum columnæ, sed & mortaria, & crustæ, ad colores & lapides pretiosos lævigandos; attritione enim nihil à se remittit. Ex hisce constant Obelisci, qui Romæ visuntur literis Hieroglyphicis insignes ad templum Johannis Lateranensis, & in Vaticano. Hos immensæ molis lapides multi artificio singulari ex frustulis marmoreis fusos esse arbitrantur; quia in Italiâ fodinæ nullæ sunt, quæ tam ingentem molem suppeditare possunt; deinde quod ob vastitatem per mare transferri nequeant. Sed Plinius libr. 36. cap. 9. expresse modum, quo ex Ægypto eo delati sunt, describit, quem consule. Nobis ex Porphyrite globulus est & columnula.

Ex Oelandiâ Sueciæ ad nos marmoris purpurei adfertur genus, ex quo opercula sepulchrorum, mensæ & strata conficiuntur: politum parum cedit Marmori Italico. In eo quandoque venæ discurrunt candidæ exacte circulares, quæ nummos repræsentant, ut in mensâ, quam teneo, videre licet.

Inter MARMORA VARIEGATA & scripta, meritò locandus GARANTRONIUS Imperati; nisi forsan dicere velis marmora scripta colore albo & nigro constare, hunc vero Garantronium purpureo & flavo. Pulcher lapis est, literis quasi Arabicis à natura sibi inscriptis superbiens, colore aureo in corpore purpureo. Concretus videtur è Terrâ purpureâ & putaminibus aureis, superveniente succo aut spiritu lapidifico. In Asiâ inter ornamenta corporis gestatur, & ex eo manubria cultrorum & gladiorum conficiunt.

Mihi unus est quadratus unciæ longitudine & latitudine, crassitie tertiâ unciæ parte, per cujus centrum foramen transit, ut per id filum mediocre trajici possit. Vide Ferrand. Imper. Hist. Nat. lib. 24. cap. 25.

Ex alio genere Marmoris VARIEGATI globulus mihi est, Nucem Moschatam magnitudine fermè æquans, oculi structuram haud inepte referens. Maxima pars corneam referens tunicam cinerea est. Hinc iris sequitur flavescens, qualis in felium oculis cernitur, pupilla verò, nigricante circulo cincta, magis ad albedinem inclinat; structura & circulis satis affabrè circinatis, oculum, ut dixi, tam magnitudine, quàm figurâ exprimit.

FLORENTINUM Marmor huc etiam spectat, quod per se maximâ ex parte, cinereum licet sit, maculis tamen fuscis, & lineis obscurioribus, hinc inde ductis & discurrentibus, jam turres, jam ædes, montes, flumina, ac integras exhibet civitates. MARMOR FLORENTINUM VARIEGATUM appello.

Tria mihi sunt ejus generis, unum rude & impolitum adhuc, in quo urbium duarum, flumine discretarum, apparent effigies, suis turribus præruptis, ruinis aliisque ejus generis eleganter distinctarum, ac si penicillo pictoris depictæ essent. Quadratum hoc est, quovis latere uncias tres cum semisse æquante.

Alter lapis politus est, quadratus quoque, ita tamen ut longior sit quam latior, longitudine namque superat uncias tres, latitudine duas, in laminam efformatus non admodum crassam. In eo conspiciuntur prærupta turris majoris rudera, & urbis inæqualiter sitæ domus & ædificia, discretis coloribus, & artificiose variegata, à Naturâ, sine omni artis ministerio. Cinereum ad flavum inclinans est illud quod aërem repræsentat, lineis quibusdam tenuibus transversim excurrentibus.

Est & ex eodem MARMORE globus quidam machinam orbis terrestrem à Naturâ effigiatam apte ostendens. De quo plura inter artificiosa è lapidibus elaborata dicendum; licet pari jure huc spectare possit, quia ab arte nil nisi globosam figuram & polituram acceperit.

MARMOR DE MONTE SINAI, seu Pictra Embuscata dicta Ferrando Imperati Hist. Nat. lib. 24. cap. 24. etiam ad variegata marmora pertinet. Nomen sortitum vult ideo quod ex monte Sinai Hierosolymitano depromi putent. Albicans est, ad flavedinem tendens, & quocunque modo secetur aut dividatur, in eo arbusta & frutices, colo-

colore nigricante, ſubtiliter à Naturâ depicti apparent. Si ſupra ignem ponatur, brevi evaneſcit pictura, & nil niſi nudus remanet lapis, ſui coloris, adeo durus ut calcinari nequeat, ſed fortiſſimo igne inſtar vitri fundatur. Figuræ iſtæ ortum trahere videntur ab exhalationibus quibuſdam in lapidis generatione ejus corpori ſe inſinuantibus, ut in Pyrite fieri ſolet.

Is quem mecum communicavit Nobiliſſ. Georgius Roſæcrants ſummus Regis theſaurarius, planus eſt, figura ovali, longitudine trium circiter unciarum, latitudine duarum, craſſitie dorſi cultri. In eo depicta eſt arbor per cujus truncum hedera ſerpit, ad radices plantulæ quædam, ad latera folia ex arbore quaſi decidentia. Coloris eſt albicantis ad luteum tendentis, alterâ facie politus, alterâ rudior adhuc, in quâ etiam truncus arboris conſpicitur hederâ lambente ornatus, ſed comæ amputatæ partes, hinc inde per corporis ambitum diſperſæ: omnia depicta colore cœruleo nigricante elegantiſſime; Ad radicem perreptat vena quædam lapidis flavior.

Omnis vero harum figurarum in hiſce variegatis Marmoribus varietas, ex venarum variis coloribus in Terræ gremio infectarum diſpoſitione, & partium ex quibus conſtat diverſitate, ſituſque proportione ortum trahit.

Marmora multi imitari conantur. Sed duritie & pondere pauci ea aſſequuntur, licet colore & ſplendore poſſint. Quidam Pragæ tempore Rudolphi II. ex gypſo, aliorum lapidum pulvere, quibus ad pondus augendum cineres plumbi addebantur, cum aceto vel lactis ſero, in quo caſeus ſolutus erat, maſſam conficiebat, ex quâ menſas & ſphæras fundebat, quas exſiccatas, politura ſplendidas faciebat. Nonnulli ſilices, lapidum variorum fragmenta, ſanguinem hirci aut bovis miſcebant, addendo vinum ardens & fel bovinum, ac in formas premebant marmora ut æmularentur. Sunt qui aquâ calidâ caſeum contundunt, addendo calcem vivam & colores quoſvis corpus ſolidum habentes, ut Cynabrium, chryſocolla, ochra, hæmatites, Viride æris, &c. Alabaſtrum quidam Italus pulchrè æmulabatur, ſilices fluviatiles in pulverem redigendo, additâ calce vivâ, aquâ glutinis, ex eâ paſtâ formabat imagines, quæ politæ, elegantiſſimæ erant. Sereniſſimus rex noſter Chriſtianus IV. etiam Italum quendam Piero nomine habuit, in hac arte principem, qui ſtatuas varias ex certâ maſſâ fingebat, quæ durum marmor æmulabantur, ſed coloribus deinde pulchriores reddebat.

CAP. V.

De Saxo calcario, Gypſo, Lapide Bononienſi, Pumice, Poro, Alcionio, Aſſio.

VIDIMUS hactenus lapides MAGNOS, qui frequentius occurrunt, duritie inſignes: jam eos expendamus, qui molliores ſunt, & etiam magnitudine conſpicui; cujus generis ſunt, Saxum Calcarium, Gypſum, Lapis Bononienſis, Pumex, Porus, Alcionium, Aſſius, &c.

Saxum, unde calx conficitur, CALCARIUM nobis dictum, vulgare eſt, multiſque in locis reperitur: varia namque ſunt ſaxorum genera, ex quibus fieri poteſt; ſed, ex quo optima fit, albicans & fuſcum eſt, cujus copia ingens paſſim in totâ Daniâ reperitur, Selandiâ, Cimbriâ, Scaniâ, Norvegiâ. Quibuſdam in locis Natura mire in his ſaxis ludit, tubulos, ramenta, globulos, virgulta, aliaque in iis exprimendo. Hi lapides, ut ex iis calx elici poſſit, primum uri debent, atque ſic ignem illum concipiunt, quem in ſe potentiâ ſervant, ut aquæ frigidæ affuſione in actum deducatur. Calorem illum in Calcis-ſale calidiſſimo & ſicciſſimo conſiſtere volunt, cui cum aqua frigida affunditur, ob antiperiſtaſin partium calidarum, per totum ejus corpus diffuſarum, ad interiora repulſionem, à contrario factam, augetur vis ejus & in actum deducitur, cum virtus unita fortior ſit diſperſâ.

Ex Calce recenti illud fit, quod veteres MALTHAM vocabant, res omnium tenaciſſima, & lapidis duritiem antecedens. Gleba calcis vino reſtinguitur, mox funditur cum adipe ſuillo & ficu, duplici linimento. Quod maltatur, prius oleo perungitur, ut ſupra ex Plinio docuimus.

Calx viva corpori applicata urit & cruſtam inducit, reſtincta mordacitatem exuit & exſiccat; lota cum oleo & cerâ cicatricem inducit. Si cum aceto exſtinguatur & ter lavetur, cumq; oleo roſaceo ad linimenti formam redigatur, combuſta abſque Cicatricis

vestigio sanat; nec bullas elevari permittit. Fit ex eâ aqua mirabilis ad ambustionem, fistulas, cancrum, maculas & rubedines oculorum; Item ad vestium byssinorum maculas eluendas; hoc pacto. ℞. calcis viv. ℥iij. Aq. pluv. ℔iss. M. stent triduo in vase, postea agita, quiescant inde 24. horis in vase obturato, coletur per linteum, & adde salis Ammoniaci albiss. ʒx. bene triti, M. optime, destilla per filtrum, oculis quotidie tres guttæ instillentur: ad vestes calide eâ utendum ut & reliqua. Si in æneo vase relinquatur, celestinum colorem acquirit.

Gypsum, Germanis Gips vel Spat / Italis Gesso, Gallis *du Plastre*, lapis est albus, mollis Alabastri instar; qui cum leviter uritur, ex eo fit calx ista, quæ Gypsum vocatur. Ex ipso Alabastro & aliis lapidibus, variorum colorum Gypsum confici potest, qui tamen omnes album colorem acquirunt, usti ubi fuerint.

Usus ejus est ad statuas ingentes & lævissimas faciendas. Ex stupâ aut fæno semiformantur statuæ, & tenui crustâ gypsi obducuntur ac formantur; ut mole in admirationem spectatores trahant. Ex eo quoque crustæ obducuntur parietibus, variis sculpturis speciosæ. Cum polline lapidum duriorum, pulvere plumbi & lacte, in veros lapides transit, & si colores adjiciantur, Marmor, pondere, nitore & colore imitatur quam maxime. Pictores ejus usum etiam habent: colores eo miscent, ex massâ penicilla dura conficiunt, quibus pingunt absque humido: hoc vocant siccis coloribus pingere. In arte Medicâ etiam locum obtinuit. Adstringit enim, obstruit & emplasticum est, ad sanguinis eruptiones adhibetur; postquam enim madefactum est, lapidescit. Intro sumi non debet; nam inter venena, quæ strangulant, recensetur.

Lapis bononiensis, à quibusdam spongia Solis, ab aliis spongia Lunæ, à quibusdam retinaculum luminis cœlestis, lapis Illuminabilis, lapis Lucifer, lapis Casciarolanus, Pietra Strellina dictus; Phosphorus Kirkero. Invenitur hic lapis in quibusdam collibus propè Bononiam in monte Paterno, quatuor milliaribus ab urbe dissito: reperiri quoque in agro Tolfensi, ubi lapides Aluminis eruuntur, docet Kirkerus.

Definit massam fossilem, gypso sulphureo seleniticam, multum Arsenici, Antimonii & Chalcanthi admistum habentem: Vix invenitur pugno major, nullam certam à Naturâ obtinuit figuram, colore variat, aliquando cinerei est, aliquando nigrioris, aliquando flavi, aliquando rubiginosi, aliquando subcœrulei, imo misti. Ratione materiæ quatuor ejus genera observarunt. Quidam enim horum lapidum in latiusculas lamellas sunt scissiles, cortice pallente, modo scabro, modo lævigato; quidam strias habent in modum Stybii radiantes & candicantes. Quidam cortice vel lævi vel aspero, colore cinereo radiant, ubique striis vel rectis, vel obliquis, ad centrum tendentibus. Quidam ad dilatatum centrum stricti valde sunt & friabiles, colore nigricante.

Mirabili virtute præditus est hic lapis: præterquam enim quod affrictu pilos eradicet, calcinatus lixivium præbet, quo Psilothri vice uti licet; vomitum etiam violenter movet ejus pulvis, vel calcinati infusum. In primis eo nomine celebratur hic lapis, quod singulari proprietate polleat lucem ad se attrahendi & conservandi. Si enim Soli aut igneæ flammæ opponatur, sic illustratur, ut inde translatus ad locum tenebricosum conceptam recens lucem diutule retineat sibi infixam, adeo ut in tenebris instar Carbonis ad semihoram ardeat, idque toties, quoties ita Soli aut lumini ambientis fuerit admotus. Verum non ultra duos annos vim suam retinet, sed paulatim fatiscit & lapis remanet effœtus. Verum hanc vim lucem attrahendi lapis hic non nisi præparatus obtinet; quocirca, quomodo præparetur, paucis dicendum.

Lapis vel integer, si purus sit & melioris notæ, in furnulo ad id constructo calcinatur, vel, si impuriores partes admistas habeat, in pollinem tenuissimum redactus, ovorum albumine, vel etiam aquâ communi, à quibusdam etiam oleo lini, in unam massam redigitur, quæ si post primam Calcinationem lucem non arripuerit, toties ejusmodi calcinatio repetenda est, donec optatum effectum consequaris, quem efflorescentiæ quædam minutissimi roris grana referentes significant; quas ad superficiem sudare videtur, & in quibus maxime virtus lucis conceptiva, sine alterius rei permistione, residet. Hac ratione præparatus lapis scriniis quibusdam, seu arculis ad id præparatis imponitur. Si igitur conceptum lucis splendorem amicis ostendere desideres, lapidem cum thecâ Solis diurno splendori, vel si Sol non fulgeat diurnæ luci, vel noctu igni valido, facibusve accensis expones per quadrantem horæ. Thecâ clausâ mox defer in obscurum locum, apertoque scrinio videbis lucem non secus ac carbones de se diffundere, quæ tamen

non

non diu durat, ut suprà dictum. Quâ verò vi & facultate lapis hic lucem attrahat, retineat, circumferat, & rursum de se fundat, à multis diu multumque inquisitum variantibus sententiis. Quidam lumen substantiam & corpus esse existimarunt, & lapidem trahere lucem eâ ratione quâ Naphtha ignem & Magnes ferrum trahere solet. Quidam voluerunt lumen in hoc lapide cœlestis & igneæ substantiæ qualitatem esse ac non secus ac alia omnia noctiluca in obscuro lucere.

Quidam lapidem à lumine ambiente accendi secundum particulas seu atomos existimant, in quas assidùe resolvitur. Athanasius Kirckerus lib.3. de Magnete p.505. concludit lapidem hunc calcinatum, siccitate suâ bibulâ, vapidum, lucis fœturâ gravidum, non secus ac spongia humorem vicinum combibere, atque intra poros recipere, ubi actuali frigiditate lapidis cogitur, arcteque cum propriis partibus tenuioribus copulatum, in unum corpus lucidum coalescit. Quia verò vapidum illud illuminatum lapidi adjunctum, à calce, cui permistum est, facile consumatur; lumen quoque, cujus dictum vapidum veluti vehiculum quoddam est, una cum vapido destrui necessum est. Qui fusiorem de hoc lapide vult tractatum, legat Clariss. Fortunium Licetum, qui ex professo hoc egit, Kirckerum loco citato, & Poterium.

Mihi hic lapis est, tam crudus quam præparatus. Crudum dono habeo Viri Clariss. D. Henrici Fuicenii, qui ex Italiâ secum detulit; Ovalis est figuræ, compressus, scaber & inæqualis, coloris cinerei, micis splendentibus conspicuus: quâ parte politior, splendoris de se majorem fundit gratiam. Parvus licet sit, juglandis magnitudinem vix attingens, ponderosus tamen est, adeo ut ʒv. cum dimidiâ æquet; odore est sulphureo instar Pyritis, talcosum quid præ se ferens.

Præparatum habeo pixidi inclusum, qui cum exactè calcinatus non videatur, frustula majora tessellata cineri seu calci permista ostendit, ac in superficie flavum quasi florem ostendit sine aliquo splendore, qui in frustis majoribus apparet. Quia verò effœtus jam est hic lapis, nec vim illam attrahendi lumen amplius ostendit, spectaculo hoc oculos auditorum pascere nequeo: quatuor enim effluxere anni, ex quo Bononiæ calcinatus fuit, ut docet Epigraphe. Cum ego pixidem acciperem, fundus ejus obductus erat cerâ rubrâ, cui inhæsit lapidis calx exiguâ quantitate, drachmarum nempe duarum, cui superstrati erant ad operculum usque bombacis flocci, operculum verò pixidi cochleâ aptabatur.

PUMEX, Græcis κίσηρις, quasi à vermiculis erosus, Germanis Bynstein / Kratstein / quia in Balneis ad cutim fricandam eo utuntur. Lapis est erosus spongiosusque, exiguis cavernis refertus. Colore quandoque est nigro, qualis ille, quem Islandiæ Hecla evomit; quandoque cinereo, quandoque candido. Duritie etiam differunt: quidam manibus in arenam teri possunt, quidam duriores, omnes adeò leves ob aërem inclusum, ut aquæ innatent. Candidi reliquis præferuntur, ut & leviores, qui maxime aridi & spongiosi, atque facile teri possunt, & fricando non nimis arenosi.

Pictores ad telas suas lævigandas eo utuntur; Balneatores in Balneis ad corpora fricanda. Ustus trinâ ustione & vino exstinctus extenuat & siccat, cicatrices emendat; dentifricia quoque ex iis fiunt.

Ex Incendio Heclæ magnos & globosos, nigros tamen ejaculatos tenemus, qui leves admodum sunt, licet magni.

PUMEX VULCANI, qui Syracusanus etiam dicitur, quia Mons Vulcani non procul Syracusâ distat. Sunt namque prope Siciliam, septem Insulæ Vulcaniæ, seu Æoliæ dictæ, ex quibus quædam sulphure, bitumine, aliisque mineralibus scatentes, è montibus ignem eructant. In primis mons Vulcanus dictus hujusmodi incendio celebris; in eo lapides excocti, & exusti, porosi evadunt, & in Pumices degenerant. Hujus frustulum album ad Cinereum inclinans, asperum, leve, vix scrupulos duos pondere superans, mihi ex Siciliâ redux attulit D. Thomas Bartholinus, quod reliquis pumicibus subtilius est, easdemque cum aliis obtinet vires.

FLUENTIS ÆTNÆ COAGULUM, massa quædam est ex Ætnâ monte Siciliæ petita, colore atro ad lividum inclinante. Coagulum vero dicitur, quia hæc massa coagulata est ex lapidibus, calce & sulphure, quæ simul calore flagrantis Ætnæ liquefacta, instar rivi igniti ex Ætnâ defluunt, sed frigore tandem ambientis condensatæ, massam hanc præbent, in quâ duriora & crassiora infimam tenent partem, sulphurea verò & leviora suo colore se prodentia superiorem, in vitream quasi substan-

ſubſtantiam converſa. Pondus totius maſſæ unciarum eſt duarum, cum totidem drachmis.

Ejuſdem montis & ab eodem tractu ad me delati ſunt lapilli cinerei obſcuri & aduſti, qui vi ignis naturam ſuam plane amiſerunt & poroſi ſunt redditi, leves & inæquales, ita ut ad naturam pumicum quam proxime accedant, ſed friabiliores ſunt, & facile in minutiores partes, vel digitorum compreſſu diſſiliant.

Ab eodem tractu eſt exiguus lapillus Cyaneus impolitus, quadratus ferme, foris cineribus quaſi aſperſus, pondere ℈j. durus, Praſſium colore referens; Ad fluores referendum eum eſſe arbitror.

Chryſolitum æmulatur alius lapillus ex eodem erutus monte, pondere ſcrupuli ſemis, aureus, pellucidus; qui etſi dubitetur an inter gemmas locum mereatur cum priori, quia tamen hic de iis, quæ ex Ætnâ monte ſunt allata, agitur, hic eis locum tribuendum cenſui.

Porus vel Tophus, Græcis πῶρος; aſper eſt, ſcaber, naturâ facile in arenam ſolubilis, cum Pumice affinitatem habens; quia enim poroſus & foraminibus plenus, levitate præditus eſt. Reperitur variis in locis Germaniæ, prope Coburgum in ditione Mansfeldicâ, & alibi. Roſchildiæ etiam in magnâ copiâ hortos in urbe ſepis loco eo cinctos vidi. Propter levitatem commodiſſimi ſunt ad replendas parietum collabentium rimas, cum præ levitate non premant, & glutinent facile extrema.

Cum verò omnis Porus naturâ ſuâ ſit ſcaber, levis & friabilis, Plinio teſte, huc non immerito à quibuſdam referuntur Alcionia, quæ etiam lapideam habent naturam, ſed ortum tamen ex mari, cujus aquæ cum ſalſæ ſint, ex ejus ſpumâ, cum tenuiſſimis ſordibus permiſtâ, accedente ſucco lapideſcente, in varias figuras concreſcunt. Nomen verò trahunt ab avibus, quæ Halcyones à Græcis, à Latinis Alcedones vocantur, quia ex iis mari innatantibus nidos fingunt & conſtruunt.

Alcionii verò duo videntur genera: unum mollius, quod ſpongioſam & vegetabilem habet conſiſtentiam, de quo inter Vegetabilia ſuo loco ſermo erit; Aliud durius & lapideum, Pori lapidis naturam habens. Hoc etiam partim ramoſum eſt, quod ad corallia ſpectare videtur, atque inter ea recenſebitur: partim globoſum, de quo nobis hic ſermo erit; ἁλὸς ἄχνην quidam eſſe putant. Veteres quinque genera proponunt. Unum figurâ ſpongiæ ſpiſſum & grave; alterum figurâ longiuſculâ, foraminibus plenum, læve, odore algæ ſimile. Tertium ad vermiculi figuram propius accedit & ad purpuræ colorem, ſed molle eſt; Mileſium vocant. Quartum lanis pinguedine ſordidis foraminibus plenum, leve. Quintum quia leve quoque, fungo ſimile, intus aſperum, pumicem refert, acre, odore carens. Nos ea genera, quæ habemus, enumerabimus.

Ad primum genus refero primum Alcionium ſeu Porum roseum. Eſt enim inſtar Spongiæ ſpiſſum & grave, ovalis figuræ, in ſuperficie ſcabrum & poroſum. Quia verò foramina ejus ita ſunt diſpoſita, ut figurâ ſuâ Roſas parvulas æmulentur, Roſeum vocavi; alioquin fibræ ſeu laminulæ, ex quibus conſtare videtur, tranſverſim oblique corpus lapidis pertranſeunt. Quibuſdam in locis majora habet foramina, in quibus vermiculi aut teſtaceum quid nidulari poteſt.

Ad Alcionium ſecundum Dioſcoridis referendum illud videtur, quod ex Iſlandiâ Anno MDCLI. accepi. Corpus eſt oblongum, unciarum novem longitudine, latitudine quatuor, quadratum ferme & compreſſum, ſupra corticem quendam (ut videtur) concretum, ejuſdem longitudinis, ſed latitudinis minoris, adeo ut vaginam gladii referat, colore ferrugineo. Credo in eo aviculas nidos conſtruxiſſe, quia omni ex parte cavum eſt. Supra hunc corticem concrevit Alcionium ipſum unciæ craſſitie quibuſdam in locis leve, molle, friabile, ſpongioſum, inæquale, foraminibus majoribus & minoribus præditum, coloris cinerei, niſi quod in uno latere ad viriditatem vergat. Inſipidum plane eſt, niſi quod intra dentes contritum arenaceum quid præ ſe ferat. Ex ſpumâ marinâ & quiſquiliis arenaceis concretum arbitror.

Porus roseus alter is eſt, qui quidem ejuſdem ſubſtantiæ eſſe videtur, ſed totum corpus roſam figurâ æmulatur. Rotundus eſt, in diametro rotunditatis uncias tres habens; parte ſeſſili veſtigia apparent trunci aut radicis, ex quâ tanquam ex centro in circumferentiam lineæ recta excurrunt per ſuperficiem inæqualem tuberculis & ſinubus, pars vero convexa hinc inde diſcurrentibus criſpatis prominentiis inæqualibus folia roſarum æmulatur, unde hoc nominis ei indere placuit.

Aliud

Aliud est, quod huc etiam referri potest, spongiosum & grave pari modo scabrum & porosum, globosum, sed non ut in priori Rosam refert pororum dispositio, verum extuberantibus & hinc inde discurrentibus tubulis & cavitatibus continuum undarum fluxum & refluxum egregiè repræsentat, unde ALCIONIUM UNDATUM vocare libuit, ejusdem alioquin cum priori est substantiæ & duritici.

ALCIONII MILESII, seu TUBULARÆ Imperati simile quid esse videtur substantia quædam lapidea cinerei coloris, cum ejus descriptioni, colorem si exceperis, optimè competere videatur, ex mari ortus hic lapis facillime findi ac scindi potest; tota fistulosa, parallelis etenim, seu canaliculis, internodiis aut septis quibusdam distinctis, miro naturæ artificio constructum visitur, quæ inter se dum coalescunt, superficies aliquot per intervalla constituunt, ac si crustis constarent. Quidam existimant instar favi cujusdam esse, in quo animalcula marina generentur; Est qui ad Astroitem referat.

Ad tertium genus ALCIONII, si externam formam spectes, referre licet lapidem albissimum POROSUM ex vermiculis quasi quibusdam conflatum; sed substantiâ non multo molliorem præcedenti. Color ejus non purpureus, sed candidus est, cretæ instar; Milesium igitur non dicendum, ALCIONIUM CANDICANS VERMICULATUM vocare libuit: constat enim ex vermiculis petrefactis, mire inter se contortis, qui concavi sunt, ut vermium tubuli potius quam vermiculi sint dicendi. Nescio an ad petrefacta potius, an ad aquas lapidescentes, sit referendus hic lapis, quam ad Poros aut Alcionia.

Ejusdem namque substantiæ & candoris sunt PILÆ quædam MARINÆ, porosæ, crispæ, ut saccharum, quo apud Pharmacopæos semina & alia incrustari solent, referant, sed quantitate sunt majore, juglandem superantia. Quædam sphæricæ sunt figuræ, quædam compressæ aliquantum, quædam oblongæ ejusdem porositatis; omnes elegantes crispaturâ & candore oculos pascentes. SACCHARINUM ALCIONIUM quis diceret, à figurâ externâ petitâ denominatione. Si frangantur globuli; lapillus in eorum centro seu meditullio reperitur, circa quem non secus ac saccharum substantia illa lapidea concrevit. Mihi hic lapis ille videtur quem Doldius cistæ Medicæ Hornungi Epistola 15. ad GALACTITEM asperum refert. Nam ex littore Norvagico meus non secus ac ille petitus, nec abludit color, & solutio in succum lacteum si cum aquâ super cote teratur.

Ad hanc classem veterum præcipui referunt ASIUM vel ASSIUM lapidem, quem etiam SARCOPHAGUM vocant, eo quod carnes humanas consumat nudatis ossibus. De eo variæ sunt Authorum opiniones. Plinius & veteres ad Pumices & Poros referunt. Sic enim ille lib. 36. cap. 17. In Asso Troadis, Sarcophagus scissili venâ scinditur; corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra quadragesimum diem, exceptis dentibus. Ejus generis & in Lyciâ saxa sunt & in Oriente, quæ viventibus quoque alligata erodunt corpora. Mitior vero est servandis corporibus, nec absumendis; Chernites ebori simillimus, in quo Darium conditum ferunt, Parioque similis candore & duritiâ, minus tamen ponderosus, qui Porus vocatur.

Assius gustu salsus, Podagras lenit, pedibus in vase ex eo cavato inditis. Præterea omnia crurum vitia in iis lapicidinis sanantur, cum in metallorum fodinis omnibus crura vitientur. Ejusdem lapidis flos præparatus in farinam mollem, ad quædam perinde efficax. Est autem similis Pumici ruffo.

Galenus Assium lapidem ait esse non durum, sed laxum, friabilem, consistentiâ & colore quasi Tophi. Dioscorides Assium seligendum vult colore Pumicis, levem, fungosum, friabilem, habentem venas luteas ad imum actus. Matthiolus circa Tridentum in Vitrioli Minis, propè montem Liveginem, reperiri existimat, eo quod notæ conveniant.

Cæsalpinus in Ilvâ exstare putat, ubi Alumen fossile, & Chalcanthi vena foditur, colore candido instar Sacchari, venis & maculis luteis, gustu subadstringente & linguam modicè mordente; item sine maculis luteis Pumici similis, fungosus, & in superficie concretionem quandam esse ait similem sali, sed lapidosam, sapore ferme insipidam. Tertiam etiam speciem ibidem reperiri ait, venis se intersecantibus in profundum; qui exterius in tenuem farinam candidam solvatur, minime mordentem; qui ejus flos est. Non emanat autem flos luteus nisi ex habente maculas luteas; cujus sapor etiam est efficacior. Dalecampius in notis ad Plinium, dicit quosdam existimare eum esse genus

Pyritis Chalcantodis, quosdam autem Mysios, alios Pumicis ærosi, adeo incertum quid de hoc lapide statuendum.

Ego in peregrinatione meâ Gallicâ, in templo D. Hilario sacro, parieti austrino infixam vidi tumbam lapideam, coloris cinerei, cujus substantia Saxea aut Marmorea erat, tantæ capacitatis, ut cadaver humanum integrum capere potuerit. Hic pro Sarcophago vel lapide Assio monstratur accedentibus. Verum porosus non est, sed durus & solidus, ut ex frustulo, quod ex eo excussi, videre licet. Vestibus affrictum ut incalescat, fœtorem cadaverosum spirat. Ferunt cadavera ei indita, viginti quatuor horis prorsus absumi relictis ossibus; an ita se res habeat, ignoro. Alioquin & omnes lapides, quibus sepulchra teguntur, Sarcophagi vocari solent.

Huic non absimilis est ille, ex quo elaboratum cernitur caput humanum cum casside acuminatâ, dono Clariss. Viri D. M. Stephani Stephanii. Longitudine uncias quinque excedit, latitudine tres, pondere libram unam cum dimidiâ attingit, colore cinereo; ubi minus politus est & fractus, micant in eo striæ quædam minutæ. SARCOPHAGI titulo accepi; & lapis ipse & figura ei impressa elegans.

CAP. VI.

De Stalactite, Stalagmite, Osteocollâ, lapide Spongiæ, Vnicornu fossili, &c.

AD molliorum lapidum classem referimus STALACTITEM, Norvegis Berg-drab, qui lapis est, ut plurimùm cinereus, ad flavedinem tendens, varias figuras pro ratione generationis, modi concretionis, & corporum quibus adhærescit, obtinens. Generatur ex aquis vim lapidificam habentibus, materiam terrestrem subtilem secum vehentibus. Cum enim aqua per terræ canales effluit, aut ex alto decidit, aut lateribus alveorum agglutinatur, horum ratione varias acquirit figuras. Ex alto decidens, extremitati canalis, pyramidis formâ quandoque adhæret, & eodem modo eâdemque formâ induratur, quâ è canalibus defluens humor frigore hyemali congelari solet. Variis in locis Daniæ, Norvegiæ, Germaniæ, Islandiæ, Italiæ inveniri solet; formas ac figuras obtinet varias.

A quibusdam ad Osteocollas refertur, & à Chirurgis ad fracturas consolidandas commendatur. Si pulvis Drachmæ unius pondere bibatur, sudores provocat. Sunt qui ad Calculum pellendum commendent.

Eorum, qui STIRIAM referunt, mihi varii sunt. Primus mihi est porosus, levis, ex parvis stiriis & guttulis concretus, quæ vermiculos quasi exprimentes, lapidem mire implicant, & ramosum constituunt. Quævis verò Stiriola, licet tenuis sit & distorta, cavitatem in se habet, foramine in extremitate se prodentem, colore albo ad flavedinem tendente.

Ex Thermis Aponensibus in Italiâ Stalactitem duriusculum, variis distinctum coloribus habeo, maximâ ex parte cinereum, sed venas habentem intermistas rubicundas, virides & candidas, quæ de mineralibus huic aquæ, ex quâ prodit, mistis testari videntur, vitriolo nempe, ferro & alumine. Splendentes quandoque huic inseruntur Crystalli, duritie massam reliquam superantes. Ex sulphure, alumine, sale, nitro & calce constare has thermas vult Savanorola.

Aliud genus hujus lapidis ibidem quoque reperitur quod TUBULATUM vocare lubet, quod in formam tubulorum minimorum concrescat. Tubuli autem hi non omnes ejusdem sunt generis: quidam enim læves, quidam asperi sunt; quidam coloris nivei, quidam cinerei; concreti verò omnes videntur super paleas & stramina, siquidem eorum ductus majores non sunt quam ut stramentum admittant, & sunt in quibus paleæ & stramina adhuc inveniuntur.

STALACTITEM Styriæformem ex Norvegiâ habeo trium unciarum longitudine, Styriam exacte referentem, nisi quod duobus in locis ad latera ramuli quidam enati sint, qui guttulis suis etiam folia quodammodo exprimunt; crassitie parum superat pennam Olorinam, colore albo, superficie asperâ Crystallisatâ, granula moto corpore splendorem salinum exhibent, eleganti concretione.

Ex Norvegiâ & alium teneo STALACTITEM guttatim concretum, guttulis rotundis,

tundis, oblongis, piriformibus, quæ maſſam reddunt uniformem, ut BOTRITIM non abſurde nominare liceat. Colore eſt albo, candicante, guttulis lævibus & æqualibus, quamvis figurâ diſcrepantibus.

STALACTITES SIRACUSANUS elegans eſt, à Celeberrimo D. D. Thom. Barthol. ex Siciliâ aſportatus. Maſſa eſt levis & poroſa, ſuperficiei parte alterâ niveâ, inæquali, variis ductibus & bullis conſpicuâ, alterâ variis ramulis circumductâ, conchulis implicitâ, colore cinereo, cum rubicundâ hinc inde tincturâ. unde apparet, inæqualiter per ramulos, ſpiras & bullas concreviſſe hunc lapidem.

Speciem aliam STALACTITIS è Germaniâ habeo, coloris lutei, quam RETICULAREM non abſurde nominavero, guttis enim longioribus & vermiculatis ita coagmentata eſt maſſa, ut rete repræſentet, ſed non expanſum, verum convolutum, triquetram fermè habens figuram, ponderoſa admodum non eſt, ſiquidem totus lapis vix pendet uncias duas & drachmas duas.

STALACTITIS non in ſtirias, ſed maſſas concreti varia etiam occurrunt genera. Ex Thermis Carolinis, mihi allata maſſa ex cruſtis quibuſdam, jam craſſioribus, jam tenuioribus conſtans, flavis & candicantibus, alternatim miſtis, mollis & friabilis, ut facile digitis atteri poſſit. Ex fluentibus aquis in canalibus, cruſtaceam hanc conſiſtentiam acquiſiviſſe credo, dum ſeſe paulatim lapideſcens ſuccus illis agglutinat, Aquoſior & ſpirituoſior ſubſtantia ubi exhalaverit, remanet Tartarea hæc & lapidea.

In iiſdem Thermis aquis innatat CREMOR quidam, niveus, ſubtilis, cremori Tartari plane ſimilis; cujus uſu obſtructiones viſcerum aperiri, viſcida ac lenta incidi & attenuari volunt, ei vires omnes attribuentes, quibus pollere è Tartaro præparata medicamenta ſtatuunt. Hunc unà cum præcedente lapide, è Thermis Carolinis mihi attulit Vir Clariſſ. D. D. Caſpar Bartholinus P. M. mihi dum vixit affinis conjunctiſſimus.

Hujus generis STALACTITES Ramuſculo Betulæ circumductus & accretus, ex iiſdem locis mihi allatus eſt. Cruſtæ enim molles & friabiles lutei coloris, ita ramulum hunc ambiunt, digiti ferme Craſſitie, ut pars ejus nuda relinquatur; Incruſtratio vero hæc inæqualiter craſſa eſt, pro modo ac ratione varietatis accretionis.

Anno MDCLII. cum ex Angliâ rediret filius meus Wilhelmus Wormius ſecum attulit STALACTITIS Anglicæ ſpecimen circa ramos concretum. Duum autem erat generum, tenuis pennæ anſerinæ craſſitie, longitudine unciarum quatuor; alterum craſſitie digiti minimi, paris longitudinis. Cruſta vero ramulis obducta coloris eſt nivei, exterius ſcabra, arenacea, nullius ſaporis, generar vero in fonte in loco Comner dicto, tribus milliaribus ab Oxoniâ diſtante retulerat ei à quo acceperat.

Alius eſt STALACTITES CRUSTACEUS durior, candidior, ex inæqualibus, quoad craſſitiem, concretus cruſtis, quibus venæ quædam intercurrunt purpureæ, & luteæ. Extima ejus ſuperficies candidior reliquis, & cretæ modo quibuſdam in locis manus colore candido inficit, utraque vero, tam concava quàm convexa, ſcabra eſt & inæqualis.

Ex Galliis aliud genus accepi candidum, ſplendens, ſacchari conſiſtentiam habens, quod in ſpecu quodam ſubterraneo, duabus ab urbe Turonum Leucis diſtante *la Cava Guttiere* dictâ, reperitur. Hanc autem cavernam intrantibus, faces lumen ut præbeant neceſſum eſt; ſummum in eâ frigus medio æſtu, hyeme verò tepet, ut ſubterraneæ cavernæ ſolent. Hic aqua per fornicis poros ſeſe inſinuans vaporis formâ, paulatim ita lapideſcit, & ob puritatem admixti ſucci lapideſcentis, ſplendorem acquirit.

In Thermis Iſlandicis aqua etiam lapideſcit & in cruſtoſum convertitur STALACTITEM. Tranſmiſit ad me anno præterito ingenuus juvenis Trebonius Jonas Iſlandus talem maſſam, ſuis literis de ejus generatione hæc inſerens:

Addo maſſam quandam lapideam ex luto, vel ligno, (ut creditur) in hanc, quam nunc cernere licet, materiam tranſmutatam, in fonte illo fervido, à Saxone in Præfatione operis ſui indigitato: qui fons noſtratibus GEISER dicitur, quod aquam fervor ingenitus in ſublime evomat. Huic fonti Clariſſ. D. M. Brynulphus Epiſcopus honoratiſſimus, nuper lanam probandi cauſâ imponi curabat, quod putabat illam lapidi ob mollitiem maxime contrariam materiam referre. Quæ verò hic exſpectanda ſit Metamorphoſis, tempus & experientia dabunt. Hæc ille.

Maſſa hæc quam habeo quadrata ferme eſt, tam in longitudine, quam latitudine, tres habens uncias, coloris cinerei, aſpera, ex cruſtis ſenſim concreta, arenacea

plane instar Tartari Vini. Unde constat, non ex luto aut ligno transmutato factam, sed ex Sale seu Tartaro, aquæ isti fervidæ permisto, sed jam separato, concretum. Unde mihi persuadeo fontem istum res non in lapidem convertere, sed crustâ lapideâ aut Tartareâ obducere. Quod etiam eventurum puto lanæ, experiundi gratiâ ei immissæ; id enim abundè arguunt crustæ, ex quibus lapis noster coagmentatus est. Fons autem hic fervidus, ex quo hæc eruuntur, extare dicitur prope Skalholtum in valle Haukedalur dictâ, id est, valle Falconum.

AQUA LAPIDESCENS in Cryptâ Aurelianâ huc spectat, quæ nivea est, in formam placentæ rotundæ concreta, parte sessili inæqualis & aspera, cinereum colorem intermistum habens, alterâ parte lævis & figurâ hæmisphericâ fermè, ita tamen ut concretionis modus facile appareat. Cretosa & gypsea; abrasus enim pulvis candido tingit colore.

Longè alterius naturæ est aqua lapidescens, seu Stalactites, in cryptâ Vicentinâ CUSTOZA dictâ, totus enim Crystallinus est; quibusdam in locis albus, quibusdam ad flavedinem tendens. Mihi inter reliqua frustum est, quod circa ramulum arboris concretum fuisse videtur; corticis enim purpurei in meditullio ostentat reliquias.

STALACTITES SICILIANUS, niveus est & mollis, laminatim concretus, æqualis & reliquis omnibus magis compactus, non porosus. Si quid cultro abradatur, subtile est & colore albo tingit. Massula mihi oblonga est, pondere quinque circiter drachmarum.

Est in agro Neapolitano, Puteolos versus, lacus Averni dictus, cui adjacet villa Ciceronis, nemore & porticu insignis; Thermæ quoque Ciceroni dicatæ, Italis *i Bagni di Tritoli:* ad has Thermas, Sulphure, Nitro & Bitumine constantes, ægri mense Majo confluunt, cùm vel solus earum vapor prosit. Domus, in quibus curationi vacant, eleganti incrustatione sunt ornatæ; cujus incrustationis particulæ, quas teneo, ex lapillis aut marmore contuso cum gypso & aliis unitis constare videntur, quibusdam tamen in locis fungosæ, colore albo & cinereo. Quamvis hæc ad artificiosa spectare videatur, quia tamen cum Stalactite magnam habet affinitatem, hic locare placuit.

Circa eundem locum visitur Grotta Agrippinæ, ubi Neronem Imperatorem materna viscera rimatum ferunt. Hæc Grotta incrustatione etiam dotatur peculiari, cujus mihi frustum obtigit, rude, inæquale, gypseum, figuræ incertæ.

STALACTITIS elegans species illa est, quæ Tibuli in Italiâ in agro Romano invenitur. Hic, cum candidus, porosus, inæqualis ac variæ sit figuræ, tam exacte semina, aromata, & amygdala Saccharo incrustata refert, ut eo fallere multos liceat; quòcirca & nomen hoc apud Italos obtinuit, ut vocent I CONFETTI DE TIBULI. Substantia est non usque adeo dura. Ex eo calcem optimam conficiunt accolæ, ædificiis idoneam.

STALAGMITES ejusdem naturæ ac substantiæ esse videtur cum Stalactite. Sed figurâ saltem differt, quod semper globosè concrescat. Ejus species mihi est ex Thermis Carolinis allata, ex guttis aquarum rotundis seu sphæricis in lapidem gypseum ejusdem figuræ coagmentata, coloris candidi ad fuscum inclinantis. Separatæ guttæ pisa magnitudine & colore prorsus referunt, unde vulgo PISA CAROLINA vocantur, quod in Thermis Carolinis frequenter inveniantur. Lapis integer massam ovorum piscium majorum exprimit, continentur verò in eâ pisa plurima, suis quæque inclusa favis seu loculis, ex quibus levi negotio extrahuntur, Iconem hic damus.



Huc spectat AMMONITES seu HAMMITES, ex arenis compositus majoribus, ita ut ovis minorum piscium similis etiam videatur. Is, quem ego teneo, coloris est ferruginei, & ad Cenchritem quorundam referendus: singuli enim globuli, ex quibus constat, granum milii vix superant, facile vero disjunguntur; unde est, quod is, quem ego teneo, globulorum segregatione indies minor reddatur.

GLO-

Globuli majores concreti huc quoque referendi videntur, quorum mihi tria sunt genera. Quidam candidi sunt, exactè sphærici, iique vel singulares, vel bini simul juncti, vel terni, vel quaterni ex materiâ albâ & gypseâ constantes. Quidam hisce majores ex marmore cinereo conflati, bini cohærent.

Quidam etiam marmorei, sed coloris purpurei, jam binis, jam ternis cohærentibus. Imperatus lib. 24. cap. 27. causam hujus figuræ sphæricæ investigare conatur, & allegat rotationem factam ab aquis, quâ angulosa sæpe fiunt rotunda, vel ab ipsius aquæ motu. In locis incendiis subterraneis obviis, ubi mineræ sunt Sulphuris & Aluminis, tales globuli, vel separati, vel juncti inveniuntur, vel ab humoribus, vel exhalationibus subterraneis concreti. At ego locum, in quem humor subterraneus lapidescens incidit, multum huc facere posse puto. Si enim in foramina terræ inciderit sphærica, singularia vel juncta, etiam tales efformantur lapides, præsertim illi qui Marmora repræsentant.

Aliam speciem ex Islandiâ accepi Anno 1648. constantem tribus globis, viridibus instar Jaspidis, quorum globulorum quivis magnitudine est mediocris ovi gallinacei.

Osteocolla huc spectat, aliis Ossifragus, Osteites, Ammosteus, Osteolithus, Holosteus, Stelochites, Germanis Beinbruch / Bruchstein / Beinwol. Lapis est mollis, albo & cinereo colore, figuram ossis exhibens, concavus, quandoque in se medullam habens friabilem, linguæ adhærentem, & facile in liquore solubilem, quandoque vero nullam. Nascitur in Palatinatus locis arenosis, non procul à Spirâ, item prope Heidelbergam ac Jenam Saxoniæ, item in Silesiâ & prope Darmstadtum. Crescit per arenam formâ Coralli, interdum Brachii crassitie. Cum primum è terrâ erumpit, friabilis est, paulatim magis indurescit. Videtur margæ quædam species esse, quæ per terræ meatus discurrens, in talem figuram concrescit.

Duas ejus habeo species: altera scabra & inæqualis; altera lævior & minus aspera; sed ejusdem plane consistentiæ.

Commendatur ad fracturas ossium conglutinandas.

Matthiolus refert, trium aut quatuor dierum spacio, multorum ossa hujus lapidis potu conglutinata fuisse. Ejus usum ita proponit Quercetanus: unam illius drachmam in vino rubro exhibent, in quo prius Vinca pervinca fuerit infusa, idque mane per dies quatuor aut quinque; atque hac ratione dolores eximunt, graviaque Symptomata, fracturasque intra quatuor aut quinque dies sanant, magnâ cum omnium admiratione. Eodem lapide etiam uti solent in formâ cataplasmatis redacto, cum Geranio contuso & oleo Olivarum, vel Rosato, tam felici successu, ut sine ullo dolore & inflammatione partis ossa coagmententur.

Hasce tamen hujus lapidis vires extenuare videtur Guilhelmus Fabricius Hildanus lib. 1. observ. 90. ubi inquit: Graviter errant impostores nonnulli, qui hoc lapide se fracturas paucorum dierum spacio posse curare gloriantur: Attamen illum singulari quadam virtute, & proprietate occultâ generandi callum, præditum esse certum est. Eo enim refert idem se curasse fracturam completam & compositam triginta dierum spacio, in sene, qui alioquin duorum mensium spacio curari nequiverit.

Verum experientiâ doctus, monet in corporibus bene habitis & juvenibus cautè eo utendum esse. In iis enim callum nimis magnum generare solet, ut deformitatem inducat. Quocirca hoc genus remedii saltem in senibus & extenuatis, quibus languet calidum innatum, adhibendum esse censet. Alioquin hujus pulvere ad dentes dealbandos uti solent. Anshelmus Boëthius illam speciem, quæ odorata est, & margam in se continet, vim antidotalem habere autumat, & in Peste, febribus malignis, ad sudores movendos, & malignitatem per sudores expellendam, multum præstare ait, non secus ac cornu Monocerotis vulgò putatum. Quem in finem in pulverem redigi vult & aquâ ablui, ut arenosa subsidant, postea in pastillos redigi, & instar Terræ sigillatæ asservari.

Sed arbitror eum de altero lapide, quem Unicornu fossile vocant, & de quo mox sermo erit, loqui. Alioquin de Osteocollâ justum tractatum conscripsit Thomas Erastus, qui videatur.

In officinis quibusdam, pro Osteocollâ, Stalactitis quandam speciem vendunt, albam, porosam, levem, mollem, facile in liquore solubilem, sapore subsalso, quam tamen eandem cum Osteocollâ virtutem obtinere mihi non persuadeo. Subvereor esse spumam

maris congelatam seu Halosachne, quæ describitur fungosa, sine odore, aspera, aut Paretonium Plinii, si non Adarcion Galeni.

Veræ Osteocollæ non multum dissimilis est, tam quoad substantiam, quam quoad figuram, LAPIS SPONGIÆ dictus, quibusdam lapis CAPPADOX, Plinio Cysteolithos.

Substantiâ est friabili, colore albicante, succum lacteum de se præbente. Vim habet extenuandi sine insigni caliditate. Dioscorides laudat ad Vesicæ calculum frangendum; sed Galenus negat, Renum calculis pellendis aptum eum judicans. Ex Vino aut aliis appropriatis propinari solet.

CORNU FOSSILE, Gesnero Ceratites, Clusio Ebur fossile, Cæsalpino Lapis Arabicus, quibusdam Dens Elephanti petrefactus, aliis Lithomarga alba. Tam varia nomina ob figuræ varietatem, quâ conspicitur, ab Authoribus accepit.

Cum Osteocollis magnam habet affinitatem; quocirca ad lapides molles à quibusdam refertur. Est autem substantiâ lapidosâ, colore, lævore & formâ quandoque Cornu referens, quandoque durius, quandoque mollius, cortice exteriore duro, flavescente, nigro aut subcinereo, medullâ molli, albâ, levi, friabili, absque poris compactâ, adstringente, exsiccante, linguæ firmiter adhærente, odore grato. Invenitur tam in Italiâ, quam variis Germaniæ locis, prope Elbingerodam Sylvæ Herciniæ, prope Heidelbergam, Hildesheimium, in Moraviâ, Silesiâ, Saxoniâ.

Materia & modus generationis hisce exprimitur ab Anshelmo Boëtio à Boët: Materiam proximam generationis horum Cornuum, Margam vel Margæ speciem esse existimo, quæ dum lapidescente, & subterraneâ aquâ fluente irrigatur, solvitur & lactis instar fluit per terræ cavitates, in quibus si à terrâ adstante aquæ serosior pars absorbetur aut imbibitur, vel præterfluit, tum crassior pars cavitates implendo sistitur & absumpto omni humore coalescit, lapidisque formam & cornu præ se fert, aut Margæ tantum, si succus exiguam vim lapidificam habuerit. Hæc causa est quod interdum ejusmodi frusta crassa, interdum exigua & tenuia conspiciantur. Verùm si lacteus humor non in cavitatem, sed in lignum aliquod jam vetustate arefactum incidat, illiusque corpus jam leve & porosum subeat, & exhalatâ aquæ tenuiore portione, crassior ramaneat, lignum transmutat, ejusque partes sibi assimilat, ita tamen ut species ligni nosci, & interdum odor deprehendi possit. Quod ligno contingit, id etiam cornubus cervinis dentique Elephanti, aliisque quadrupedum partibus, si in hujusmodi loca decidant, contingere potest.

Hæc sententia proximè ad veritatem accedere videtur. Vim enim eandem obtinent hæcce cornua, quam Margis, Bolis, & Terris sigillatis adscribunt. Quod alii de cornibus Monocerotum diluvio per varia loca dispersis, bitumine liquido, succino aut lapidibus putrefactis philosophantur, probabilitatem habet nullam, aut valde exiguam.

Commendatur ad morbos omnes malignos, Pestem, febres malignas, assumpta venena, Terræ Lemniæ instar; cor roborat & à malignitate præservat: per sudores, quicquid maligni in corpore est, potenter expellit Dosis à ʒj. ad ℈iiij. in aquis appropriatis, aut vino. Ad Sincopen, cardiacam passionem, cordis tremorem, aliosque affectus cum aquâ appropriatâ scrupuli pondere; sic & ad puerorum Epilepsiam eodem modo. Vermes necare, fluxus sistere volunt, alvi, uteri, narium, hæmorrhoidum. Oculis lachrymantibus, si cum lacte in pollinem tenuissimum redactum instilletur, prodesse volunt, vi exsiccante & adstringente ulcera ad cicatrices perducere, intertrigines & ambusta curare observatum.

Verum non omnia hujus generis, hasce facultates obtinere recte statuunt quidam, qui magnam in hisce observarunt diversitatem; ut enim formâ, origine, & substantiâ inter se differunt, ita quoque viribus & facultatibus.

Quæcunque lapidum instar dura sunt, inodora, neque medullam habent, vix aliâ, quam exsiccandi vi pollent. Tale frustum ego possideo, quod durum instar lapidis, solidum, ponderosum, lignum fraxini præ se fert: venæ enim, striæ & laminæ ex quibus constat, nodis, nodosisque foraminibus insignitur, adeò ut figura externa plane fraxinum repræsentet; quocirca ad vulgaria ligna lapidescentia potius quam ad cornua fossilia retulero: adstrictionem in se habet nullam, nec odore aliquo præditum.

Quæ facile in pulverem rediguntur, linguæ adhærent, molliaque sunt, viribus enumeratis

meratis pollent: illa inprimis, quæ gratum ſpirant odorem, ad cordis commendantur affectus; cor enim roborare, & à malignitate præſervare animadverſum eſt. Si ſubſtantia ipſa ante tranſmutationem fuerit à Cervo, Elephante, Fraxino, juglande arbore, aut aliâ re quæ venenis adverſatur, maximam ad expellenda & ſuperanda venena habebit efficaciam, eoque majorem, ſi odor ipſius arboris, vel prioris corporis adhuc deprehendi poſſit. Tum enim qualitates iſtas adhuc in tranſmutato corpore remanſiſſe, ac vires, quæ in ſubtiliori materiâ hærent, nondum periiſſe, ſed accedente novâ & ſubterraneâ hac materiâ auctas eſſe, probabile eſt.

Mihi hujus notæ ſunt fragmenta quædam. Unum teres, brachii craſſitie, trium unciarum longitudine, in diametro uncias duas cum ſemiſſe habens, cui cortex abraſus, ut ſubſtantia remanſerit nivea, albo colore manus tingens, cui per longitudinem venæ quædam cœruleæ & fuſcæ inſeruntur, ſolidum alioquin & poroſum, linguæ adhærens, cornu cervi uſtum referens, pondere unciarum quinque; quod, ex notis, melioris generis eſſe colligo.

Aliud genus mihi eſt cinereum, magis compactum, molle tamen & odoris grati, cornu cervini faciem oſtentans, valide adſtringens.

Tertium fuſcum eſt, exteriori cortice ad nigredinem tendens, altero durius aliquanto, ita tamen, ut cultello radi poſſit, leve, adſtringens, non adeo friabile ut alterum, ebur uſtum externe referens.

Fuſcum etiam eſt aliud, ſed venis nigris, albis & luteis aſperſum fibris per longitudinem excurrentibus, longitudine digiti, pondere drachmarum quinque; fragile, arenaceum, ligni alicujus ſcindulam repræſentans, odore non ingrato, adſtrictione validâ; quod etiam ad notæ melioris cornu foſſile refero.

CAP. VII.

De Amiantho, Selenitide, Talco, &c.

QUÆ hoc capite junguntur, magnam affinitatem invicem habent; eo quod in laminas findantur, aut in fila ducantur, & ſplendorem quendam adjunctum habeant.

AMIANTHUS, aliàs Asbeſtinus lapis, quod non comburatur, Paulo Veneto Salamandra ob eandem dicitur cauſam, Zoroaſtro Boſtrychites, à quibuſdam Pelia, ab aliis Corſoides, quia canitiem præ ſe fert: Sparta polia, quia Sparti canitiem æmulatur; Linum, quia manibus netur & texitur; ſed Asbeſtinum, quia ex Asbeſto factum; à Plinio Vivum, quòd igne non ſoleat mori; A Pauſaniâ Caryſtium, quia effoditur ad Caryſtium; Alumen à Quadrigario, propter ſimilitudinem quam cum Alumine ſciſſili habet, à quo hoc differt, quod Alumen ſciſſile adſtringat, Amianthus parum pungat linguam & non adſtringat. Lapis eſt alumini Schiſto ſimillimus, ignem reſpuens, adeo ut eo non modo uri non poſſit, ſed purior reddatur, colore ad viriditatem obſcuram tendente, quandoque & ferreo; attritione facile in tenuia filamenta ſolubilis, mollis enim eſt, & quod efflureſcit dum teritur plumas refert, unde flos petræ à quibuſdam vocatur.

Naſcitur ſecundum Dioſcoridem in Cypro, item in deſertis Indiæ, ad Caryſtiam Eubœæ oppidum; in Norico in Metallis Suaci, etiam in Norvegiâ quandoque. Olim in fila aptabatur, mappæ ex eo tanquam lino fiebant, quæ ſordibus conſpurcatæ puriores igne exuſtæ reddebantur, ac magis ſplendebant quam ſi lavarentur. Unde Plinius: Ardentes in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendentes igni magis quam poſſint aquis.

Lavatur lapis, pectitur, netur, texitur, tametſi quia brevis difficulter conficiantur ex eo non ſolum mappæ, ſed & mantilia. Ex eo Brachmannes Indorum Philoſophos ſibi veſtes confeciſſe Hierocles ſcripſit. Quondam ex eodem funebres Regum tunicæ fiebant, quibus induti in rogos ardentes imponebantur, ut corporum cinis à lignorum cineribus ſecretus in ſepulchro condi poſſet. Modus vero, quo ex eo fiant lina, jam penitus ignoratur. Joh. Bapt. Porta, in Magiâ ſuâ Naturali, ænigmate quodam illum propoſuiſſe vult videri, ſed ex eo nemo evadit ſapientior.

Mihi ab amico hæc ejus præparandi ratio eſt communicata, quam pro certiſſimâ & experientiâ comprobatâ venditabat; licet magni ſecreti loco tenuerit, hic tamen eam proponere placuit. ℞. Amianthi fibris longioribus præditi (quod reliquis præfertur) infunde

funde in lixivio præparato ex cineribus Quercus putridæ & manipulis duobus cinerum clavellatorum, bulliat in eo per quadrantem horæ, auferatur ab igne, & maceretur in eo, mensis unius spacio, sic lanæ carptæ modo mollis evadit. Aquâ dulci aliquoties materiam hanc ablue & exsicca, sic modo lini communis pecti, neri & præparari pro lubitu potest.

Ellychnia quoque ex eo fiunt perpetua: Athenis in aureâ Minervæ lucernâ, quam fecit Callimachus, inerat thriallis, ex lino Carystio, teste Pausaniâ. Quanquam Plinius scribat linum hoc rarum adeo fuisse inventu, ut inventum æquaret pretia excellentium Margaritarum, tamen hodie lapidis ipsius non adeo rara est copia.

Hujus Amianthi frusto fibris longioribus prædito, ut & lanâ ex eodem confectâ, funeitidem ex hac lanâ contorto me donavit Clariss. Vir D. D. Petrus Bourdelotius Sereniss. Reginæ Sueciæ Archiater. Paulo post Chartâ incombustibili, ex eodem lapide elaboratâ, Museum nostrum exornavit Illustriss. Comes Cæsar Alexander Herculanus.

Flos ejus cuti applicatus urit urticæ modo, vel potius pungit ob asperitatem, aculeis suis tenuibus, carnis poros penetrans & continuum solvens. Hoc sciunt Gnatones, qui eum inspergunt internis camisiarum partibus, ut socii iis induti incredibili pruritu & dolore afficiantur.

In arte Medicâ usum etiam suum habet; nam eo in spiritu vini soluto & Saccharo permisto, si exiguam portionem mulieri fluxu albo laboranti exhibueris, sanabitur. Præparatur quoque ex eo præstans unguentum ad tineam puerorum & ulcera tibiarum sananda, cujus descriptionem vide apud Anshelmum Boëtium lib. 2. de Gemmis cap. 204.

Amianthi longioribus fibris prædiri frusta exhibuimus in Alumine Plumoso. Minores fibras habet Cyprium, quod dono Clarissimi Viri Amici integerrimi D. D. Ottonis Sperlingii obtineo.

De SELENITIDE, qualiter à veteribus describitur, variæ sunt opiniones: cum enim à Luna nomen obtinuerit, ei has attribuunt proprietates, quod ad ejus motum crescat & decrescat. Plinius ex candido translucere, melleo fulgore imaginem Lunæ continere, eamque reddere in dies singulos crescentis minuentisque numero, nascique in Arabiâ scribit.

Alii lacteo colore esse, noctuque non solum lucere, sed proxima quoque illustrare dicunt. Sed cum Gemma nulla jam reperiatur hasce habens proprietates, fuerunt qui veterum Selenitidem Margaritas esse putarunt, ut Garcias ab horto, sed nullâ autoritate. Quocirca Neoterici ferme omnes per Selenitidem intelligunt LAPIDEM SPECULAREM, sic dictum quia perspici potest, & rei, quæ ab ejus tergo est, imaginem reddat; quibusdam ἀφροζέληνον, quod vulgo persuasum esset, Lunæ spumam esse. Germani Unsern lieben Frawen Eis / seu Glaciem Mariæ vocant.

Lapis est Crystalli instar pellucidus, in bracteas tenuissimas scissilis, colore albo, cinereo, quandoque nigricante, quin & variis coloribus, melleo, nigro, fusco, conspicuus; candidus tamen solus translucet, reliqui minus translucent, aut obscuri sunt, splendent tamen: quandoque mollis & in crustas facile scissilis, quandoque durior difficulter scissilis, caloris & frigoris patiens; sed ab humido corruptibilis. Ex Moschoviâ magna candidi provenit copia, unde apud nos Rysch-glaß / seu vitrum Ruthenicum appellatur. Extat etiam in Hispaniâ, Cypro, Italiâ, Germaniâ & Norvegiâ, sæpe saxo Marmoreo implicatur, aliquando laterculis distinguitur, aliquando Crystalli modo sexangulâ figurâ excrescit. Alumen Scajolæ quidam esse volunt, sed Aluminis naturam non sapit, neque adstringit.

Est & mihi quædam ejus species, quæ ad colorem flavum tendit.

Usum habet à prisco ævo, etiam Senecæ ætate, in specularibus, quæ fenestris inserta aërem excluderent, & lumen intromitterent. Talia specularia habet templum Cosvici in Saxoniâ & Merseburgi in Thuringiâ. Laternas etiam ex iis fabricant elegantes, quæ lumen pulchre transmittunt nec candelarum flammis comburuntur. Crudo speculari etiam quidam utuntur Cæmenti loco, usto verò calcis & gypsi, quo etiam uti solent mulieres ad faciem dealbandam & derugandam, candidissimus namque est: usti pulvis inspersus fistulosis ulceribus, brevi carnem generat.

Ramenta cruda ex vino austero pota dysentericis auxiliantur. Parari potest ex eo liquor, ut ex Talco ornatui inserviens.

Mihi

Mihi ex eo cruda maſſa eſt, pondere libræ dimidiæ circiter, in Norvegiâ inventa, quæ in tenuiſſimas & ſplendidiſſimas bracteas facili negotio ſcindi poteſt.

Eſt & bractea magna, elegans, perſpicua, tenuis, ulnæ dimidiæ longitudine, latitudine quartæ partis unius ulnæ, ad ſpecularia & laternas accommodata.

De Laternâ ex eo confectâ ſuo dicam loco.

Speculari lapidi valde affine eſt TALCUM, alias Stella Terræ, quod ſtellarum inſtar niteat & micet, quibuſdam Argyrodamas veterum, quia ignis violentiæ reſiſtit, Argyrolithus Chymicis, Magnetis Agricolæ, Germanis Talck. Quamvis ſint qui Talci nomen generale adeo faciant, ut ſub ſe Specularem, Amianthum, & Talcum ſtricte ſic dictum comprehendat.

Eſt vero Lapis mollis, ſpeculari ſimillimus, in laminulas rectas, flexiles tamen & varie intricatas; argenti modo diviſibilis, colore candido, argentoſo, glauco, nigricante quandoque, igni invictus, nam neque funditur, neque comburitur, neque colorem amittit niſi maximâ violentiâ. Invenitur multis in locis Germaniæ & Norvegiæ, & ſpecies ejus ratione colorum diſtinguuntur.

Ex cruſtis filo ferreo conjunctis thriallides perpetuas faciunt; ut ex Amiantho. Si crudus devoretur, non caret periculo, ſtrangulat enim. Avicenna frigidum eſſe ait in primo, ſiccum in ſecundo gradu, adſtringit, ſanguinem ſiſtit, prohibet abſceſſus mamillarum & parotidum, teſticulorum. Quamvis, ut dixi, non temere intra corpus ſumendum, ſunt tamen, qui Dyſentericis, ſanguinem ſpuentibus, menſtruorum & hæmorrhoidum fluxu laborantibus, cum aquâ plantaginis præbeant. Chymici ſollicite ejus oleum quærunt, quo æs in argentum convertere ſe poſſe ſperant. Mulieres etiam id expetunt ad nitorem cuti conciliandum: variis modis id perficere tentant, ſed irrito ut plurimum conatu. Jacobus Zuingerus hunc commendat modum: Talcum in folia minutiſſima diviſum ſacco lineo novo inde, ſuſpende ut cacabi, in quo fabæ elixantur, vaporem per horas ſex excipiat. Saccum exemptum è vaſe ſuo, exprime digitis, aquâ tepidâ madefactis, & florem Talci in aliud vas aquâ plenum decidere videbis. Subſidat, aquam per filtrum ſepara. Quod ſubſederit, exſicca, & cum ovi albumine in formam paſtæ ſubige, in igne reverberii citra fuſionem calcina, ut in cinerem abeat, qui in tepido ſupra Marmor in oleum liqueſcit. Aut reſidentiam Talci prædictam aceto deſtillato optimo bis terve examina, abſtracto phlegmate ab omnibus defuſionibus, remanebit in imo materia alba, quæ in frigido in oleum abit trium horarum ſpacio. Alii aliter hoc perficere tentant: ſed hic modus mihi Naturæ maxime congruus videtur.

Quidam enumeratos jam lapides molles, potius glebas vocandas cenſent, eo quod molliores appareant, quam ut lapidum nomen mereantur; ſed quo nomine voces perinde eſt, modo de re conſtet.

Talci candidi & Argentoſi glebæ ex Germaniâ mihi ſunt allatæ. Impurioris verò & glauci in Norvegiâ magnus eſt proventus, unde etiam ejus habui copiam.

Saxum illud Granatis prægnans, de quo ſupra dixi Molas in Norvegiâ confici, totum eſt talcoſum, licet talcum illud impurius ſit, & non facile ab adjunctis ſeparetur.

Aurei coloris etiam mihi cruſtulæ ſunt, Talcum aut potius Selenitidem exprimentes, cum laminis conſtent majoribus. Nigrum quoque extat in Norvegiâ, quod auri Mineræ junctum, ſpem lucri præbet magnam.

LAPIS SCHISTUS Talco & Selenitidi valde eſt affinis, non quidem ille qui Hæmatitidis ſpecies à multis conſtituitur; ſed alius, albus, perſpicuus fermè, in laminas ſciſſilis ſibi invicem cohærentes, inſtar Selenitidis aut lapidis ſpecularis. Reperitur in fodinis argenteis Norvagiæ, eique venæ argenti ita innaſcuntur, ut purum per ejus corpus ramulis eleganter diſtinctum perreptet.

Quidam Alumen Scajolæ eſſe volunt, ut ſupra diximus, quidam ad fiſſilia Saxa referunt, quod etiam monuimus; vulgo Quartzum vocari arbitror.

CAP. VIII.

De Lapide Tiburonum, Percarum, Carpionum, Coracino, Limacum, Oculis Cancri, Topho juvenci.

LAPIDES, qui jam à nobis tractabuntur, cum maximâ ex parte ex piſcibus aut aliis animalibus deſumantur, majori jure quibuſdam ad oſſa, cartilagines, &c. referendi videntur, quam ad Lapides. Quia tamen vulgus Lapidum titulo eos inſignire ſolet, aliquid ei tribuendum cenſent Autores, qui huc eos referunt.

TUBERONUM ſeu TIBURONUM Lapis primò occurrit, qui ab Anshelmo Boëtio deſcribitur: quod reperiatur in capite piſcis Tuberon, albus, magnus, ponderoſus, ita ut interdum duas libras pendeat, nullius ſaporis, neque tam durus, radi ut non poſſit. Dum verò Tuberonem deſcribere tentat ex Theveto, Manatum delineat, ut cum Cluſio dubitare videatur, an Tubero à Manato differat.

Sed ut pace tantorum virorum dicam quod ſentiam; Manati & Tubero diverſiſſimi ſunt piſces, ut ex autoribus, qui eos deſcripſerunt, patet. Manati tam in fluminibus quam in mari capitur, teſte Oviedo; Tuberon vero Cetaceus piſcis eſt tantum Oceani incola, teſte Franciſco Hernando. Manati pedes habet: Tubero nullos. Manati branchias nullas habet: Tubero utrinque quinque. Manati piſcis eſt, aut Amphibium docile, mite, hominum conſuetudine gaudens: Tubero cetus ferox, maleficus, hominum devorator: multiſque aliis inter ſe diſtant proprietatibus, ut ſuo loco dicetur. Diverſi igitur cum ſint piſces, alius erit lapis Manati, alius Tiburonum. Oviedus mentionem facit lapidis Manati, ejuſdemque deſcribit vires: ſed Hernandus nullius in Tiburone, ut nec Acoſta. Nihilominus arbitror tam Manati, quam Tiburonem tales in capite habere lapides, quales pro Tiburonum lapide venditantur. Nec mihi acu rem tetigiſſe videtur Anshelmus Boëthius, cum ex Gomarâ, tres vel quatuor tales in capite Tuberonum inveniri aſſerit, cum re verâ duo tantum ſint, ut poſtea apparebit, ubi, quid Lapis Tuberonum verè ſit, declaravero. Nec Oviedus Manati plures quam duos in cerebro habere aſſerit.

Atque ut ſine ambagibus dicam quod res eſt: illud, quod pro lapide Tuberonum vendunt, lapis non eſt, ſed os ad auditum ſpectans, quod in omnibus cetis auditum habentibus reperitur, diciturque ab Anatomicis cochlea, cavitas cochleata buccinata, antrum buccinoſum: nam gyros habet ſe mutuo excipientes, atque tenuiſſimâ ac molliſſimâ membranâ ſuccingitur. Quod & Oviedus diffiteri non videtur, de Manati agens his verbis: Habent porro iſti piſces quoſdam lapides, ſive potius Oſſa in cerebro (ſcilicet circa meatus auditorios) Coli doloribus & Nephritidi valde utilia. Hinc factum arbitror, ut, cum oſſa hæc in omnibus cetacei generis aut magnis piſcibus ſibi quoad figuram ſint ſimilia, à multis confundantur, & lapides hi Manati idem eſſe putentur cum lapidibus Tuberonum, ſiquidem externâ figurâ diſcerni nequeant. Imo à fide dignis accepi, hæc oſſa à cetis vulgaribus Europæ deſumpta pro Tiburonum lapidibus vendi: figurâ enim & proportione adeò conveniunt, ut diſcerni nequeant. Nec credo viribus diſcrepare, ſi vera ſunt quæ de Manati & Tiburonum lapidibus iſtis, vel potius oſſibus ferunt, accommodari quoque poſſunt ad alia ejuſdem generis. Si enim duorum horum piſcium ſibi diſſimilium oſſibus auditoriis hoc competit, quidni & aliis ejuſdem generis?

De viribus Lapidis Tuberonum dicitur, quod pulvis ejus utiliſſimus ſit ad Nephritidem & urinæ difficultatem, renumque & veſicæ calculos deturbandos. De Manati oſſibus refert Oviedus, quod cremati & tenuiter pulveriſati bibantur ex vino generoſo ſingulis diebus, eâ quantitate quam Hiſpanicus Regalis excipere poteſt (drachmæ unius puto) ab iis qui Colicis doloribus & Nephritide laborant, atque hac ratione dolorem adimi, Calculumque comminui in arenam, & cum urinâ ejici.

Mihi ex hiſce Oſſibus duo ſunt Majuſcula, quæ cum Oviedi conveniunt deſcriptione (ait enim eſſe parvæ pilæ palmariæ magnitudine, aut nucis baliſtæ (orbiculares enim non ſunt) & interdum majores pro Piſcium magnitudine) figuram namque quodammodo habent oſſis baliſtæ, ſed duplo majora vulgari pilâ palmariâ, ex majori namque piſce, duarum librarum pondere circiter, intus cava, pro ratione proportionis gravia, in gyros converſa ſe ipſos excipientes, plane ejus figuræ, quam Anatomici eis tribuunt. Ex Balenis prope Spitzbergam captis, plane ſimilia adferunt mercatores noſtri.

PERCA-

PERCARUM LAPIS reperitur in capite Percæ piſcis aculeati, Noſtrates Borſe. Circa exortum ſpinæ, quà capiti jungitur, duo extant, utrinque unus, veſiculis quibuſdam incluſi, oblongi, plani, alterâ parte dentati, qui facili negotio è piſcibus coctis eximuntur.

Ad calculos comminuendos commendantur, ſi cum vino tenui pulveriſati exhibeantur Drachmæ unius pondere: exterius quoque quidam utuntur, dum Calculus hæret in Ureteribus, ſi enim dolenti loco ſupponantur, illum trahere volunt, uſque dum in veſicam detrudatur.

CARPIO ſeu Cyprinus circa ſpinæ exortum triquetrum lapidem ſeu potius cartilaginem habet, colore ſubflavo, mollem nec duritie præcedentibus reſpondentem, quæ vulgo Karpen-ſteen vocatur.

Ad calculum pellendum commendatur, pari modo quo præcedentes; narium hæmorrhagiam ſiſtit applicatus, ore detentus bilis ebullitionem in ventriculo compeſcit, magnique fit à multis.

LAPIS CORACINUS, qui à piſce Coracino petitur, in ejus capite deliteſcens, candidus eſt, oſſeus, figuræ ovalis, incurvus aliquantulum, parte convexâ lævi protuberantiâ præditus, ſed juxta extremitatum alteram aſperitatem quandam habens, ubi reliquis capitis oſſibus adhæſiſſe puto. Parte concavâ totâ lævis eſt & ſplendidus, mamillari Apophyſi in medio præditus, cui à dextrâ parte ſinus quidam jungitur, tota vero circumferentia denticulata hac parte apparet, longitudine unciæ unius, pondere drachmam unam non ſuperat. Piſcis ipſe deſcribitur ab Aldrovando lib. 1. de piſcibus cap. 15.

Commendatur ad Nephriticum & colicum dolorem, à quibuſdam ad Icterum ſeu morbum Regium. Rondeletius ejus experimentum in Nephritide cepit, ac obſervaſſe ſe ait, quod lapidem renum comminuerit & pituitam, ex quâ generatur, expulerit; ſed dubitare ſe, quo pacto morbum Regium pellere poſſit: Qui ad occultas confugiunt qualitates, hic non laborant.

LAPIS LIMACIS ex iis Limacibus petitur, qui ſine teſtis in campis & locis ſubterraneis vagantur, colore fuſco. Hi in capite lapillum habent candidum, ovalis figuræ, tenuem, planum, aliquantulum convexum, pondere adeo exili, ut tres, quos ego poſſideo, ſcrupulum non æquent. Geſtatus hic lapis quartanam ſolvere dicitur.

Ex Cancris ſeu Gammaris etiam lapides petuntur, quos OCULOS CANCRORUM vocant, non quod eorum ſint oculi, ſed quia quodammodo aliorum animalium oculos figura repræſentet. Lapilli ſunt diverſæ magnitudinis, ut plurimum piſi majoris partem dimidiam æquantes, albicantes, duri, ſcabri, eâ parte, quâ corpus Gammari tangunt, compreſſi & ſinuati, quâ cruſtam, rotundi ſeu hemiſphærici, non circa oculos, qui extra illorum corpus protuberant (ut quidam volunt) ſiti in capitis ſummitate, utrinque unus.

Nec quovis tempore ibidem reperiuntur, ſed, cum exuvias deponunt & novam Cruſtam acquirunt, creſcunt & decreſcunt; Albertus plenilunio creſcere ait, præſertim in fœminis.

Commendantur ad ſanguinis concreti diſſolutionem & expulſionem, quia tenuium ſunt partium & facultatis diureticæ; potionibus vulnerariis miſcentur. In pulverem triti, & cum vino diuretico propinati, calculos rumpunt & per urinam expellunt. Ad notham Pleuritidem eorum pulverem, cum aquâ foliorum Perſici, poſt venam ſectam exhibet Leonellus Faventinus.

Albertus cordis vires roborare dicit. Ex iis in pulverem redactis dentifricium optimum fit, cum tartaro albo ulceribus pudendorum aſpergitur utiliter, ad album mulierum fluxum, colicos ex pituitâ dolores, & Epilepſiam à Geſnero commendantur, urinam movent tam in homine, quam jumentis, ad feſtucas, pulverem, aliaque quæ oculis inciderunt eximenda, ejus vim ſæpius ſum expertus: integer lapillus oculo inditur, ita ut à palpebrâ comprehendatur, & compreſſa ejus pars oculi corpus tangat, convexa palpebras, dein digito exterius palpebræ admoto circumrotatur, donec locum affectum tangat, & ſecum quod inciderat auferat. Sine omni incommodo aut moleſtiâ per aliquod tempus in oculi orbitâ detineri poteſt. Lubet I. B. Helmontii de hiſce oculis cancrorum obſervationes addere: Stomachi cancri ſunt in capite prope verticem, inquit. Mares enim quotannis ægrotare incipiunt à menſis Junii medio: fœmellæ dein in Julio ante teſtarum exuvium. Sunt enim per dies novem & amplius veluti ſemiexanimes ac immoti. Quâ tempeſtate ſtomacho illorum exterius obducitur membranula nova, inter quam

& ſtomachum veterem eſt liquor quidam lacteus, qui ſenſim exterius in globum ſtomachi convexum, quâ parte attingit obducitque Stomachum Veterem, contrahitur utroque latere in concavum, ſtatimque lapideſcit.

Interim nec tunc, nec multo poſt cancer eſitat quicquam. Ideoque penè incredibile, vetus ſeu interior ſtomachus ſenſim in mucilaginem alimentariam abſumitur, exteriorque ac novus alter ſtomachus in vicem abſumti ſuccedit. Siquidem iſti lacti, ad ſtomachi veteris convexum ſubnato, obtenditur ſtatim pellicula, per modum lacti tepenti ſolitum: creſcitque lac iſtud inter utramque præfatam membranam utriuſque ſcilicet ſtomachi. Quæ cuncta, ducentis fortè cancris diſſectis, dietim obſervavi, jucundâ admiratione. Tandem reſidua pars lactis cancro cedit in alimentum. Poſtremo etiam uterque lapis iterato ſenſim diſſolvitur & in nutrimentum paulatim abit. Nihil autem cancer edit, aut in ejus ſtomacho reperitur, quantiſper iſti lapides ſunt in ſtomacho ejus, vivitque circiter viginti ſeptem dies, tam ex veteri ſuo ſtomacho ſenſim abſumpto quam ex uſu reſolutorum poſtea lapidum. Addo rariſſimum Diureticum ex hoc lapide colligi, etiam Vulnerarium & febrifugum, modo reſolvatur in formam priſtini lactis. Hæc & alia Helmontius.

Chymici ex iis Eſſentias præparant, Magiſteria, Arcana, quibus ad affectus prædictos, in minori doſi, at majori efficaciâ, ut ajunt, uti poſſunt. Magiſterium fit ex iis in aceto deſtillato diſſolutis, & per oleum è Sale Tartari per deliquium factum præcipitato, ut, abſtracto menſtruo, remaneat pulvis ſubtilis aquâ edulcorandus. Arcanum ex oculis cancrorum pro ulcerofis & vulneratis mirabile, renovans, purgans & mundificans omne id quod contra naturam eſt, illudque per vulnus miro modo expellens ac protrudens, ita præparat Anshelmus Boëtius. Reſolvuntur oculi cancri cum vini eſſentiâ & ſpiritu, ſpacio menſis in Balneo Maris, poſtea aperto igne ſedecim vicibus deſtillatur, ſemper deſtillatum fæcibus affundendo, demum in Balneo maris vini eſſentia ſexies ab oleo extrahitur cohobando. Hujus arcani ℈j. cum Theriacæ ʒj. & aquæ fumariæ unciis aliquot, mane ac veſperi exhibetur.

Huc referre licet TOPHUM JUVENCI Plinii; lapideam enim, ſed mollem præ ſe fert ſubſtantiam, & ex animali non ſecus petitur ac præcedentes. Lubet ipſum Plinium de eo diſſerentem audire lib. 11. cap. 37. Eſt in juvencarum, inquit, ſecundo ventre pilæ rotunditate nigricans Tophus nullo pondere; ſingulare (ut putant) remedium ægrè parientibus, ſi tellurem non attigerit. Ejuſmodi Pilam ſeu Tophum omnibus notis Plinianis reſpondentem teneo, pugni magnitudine, ex ventriculo ſecundo bovis exemptum. Leviſſimus eſt, exterius cortice lævi nigricante tectus fuit, cujus portio aliqua adhuc reſtat. Sub exteriore hac alia eſt ex fuſco cinerea, etiam lubrica & ſplendens; reliquum verò corpus totum ex pilis conflatum. Quod facto foramine exploravi. Sed non in juvencis ſolum, verum in equis, bobus, arietibus, ovibus, ejuſmodi pilas reperiri docet experientia.

Sunt mihi ex ventriculo Hirci Gotlandici erutæ pilæ majores & minores, ſed nullâ cruſtâ tectæ, verùm ex pilis ſtipatæ, colore cinereo ad flavedinem tendente.

Sunt & aliæ ex Bovis ventriculo exemptæ duriores majores, colore partim pullo, partim cinereo, in quibus tamen veſtigia quædam apparent cruſtæ nigricantis nondum completæ, ut exiſtimem ad ſuam perfectionem nondum perductas has eſſe. Una ex hiſce exactæ eſt rotunditatis, Gallam referens; alia compreſſior, cordis figuram penè exhibens. Tertia Sphærica, ſed oblongior & cruſtâ minus politâ.

E Norvegiâ ad me tranſmiſit Nobiliſſimus Vir D. Janus Bielke, Regni Cancellarius, ejuſmodi corpus in ovino ventriculo repertum, quod pilam non refert, ſed faſciam quandam craſſiorem in ſe contortam. Oblongum corpus eſt, protuberantibus utrinque apicibus; Cruſtâ nigrâ tectum ut pila illa major, leve quoque & pilis ſtipatum, ſed craſſior eſt cruſta exterior quam in aliis.

Scaliger Exercit. 125. refert Equum egeſſiſſe tophos duriſſimos, leviſſimos, ſtercoris facie rotundos, quorum unum ipſe habuerit, cui hunc reſpondere arbitror.

De horum generatione ſi quid rationi congrue ſtatuere licet, arbitror animalia hæcce, in quorum ventriculis hi Tophi reperiuntur, dum ſe lingunt, linguis pilos quoſdam evellere, quos cum deglutiunt unâ cum Salivâ in Ventriculo retenti uniuntur ac conſtipantur; atque ab aſſumpto alimento rotantur, donec figuram hanc acquirant. Chylo verò aut muco ventriculi obliti, dum ab uno loco in alium detruduntur, volutatione

hac

hac sphæricam figuram acquirere, aut aliam ei vicinam. Calore verò ventriculo insito cum massa eique adhærens mucus exsiccatur, induratum refert corticem. Quo verò diutius in ventriculo fuerint detenti, eo solidior evadit extima superficies. Hæc quoque causa est, cur, qui è junioribus eximuntur animalibus, crustâ careant exteriori & nigricante, quam habent illi qui ex senioribus depromuntur. Ab hac sententiâ video alienum non esse Johan. Vierum, de præstigiis Dæmonum lib. 3. ubi hæc habet. Vituli adhuc lacte viventes materno, si quando alimoniâ destituti, vel alioquin petulcâ ætate insolentes, ad parentem vel aliam accurrunt vaccam, ejus suras, vel quemcunque contigerint ore locum hirtum, maxime posteriorum coxarum, tam exsugunt avidè, ut etiam depilem reddant. Pilique valido crebroque suctu in ventriculum attracti, & frequenti motu saltuque lascivo paulatim conglomerati, plerumque Chylo obvolvuntur, aut pituitoso succo lento, qui temporis successu tenacior redditus, membranæ induit faciem, quemadmodum substantia, limosa, albida, statim à sectione visa est primum obducta hac pelliculâ, quæ deinde exsiccata pedetentim corio tincto etiam nigritie assimilabatur, quo unâ in parte cultro nonnihil excisâ, ejusmodi uniformes pili molles, admodum compacti apparuerunt.

De viribus nihil compertum habeo: si ægrè parientibus, ut Plinius vult, conducant, digni sunt qui majoris fiant. Verùm, sive terram tetigerint, sive non, perinde esse judico. Nec enim ratio ulla probabilis reddi potest, cur vires suas amittant, si terram tetigerint.

Pila rupicapræ, Gemsen-kügel Germanis, reperitur in Capris alpinis, quæ in præcelsis Rhætorum & Valesianorum rupibus, & alpibus Episcopatus Salisburgensis vivunt.

Circa Novembrem in Masculorum ventriculis reperitur forma oblonga & compressa, trium transversorum digitorum longitudinem vix superans, aliquando cute coriaceâ nigrâ splendente, rugosâ obducta; aliquæ castaneæ colore, aliæ subcineritiæ, odore grato, aromatico, quia ex herbis odoratissimis depastis conflatæ, constantes massâ ex herbarum depastarum fibris, pilos referentibus, pondere leves, sapore aromatico instar cinnamomi, caryophyllorum, &c.

Vi pollent calefaciendi, siccandi & cerebrum roborandi, quocirca contra vertiginem utuntur, animi alacritatem miram spirituumque promptitudinem conferre volunt cum vino, ægrè parturientibus singulare est remedium; ad secundinas pellendas, suffocationem uteri, menses promovendos, Dysentericum fluxum, colicos dolores, valent. Tritas exhibent in aquâ aliquâ appropriatâ. Ad febres malignas grana quindecim aut viginti in aquâ aliquâ cordiali dantur. Eodem modo adversus venena propinantur. Contra pestem præservationis loco grana quatuor aut quinque cum tantillo vini jejuno mane exhibentur. Si amuleti loco de collo gestentur, carnemque tangant, Vertigini resistere volunt.

Mihi una harum pilarum est à Doctissimo Viro D. D. Christiano Legard dono data, quam Oenisponto adduxit Magnitudine mediocris ovi gallinacei, figuræ oblongæ ovalis, crustâ castanei coloris rugosâ obducta, interna massa ochræ coloris, fibris refertissima, odore grato & notas supra allatas habens omnes, levis admodum & fungosa. Cum longitudine sit unciarum duarum cum semisse, crassitie unciæ unius semis, non pendet nisi drachmas tres cum scrupulo uno. Vide Caspar. Bauhinum de Lapide Bezoard. cap. 13. Sed de lapidibus mollibus hactenus.

Cap. IX.

De Magnete, Hæmatite, Schisto, Smiride, Lapide Lazuli, Armeno, Lipis, &c.

Minores lapides, minus pretiosos & molles, quos jam tenemus, expedivimus; ad duros ejusdem classis accedimus. Hic etiam illud, quantum quidem fieri potest, observabimus, ut congeneres, & qui affinitatem aliquam naturæ & virium, externæ etiam figuræ habent, non sejungamus. Magneti vero primum tribuimus locum, tum ob usus frequentes, tum ob vires mirabiles, quæ Doctorum ferè omnium ingenia mirè fatigant adhuc.

Magnetem Plinius à Magnete Armentario traxisse vult nomen, Lucretius à

Magnesiâ regione, ubi reperitur. Theophrasto Heracleon, quod circa civitatem Heracleam inveniatur, aliis Herculeus, quia ferro, quod omnia domat, imperat: quibusdam Siderites, eâdem de causâ, σίδηρος enim ferrum notat.

Est autem Magnes lapis durus, ferrugineus, nigricans, qui ferrum aut alium Magnetem ad se trahit vel rejicit, ac plagas mundi ostendit. Variis in locis reperitur, plerumque in fodinis ferri, unde etiam multum ferri in se continet. Non enim omne illud corpus quod attrahit Magnes est, sed in eo vena Magnetica; quocirca quibusdam in locis Germaniæ ex eo optimum ferrum eliciunt. In Italiâ in montibus Viterbi, & in Ilvâ qui reperitur, exterius subrufus est, intus in fracturis nigricans & parum tendens ad cœruleum obscurum, in trahendo efficax valde, dum percutitur inhorrescit, lanugine quadam obsitâ, quæ ad ferrum transmigrat si admoveatur. In Germaniâ etiam variis locis eruitur, prope vallem Joachimicam, Swartzburgum, Sneburgum, &c. Ex Norvagiâ etiam ad nos adferuntur viribus insignes, quorum aliquot ostendere possum.

Magnetis naturam qui sunt scrutati, eum dividunt in tria genera: unum, quod ferrum trahit & plagas mundi ostendit; alterum, quod plagas mundi tantum ostendit, sed ferrum non trahit; Tertium, quod Magnetem alium ad se allicit: Quartum, quod ferrum abigere multi existimarunt, & Theamedem appellarunt, peculiare genus non constituit; inest enim hæc vis omnibus qui ferrum alliciunt, & plagas mundi ostendunt. Affrictum enim ferrum Magneti, si ad æquilibrium ponatur, ab adversâ Magnetis parte, ferri contacta pars, aut ab eâdem, quæ ferrum tetigit, ferri adversa pars abigitur.

Vires Magnetis plane mirabiles sunt: inter eas enim & ferrum, seu chalybem, tanta est amicitia, ut ad mutuum contactum indesinenter adspirent, adeò ut si Magnes viribus magnis sit, ac ferrum liberum, ad Magnetem properet; è contra si Magnes exiguus ac liber, ferrum verò grave, ac rei alicui affixum, Magnes ad ferrum, ut illi conjungatur, se movet. Unde dubitatum à multis, an Magnes ferrum, an verò ferrum Magnetem traheret. Probabilius certe Magnetem ferrum trahere, quia sepultus in scobe ferri Magnes vires suas conservat & auget: ferrum verò rubiginem contrahit & perit, quod fit quia puriorem & subtiliorem ferri partem ad se trahit, sibique unit.

Adhæc actionem trahendi communicat ferro, quam antea non habuit; si illam non haberet, utique communicare non posset. Accedit, quod ferrum metallum fixum sit, Magnes verò nondum fixus, unde vires & spiritus liberius emittere potest. Mirum verò, vim hanc attractricem nullo corpore interjecto impediri posse. Trahit enim per lignum, per lapidem, per vitrum. Unde patet, vim hanc Magneticam incorpoream plane esse, quæ tam solida corpora penetrare valet; ejus planè naturæ, cujus est lux & sonus.

Causa verò hujus tractionis plane ignota, licet in eâ investigandâ multi desudarint etiam ex Neotericis. Sympathiam & mutuum rerum naturalium consensum hic agnoscimus. Magnes quædam quasi ferri Vena & Matrix est, quia ex eo ferrum excitur: ad eum igitur fertur ut sui conservativum, & ut perfectionem aliquam ab eo acquirat.

Altera non minori admiratione digna facultas Magnetis est, quod polos mundi respiciat & plagas ostendat.

Quilibet enim Magnes in suâ extremitate punctum habet Boreale, quo cognito etiam Australe, Orientale & Occidentale, & quodvis aliud aliquot gradibus ab illo declinans, facilè inveniri possit. Punctum Boreale optimè invenies, si Magnetem in Sphæricam figuram redactum sumpseris, & gracile ferrum ejus longitudinis, cujus est Diameter globi, fabricaveris, id supra lapidem sphæricum posueris, vertet se donec in Meridianâ lineâ, per Boreale & Australe punctum transeunte, quiescet. Ubi quieverit, signato lineam, & transfer ferrum in alteram lapidis partem; cum resederit & quieverit, iterum signato, idque tertio & quarto repete; ubi lineæ se decussabunt, erunt Puncta Borealia vel Australia: Alios modos alii docent.

Verùm de causâ hujus effectus etiam sollicite disquirunt Physici. Probabilis illa videtur sententia, quæ statuit Magneti hoc insitum, ut semper eum situm expetat, quem in natali solo obtinuit, nisi impediatur, ut quæ pars tum Boream respiciebat, ea semper eandem extra fodinam, nisi impediatur, quærat. Verùm non in omnibus locis præcise polos respicere, docuit experientia in acu nauticâ. Declinat enim Noribergæ à polo Arctico decem gradibus, circa Novam Zemblam 17. imo quibusdam in locis 23. quæ quoque declinatio est poli Zodiaci, à polo Mundi. Quocirca multi sunt in eâ sententiâ, non moveri Magnetem ad polos Mundi, nisi iis in locis ubi Meridianus per polum

Mundi

Mundi & polum Zodiaci tranſit; ſed ad polos Zodiaci, quos exacte obſervare compertum eſt.

Hoc etiam mirum, quod pixis nautica, quæ vim à Magnete accepit, quando Æquinoctialem lineam pertranſiit, & polo Antarctico vicinior eſt, non amplius Septentrionem, ſed Auſtrum oſtendat, forſan quòd Magnes non tam plagas quam polos monſtret, & quidem eum qui illi vicinior eſt. Sunt qui Magnetem non tam Arcticum polum, quam Auſtralem reſpicere contendant, eo quod fortiorem vim habere videatur punctum Auſtrale. Quod vel ex eo colligitur, quod pixidum Nauticarum & horologiorum Magneticorum fabri, ei parti Indicis, quæ meridiem ſpectat, Magnetem affricent, unde index Magneticus verſus Auſtrum primario movetur. Verùm haud firmum ſatis hoc argumentum: Ferrum enim Magneti affricatum, recipit in ſe plagas & polos eoſdem, quos habuit dum Magneti adſtaret, eoſque perpetuo conſervat. Ubi notandum, in ipſâ conjunctione ferri & Magnetis, fieri ex duobus hiſce unum quaſi corpus, quia virtus per utrumque diffuſa unitur; quando verò diſtrahuntur, pars illa ferri, quæ tetigit Borealem Magnetis partem, redditur Auſtralis, diviſo quaſi in duas partes uno corpore. Hinc fit quod ferri pars, quæ tetigit Borealem Magnetis partem, non Borealem plagam ſed Auſtralem oſtendat, appetet tamen illam partem Magnetis, quam tetigit, cupit enim ſemper eundem ſtatum quem habuit, dum vires nanciſceretur. Hinc ſi velis ut non Auſtrum ſed Boream oſtendat acus nautica, Auſtrali magnetis puncto affricetur.

Id etiam mirum, quod ſi ferrum, Magnetis vi imbutum, ad æquilibrium ponatur, atque ipſius extremitati Boreali Magnes ſupra teneatur, attrahatur ea pars; ſi vero ſubtus teneatur, repellatur; forſan quod partes lapidis contrariæ ferrum reſpiciant, nam ſuperior pars lapidis, dum ſupponitur ferro, alia eſt quam inferior, quæ ſupra ferrum tenetur. Et hoc admiratione dignum, quod ea pars Magnetis, quæ in æquilibrio poſitum ferrum reſpuit, nihilominus id ubi attigerit retineat.

Ferrum verò virtute ſuâ non imbutum, licet ab omni parte trahat, tamen ex uno puncto efficacius quam reliquis. Hoc autem tractionis punctum deprehendere licet, ſi Magnes ſupra ferrum aſſeri plano ſuperpoſitum teneatur, & manibus volvatur donec ferrum tremat & ad contactum currat, ubi enim tetigerit, ibi punctum tractionis eſt, à quo tanquam centro radii virtutis Magnetis in ambitum ſparguntur.

Vires Magnetis abolentur, ſi unus Magnes alteri affricetur in punctis æqualibus, ut ſi Borealis unius, alterius Borealem tangat fortiori affrictu, utriuſque vis perit, & neuter officium facit, vel tantum erroneè, quaſi ebrius eſſet. Reſtituitur in integrum ſi aliquot diebus in limaturâ chalybis ſepeliatur.

Magnetis uſus in Medicinâ internus nullus eſt; imo ſunt qui inter venena referant, rationem enim turbare, & Melancholicam inſaniam inducere volunt. Nihilominus Galenus vires Hæmatitis habere aſſerit, & Dioſcorides trium obolorum pondere ad craſſos & Melancholicos humores educendos proponit. Cum uritur pro Hæmatitide vendi ait, adſtringit enim & ſanguinem ſiſtit. Sunt qui cum mulſâ bibitum Hydropicos ſanare referant. Extra Emplaſtris admiſcetur à Paracelſo, ad ferrum & alia è vulneribus trahenda: Ingreditur enim Emplaſtrum Opodeldoch dictum. Sed ſunt qui acriter reſiſtant, contuſum enim & aliis permiſtum nihil trahere animadvertimus.

Uſus in aliis rebus inſignis eſt, ad navigationes & pixides nauticas conficiendas in primis. Acus enim quæ plagas mundi in pixide nauticâ oſtendit & vias monſtrat, Magnetis beneficio, cujus vi imbuta fuit, hoc præſtat. Quod in mari facit, idem in terreſtribus itineribus præſtare valet, ſi modo debito uſurpetur.

Ejus beneficio quis alteri ſua ſecreta per certam diſtantiam revelare poteſt. Varia inſtrumenta ejus ope ab artificibus confici poſſunt, quæ mira præſtent. Vitriarii eo utuntur: nam ſi minuta Magnetis fruſta materiæ, unde vitrum conflatur, addantur, ita liquorem vitri ad ſe trahit, ut ferrum trahere ſolet, tractum purgat, & ex viridi vel luteo candidum facit. Mira ludicra ejus virtute fiunt, quæ non niſi Magicâ vi facta quis arbitraretur. Ferrum in aëre virtute Magnetis ſuſpendere licet. Ejus ope ſcobs ferri arenæ cumulo permiſta ſeparabitur. Exercitum præliantem ſcobe ferri exhibebis, ferrum ſuper tabulam incedere facies, arietes cornibus ſe impetentes repræſentabis; Hiſtoriam Jonæ à Piſce abſorpti, Chriſti ſuper aquas ambulantis, & Petro jam ſubmergenti ſuppetias ferentis, Magnetico artificio dabis; infinita ejus generis excogitabit ingenioſus artifex. Conſule eruditiſſimum de Magnete opus Athanaſii Kirckeri.

Magnes

Magnes armatus ferro aut Chalybe fortius trahit inermi, si nihil sit intermedium, si verò vel charta, vel aliud quid interponatur, inermi fortior non est.

Ad Magnetem quidam referunt lapidem quem CALAMITAM ALBAM, seu Magnetem Carneum vocant, quia ut ille ferrum, ita hunc carnem ad se trahere putant.

Lapis est albus, lineis nigris inscriptus, qui linguæ admotus firmiter ei adhæret. Reperitur in Ilvâ, Hetrusci maris Insulâ.

Adhæsio ita fit: Linguæ humor porosi lapidis se insinuat foraminibus, ac lapidis particulæ poris linguæ, hinc quædam quasi oritur coalitio. Sunt qui ad Margas Saxatiles hunc referant lapidem, sunt qui ad Osteocollas & Poros. Benedictus Cerutus, qui Museum Calceolarii descripsit, non tam lapidem quàm consistentiam lapideam esse putat, Samio Lapidi colore & duritie haud absimilem, quæ non secus ac hic, ob tenuitatem, ab innatâ pinguedine emanantem, linguæ oblata adhæret, eam verò sub quintâ Calamitæ Candidæ specie à Plinio lib. 36. cap. 16. descriptam comprehendi, ubi deterrimam esse ait cum ferrum non attrahat.

Cabeus & Thomas Broun Magnetis mollis genus esse vult, venis quibusdam magneticalibus & ferreis præditum, in bolari & adstringente naturâ consistens, cujus beneficio linguæ adhæret, ut Hæmatites & Terra Lemnia.

Cardanus ejus facultatis esse autumat, ut si styli ferrei mucro eo fricetur, ac in musculi carnem agatur extracto ferro, subito vulnus coëat, quasi nullum inflictum esset. Sed verum id esse negat is, qui experimentum fecit. Ad Amatoria eo abuti Magos refert Cæsalpinus.

Mihi ejus frustum est, cujus nigræ maculæ & lineæ Abrotani ramulos egregie exhibent, ut ait Musei Calceolarii autor sect. 3.

HÆMATITES, sic dictus, vel quod sanguinei sit coloris, vel quod attritus aquariis cotibus, succum fundat sanguineum, vel quod polleat vi sanguinem sistendi. Vulgò Blodsteen. Lapis est colore sanguinis concreti, obscuriore, durus, striis Antimonii instar præditus, glebosus, vi sanguinem sistendi præditus.

Mediæ naturæ esse videtur inter terram, lapidem & Metallum, cum ex ramentis vel sedimento, quod aqua ex rubricâ seu saxo rubro abrasit, in lapideam substantiam sit compactus. Plinius ex Sotaco quinque genera enumerat, inter quæ tamen quædam potius ad Rubricas seu Cinabarim nativam sunt referenda, quam ad Hæmatites. Reperitur in variis Germaniæ locis, inter Rubricas & ferri fodinas, ut in Valle Joachimicâ & propè Hildesheimium, sed præ reliquis commendatur Hispanicus, qui Compostellâ adfertur, figurâ angulosâ, ferri nigricantis colorem habens & splendorem. Excoquitur in ferrum ac cavernulis rubricam continet, interdum obscurè ferrum trahere animadvertitur. Fit etiam ex Magnete usto. Colore alioquin variat; quidam flavescit, quidam rubescit, quidam nigricat, & ferri colorem exhibet.

Frigidæ, siccæ, glutinantis, attenuantis & adstringentis est facultatis. Fluxus sanguinis quoscunque compescit gestatus & exhibitus, sive sint narium, sive uteri, sive aliarum partium. Oculis cruore suffusis, & lachrymantibus, cum lacte muliebri instillatus convenit. Succus ejus cotibus attritus palpebrarum asperitati, quam Τράχωμα Græci vocant, conducit. Quidam ex vino ad Serpentium ictus propinant. Ad pulmonum ulcera & Hæmoptoicam passionem valet, teste Tralliano, exhibendo ejus pollinem tenuissimum cum vino sæpius à ℈j. ad ℈iiij. Ulceribus itidem prodest, in pulverem tritus reprimit carnes excrescentes.

De SCHISTO eandem non esse omnium sententiam supra monuimus. Quidam enim per Schistum Lapidis Amianthi speciem, aut Specularis, aut Alumen Scajolæ, aut saxum fissile, quod vulgo Quartzum vocant, intelligunt; quod supra monuimus.

Hic verò cum Plinio ex Sotaco, Agricolâ & Cæsalpino, speciem quandam Hæmatitidis innuimus, cui nomen Schisti tribui vult Agricola, non quod aut findi possit facile, aut fissus sit, sed quod videatur quodammodo esse fissus. Mutuâ enim partium suarum compositione, quæ ligni instar rectæ creverunt, similis est Ammoniaco sali. Tam Schistus, quam Hæmatites, aut sanguini concreto similis, aut ferro, & tum interdum partes aliquæ externæ croceæ. In eo saltem videtur differentia constitui, quod Hæmatites ferme semper glebæ figurâ sit; sed Schistus, aut alterâ parte, aut utrinque cuneatus.

Summa:

Summa: quantum ex Agricolâ colligere licet, Differentiam nullam inter Schiſtum & Hæmatitidem agnoſcit, præter jam dictam, quæ in figurâ conſiſtit.

Cæſalpinus, poſtquam ex Dioſcoride & Plinio notas ac proprietates Schiſti adduxiſſet, concludit hunc Schiſtum vulgo eſſe incognitum, quamvis quidam varios oſtendant lapides. Mox verò verum reperiri ait Romæ in Vaticano effoſſum è fundamentis; ſed non reſpondet notis, aut ab Agricolâ, aut ab Anshel. Boëtio adductis; videtur Quartzi quædam ſpecies, ſed nigri.

Commendatur à veteribus ad eadem ad quæ Hæmatites; quocirca eorum ſententiâ videtur eſſe ſpecies Hæmatitidis.

SMIRIS, Germanicè Smirgel / Italis Smeriglio, Gallicè *Emeri*, ab abſtergendi facultate. Lapis eſt ferrugineus, ad nigredinem vergens, adeò durus, ut eo utantur Gemmarii ad Gemmas ſculpendas & arma polienda. Quia ad cotem aquarium ſuccum reddit ſanguineum, à quibuſdam Hæmatitidis dura quædam ſpecies ſtatuitur, & quidem ad tertiam Plinii referunt. In ferri fodinis inveniri ſolet.

Eo varii utuntur artifices: Gemmarii, ſculptores, poliendis Gemmis ejus uſum ſibi vendicarunt. Vitriarii eo Vitra non ſecus ac Adamante ſecant. Fabri armarii, ad loricas mundandas & à rubigine liberandas, vaſi rotundo cum loricis imponunt, & frequenti rotatione circumagunt, ut hinc inde jactata lorica, Smiridiſque pulvere per annulos ſæpius decidente, lateraque ejus affricante, melius mundetur. Enſes etiam & alia arma eo à rubigine vindicantur. Ad erodendum & urendum commendat Cæſalpinus. Ad humentes item gingivas & dentifricia ejus pulvere utuntur: pollet enim inſigni vi abſtergente.

Chymici tincturam ex eo extrahunt, quo Mercurium in momento quaſi figunt, atque ita fixum quidam vocant Præcipitatum Miraculoſum, quo ad augmenta ſua Chryſopœi utuntur.

LAPIS LAZULI, à Græcis Κυανὸς λίθος, à Latinis Lapis cœruleus, ab Arabibus Hager vel Azur, unde forte Aſur aut Laſuli deductum, Germanis Laſurſtein. Lapis eſt durus, colore florum Cyani cœrulei, aureis punctulis & venis exornatus.

Plinius hunc lapidem Saphirum vocare videtur: & verum Saphirum Cyanum. Saphirus enim ei non eſt gemma pellucida, ſed aureis punctis collucens: Cyanum tincturâ adulterari tradit, quod non Lapidi Lazuli, ſed Saphiro ſæpe uſu venit.

Magnam cognationem cum lapide Armeno habet, quoad colores: ſed hic non ita durus, nec venas aureas habet, & facile in pulverem & friabilitatem redit.

Duo ejus ſtatuunt genera, unum ignis vim fert, alterum neutiquam. Is qui fixus eſt, & colorem in igne non mutat, ex Oriente, Aſiâ aut Africâ adfertur, & Orientalis dicitur, atque hac notâ probatur. Non fixus quibuſdam in locis Germaniæ reperitur, & medius eſt inter lapidem Armenum & Lazuli; hoc enim mollior, illo durior.

Colores ex utroque parare ſolent pretioſos, ex Orientali ultramarinum dictum, auro pretioſiorem, qui cum ætate non mutatur; ex Germanico qui præparatur ignobilior eſt, & vulgo Aſurblaw dicitur, externis injuriis facile læditur, & vireſcit temporis progreſſu. Modum ex hiſce lapidibus colores eliciendi deſcribit Anshelmus Boetius lib. 2. cap. 123. & ſeqq.

In Medicinâ etiam uſum habet. Dioſcorides vim repercutiendi, exulcerandi, parum corrodendi habere affirmat. Galenus acri facultate tum detrahendi, tum digerendi cum nonnullâ adſtrictione præditum ſcribit. Poſt hos Recentiores Melancholicos humores expurgandi facultatem in eo obſervarunt. Valet igitur contra Melancholicos omnes affectus, Quartanam, Apoplexiam, morbum comitialem, Lienis vitia, & alios ejus generis.

Licet Galenus ejus uſum ſuſpectum reddat, attamen modernorum experientia in hiſce morbis plane tutum eſſe docuit. Antonius Muſa Braſavolus tractatu de purgantibus eum hiſce commendat: Lapidem Lazuli expertus ſum & Drachmam unam nunquam exceſſi, & ſemper profuit, neque tamen tormina induxit, qualia putabam, antequam eſſem expertus, inducere debere. Neque ori ventriculi multum obeſſe percepi. Exhibui rite præparatum in Pillulis & pulveris formâ. Utuntur quoque eo quidam Amuleti loco, & ut puerorum terriculamenta arceant; ex collo geſtare jubent. Oculorum aciem roborare volunt: Syncopen & prægnantium abortum impedit; auferendus autem partu imminente, ne fœtum retineat. Fieravantus de eo hæc habet: Vidi Lapidem

Lazuli vomitum excitare & quartanam ſanare. Calcinavi in fornace laterum, dein aquâ vitæ ſolvi calcinatum, & ſolutione dictâ multos morbos & febres ad miraculum uſque ſanavi malignas, eâ ulcera maligna & peſſima in optimum ſtatum redegi. Ex eo lapide Oleum extraxi, quod ſomnum & requiem conciliat, ſi eo caput & ventriculus inungatur, viſus mirum in modum corroboratur; Podagræ dolores & inflammationes ſubito levat.

Lapis armenus, ſic dictus quod ex Armeniâ adferatur, Gallicè *Verdazur*, quaſi dicas colorem cœruleum ad viriditatem vergentem, Germanis Berchblaw / levis eſt, colore cœruleo, friabilis, ad viriditatem inclinans. Veteres varie eum deſcribunt. Dioſcorides & Avicenna colorem ei attribuunt cœruleum, Plinius viridem eſſe ait, ut Chryſocolla, ſed admiſto cœruleo. Meſves meliorem eſſe ait qui habet colorem intermedium inter viridem & obſcurum terreum & Indum, & habet macularum diſtinctiones virides & nigras, & qui non eſt lapidoſus, ſed facilis diſſolutu in pulverem, & qui eſt tactu lævis, carens aſperitate. Sed quia uterque color tam viridis quam cœruleus in eo conſpiciatur, controverſia facile diſſolvitur, & cœruleus iſte color, quo præditus eſt, tandem in viridem colorem in picturis ætatis progreſſu tendit. Olim ex Armeniâ deferebatur, jam in variis Germaniæ locis reperitur, ut in Tyrolenſi comitatu, aliiſque argenti fodinis.

Ad eoſdem commendatur affectus, ad quos Lazuli lapis, humores ſcilicet Melancholicos per vomitum & ſeceſſum educendos. Exhibetur igitur in Epilepſiâ, Incubo, Inſaniâ, Maniâ, fatuitate, & Lienis vitiis exſtirpandis. Crudus ſi exhibeatur, vomitum movet; ſin lavetur quinquagies, per ſeceſſum tantùm purgat. Trallianus in Melancholiâ eum præfert Helleboro, ad vomitum exhibet lapidis non loti ſcrupulos tres aut quatuor, pro ratione morbi & ægri, ad alvum movendam loti quinque aut ſex ſcrupulos. Omni malignitate carere ait, ejuſque uſum tutiſſimum eſſe, tam formâ potionis, quam pillularum.

Guainerius formâ pulveris exhibet & nunquam ſe ejus uſu deceptum ait, in hunc modum. ℞. Lapidis Armeni ſcrupulos duos, croci grana decem, macis ſcrupulum unum. Sumat in aquâ ſaccharatâ quantum ſatis. Aëtius grana quinque Melancholicis propinat. lib. 2. cap. 47. Item pueris pectoris morbis laborantibus, epilepticis, maniacis. Crato loti Drachmam unam ad ſcrupulos quatuor exhibet abſque noxâ. Fertur etiam à pueris geſtatus, ut Lapis Lazuli, terriculamenta arcere, & abortum in prægnantibus præcavere.

Lapis lipis. Hujus lapidis, quod quidem ſciam, primus meminit Zacutus Luſitanus lib. 1. obſerv. 83. eumque hunc in modum deſcribit. In Novo Orbe, in Provinciâ dictâ Pontoſe, in civitate vocatâ Lipis, in aſperis montibus oritur lapis, cui ab incolis civitatis, juxta quam naſcitur, eſt inditum nomen, quare vocatur lapis Lipis. Hic dictus colorem habet cœruleum ſaphirinum, cum tranſparentiâ quadam. Duriſſimus eſt, ſed in minuta finditur fragmenta, guſtu ita acris & mordax, ut, ſi tantillum juxta linguam apponas, excitato ardore illam exulceret. Affertur à multis mercimonii cauſâ; venditur in taleolas redactus, ita ut, ſi eum à longinquo videris, parum diſtare à merce illâ, à Luſitanis *Anil* & Belgis Indigo dictâ, arbitreris, niſi quòd Lipis clarum & tranſparentem ſortitur colorem; merx illa aliquantulum obſcurum.

Demum hic lapis cætera ſui generis medicamenta longè antecellit. Si grana ejus quatuor, in tenuiſſimum pulverem redacta, in unciis duabus aquæ Roſarum aut Plantaginis, per horam maceres, & aqua hæc, quæ cœrulea ſtatim fit, ulcera mundificat. Aquæ enim vi & miſturâ cauſtica & ignea ejus vis lenitur & miteſcit. Paulo ante his ejus vires commendat: Inter auxilia celeberrima, quæ ad doloſa ulcera & depaſcentia, præſertim Gallica, coërcenda, & eorum putrilaginem abſumendam utilia ſunt, hoc præſidium obtinet principatum. Nam ſuâ cauſticâ vi eorum malitiam & virulentiam infrænat.

Hujus fruſtulum pondere ferme ſcrupuli ſemis ad me Lugduno Batavorum tranſmiſit Vir Clariſſ. D. Joh. de Laet Hiſtoriæ Indiæ Occidentalis autor, qui in erudito de Gemmis & Lapidibus tractatu lib. 1. cap. 26. recte monet colorem in hoc lapide eſſe dilute cœruleum, intermicantibus granis quibuſdam argenteis, nonnullis etiam partibus paululum viridibus, nec tranſparentem eſſe, ut vult Zacutus, & haud malè convenire cum lapide Armeno, aut Lazuli.

CAP. X.

Glossopetra, Astroites, Lapis Crucis, Judaicus, Trochites, Belemnites, Morochtus, Cornu Ammonis.

GLOSSOPETRA, quasi lingua lapidea, ita dicta quod linguam Pici avis figura referat: sed vulgo ita appellatam volunt, quod Serpentis linguam exprimere putant. Unde nil aliud esse existimant, quam Serpentis linguam in lapidem conversam. Sed error hic facile refellitur ab iis, qui linguas Serpentum & Viperarum non triquetras, sed teretes & bifidas animadverterunt. Germanis eodem errore Natterzunglein. Sunt qui Ceraunias speciem esse putent. Cardanus Glottidem appellat. Lapis est ut plurimùm triangularis, basi crassiore, scabrâ, toto alioquin corpore lævi & corneo quasi, minutis quibusdam dentibus ad latera crenato, colore quandoque cæsio nigricante, quandoque luteo albicante, longitudine diversâ. Est mihi unus Lapis, qui longitudine æquat uncias quatuor cum semisse, pondere unciarum sex cum Drachmis duabus: reliqui hujus generis quos possideo lapides, minores sunt; figura etiam discrepant, ut plurimum verò referunt dentes canis Carcharii aut Lamiæ piscis, quos in lapides conversos putant quidam viri eruditi. Ast ego duûm generum reperiri arbitror; unum, quod ex Lamiâ dentibus petrificatis ortum trahit, quod etiam exacte eos refert. Alterum, quod figurâ & colore aliquantulum discrepat & in mediterraneis reperitur, quod majus etiam est, & Lapis sui generis, à Naturâ hac figurâ dotatus. Invenitur variis in locis. Creber est in Insulâ Melitâ, ex quâ aliquot teneo, suæ terræ seu mineræ adhuc inclusos. In Germaniâ prope Luneburgum in aluminosis fodinis etiam generatur, ut & arenis prope Daventriam, unde credo allatum unum quem teneo, figurâ à reliquis discrepantem aliquantulum, utpote torosiorem & crassiorem.



Ad fascinationes amuleti loco, auro aut argento inclusum portant multi, contra venena etiam commendatur, iis etiam præsentibus sudare ajunt. Scripsit ad me Lugduno-Batavorum Celeberrimus Vir D. Johan. de Laet Burdigalâ accepisse se Glossopetras quasdam, de quarum virtute ita scripsit amicus qui misit. Horum lapidum hæc est proprietas: Si quis incommodum aliquod patiatur in ore, ortum ab aliquo cibo impuro, aut asperitate vel acrimoniâ humorum influentium, indendo unum horum lapidum Aquæ fontanæ, excitabit ille statim bullas in aquâ; ubi autem istæ resederint, aqua illa gargarisanda est, & os bis terve colluendum, atque ita inflammatio sedabitur, & pustulæ siccabuntur, & incommodum tolletur viginti quatuor horarum spacio. Vide quæ de hisce eleganter commentatus est Vir Clarissimus D. Thomas Barthol.

ASTROITES vox est quæ non uni lapidi accommodatur. Quidam enim Astroitem vocant gemmam, quam alii Opali speciem constituunt, & à quibusdam oculus Catti aut Gemma solis vocatur, qui huc non spectat. Aliis ita vocatur lapis opacus, Stellarum figuras punctatim in suo exhibens corpore, de quo nobis hic sermo erit. Hic Astroites Latinis lapis Stellaris, Germanis Sternenstein vel Sigstein / quod gestanti victoriam conciliare credant, Marsilio Ficino Dracontium dictus, quod falsò ab Agyrtâ persuasus sit, lapidem hunc è capite Draconis in Indiâ eximi. Lapis est moderate durus, colore cinereo, fusco, nigricante, Stellulis undiquaque insignitus nigricantibus, ad humani

capitis magnitudinem quandoque crescens. In comitatu Tyrolensi & circà arcem Cimmeriam invenitur, ut & in Gotlandiâ, ac alibi.

Differt colore & macularum figurâ: quidam colore cinereo, maculis Stellulas exacte referentibus, quidam Rosas, quidam undas & vermium gyros, quidam confuse maculas quasdam.

Mihi unus est cinereus, ovali figurâ, stellulas nigricantes exacte referens, Drachmæ unius pondere. Sunt & plures cordis figuram arte æmulantes, fusci coloris, obscuriùs stellas exhibentes: sed unus grandior nigricans rosas purpureas ostendit, intermistis quibusdam subcœruleis, externâ figurâ cor referens.



Aceto impositus hinc inde movetur, ac si vivus esset, quod fit aceto per poros lapidis sese insinuante & aërem illis inclusum premente, qui exitum dum molitur lapidem trudit ac movet. Vires ei attribuunt multas. Ad pestilens contagium & vermes puerorum necandos ejus pulvis quatuor granorum pondere commendatur. Gestatum generationem vermium impedire, si nudum tangat corpus, asserunt: Tremorem, Apoplexiam, aliosque morbos subitaneos avertere, Victoriam conciliare credunt. Hepatis & pulmonum vitiis succurrere, & sanguinem puriorem reddere volunt. In cubiculo suspensum, ne eo animalia venenata aut Araneæ se conferant, facere putant: quod tamen experientiâ edoctus falsum deprehendi. Præferuntur reliquis albidiores, bene formatas stellulas habentes. Cæteri viliores sunt.

Asteriæ speciem esse lapidem à quibusdam LAPIS CRUCIS dictum, sunt qui arbitrentur, eo quod crux ad stellæ figuram quam proxime accedat.

Duûm generum esse videtur: unum, quod in corpore cinerei coloris, crucem ostentat candidam; alterum, quod coloris nigri aut purpurei crucem ostentat.

Primum genus in Museo Calceolarii sect. 3. ita describit Laurentius Pignorius. Crucis lapidem conspexi, dimidiatum pollicem oblongum, tantundem latum, duabus striis candidis in utrâque facie insignitum, quæ se ad rectos angulos intersecabant: color lapilli cinereus non sine obscuritate extitit, omnia in isto naturalia, nullâ artificis aut cælaturæ ope subnixa. Posterius ab Andreâ Chiocco ita depingitur. Lapilli crucis sanctissimæ figurâ insigniti, subcinerei sunt coloris, non sine aliquâ rubedine, figuræ profundæ proximâ, in cujus medio, nigri coloris aliquæ veluti striæ, in quatuor angulos rectos distributæ, crucis formam affabre effingunt, à quâ nomen sumptum. Constans fama est, peritorum hominum firmata testimoniis, in monte D. Petri de Rubiâ in Galitiâ, vel Asturiâ Hispaniæ Provinciâ erui atque haberi. Eundem L. Septalius in Epistolâ ad Chioccum hisce delineat: Lapidem Crucis rem novam esse, nec à veteribus (quoad speciem) cognitam existimo, sicuti nec ab Agricolâ, Cardano, Gesnero, Cæsalpino, aut hujus classis alio scriptore. Frustulum ejus habeo, quod divisum intus & extra, crucem ostendit coloris nigri splendidi aut purpurei obscuri.

Substantia externa cum quatuor striis est in causâ, ut, præter crucem intermediam, in extremis partibus secta crucem effingat. Substantia interna, quæ sine cruce est, coloris est cinerei; superficies strias cinereas habet cum portiunculâ rubri coloris; quod reliquum est superficiei, colorem mistum ex cinereo & nigro habet. Adeo mollis est lapis, ut ab eo facile abradi possit pulvis. Ex genere cornuum fossilium esse puto, ut lapis Belemnites & Judaicus. Hunc enim undiquaque striis à naturâ, illum multis scissuris interius

interius donatum cernimus: ut Cryſtallus & Beryllus ſemper naſcitur hexagonus, ut paſſim in valle Taris viſitur, adeo affabre à Naturâ elaboratus, ut nullus artifex ejus attingere peritiam poſſit. Crucis ergo figura in hoc lapide nulli admirationem debet incutere, nec magis ejus quærenda ratio, quam talium ſtirpium, florum, fructuum, imo animalium quæritur. Viginti milliaribus procul à templo D. Jacobi Compoſtellæ invenitur & effoditur. Hæc Septalius.

Mihi fruſtulum hujus lapidis eſt, quadratum, vel potius teſſellatum, unguem pollicis magnitudine æquans, quod arte in figuram quadratam redactum videtur, alioquin notis omnibus reſpondens ei, qui jam à Septalio eſt delineatus. Crucem enim nigram intus & extra oſtendit, intermediâ ſubſtantiâ cornei quaſi coloris, ex flavedine & rubedine miſti. Crux ipſa decuſſatim ſecat lapidem, à centro ad quatuor angulos lineis ſuis tendens. Superficies externa ſubrotunda fuiſſe videtur; ſed arte in quadratam formam redacta: Duritie tantâ, ut ægre aliquid ab eo cultro abradi poſſit.

De ejus viribus hæc Septalius: Si geſtetur ita ut carnem tangat, profluvia ſanguinis, undecunque fluat, ſiſtendi vim ipſi adſcribunt, Lac etiam in mammis propagandi, & collo appenſum ut carnes attingat, omnes febres abigendi. Sed addit: Harum porro facultatum nullum hactenus ego periculum feci. Anshelmus Boëtius Dæmonia arcere ex aliorum relatu ait.

Lapidem ASTERIÆ pulcherrimum hic Hafniæ invenerunt Anno 1649. dum ante portam Septentrionalem foſſas ducerent. Minor aliquanto eſt eo, quem ex Geſnero deſcribit Anshelmus Boëthius lib. 2. de Lap. & Gem. cap. 148. coloris cinerei, ex duodecim cohærentibus ſtellulis conſtans, figurâ quinquangulari Cylindricâ. Extremitates tamen ſtellularum non in acutos apices ſed obtuſos deſinunt, ut potius flores expanſos Pentaphylli quam Stellas referant. Tota columnulla dimidiæ unciæ eſt longitudine, latitudine duplo minor eâ quam exprimit Boëtius. Subſtantiâ eſt prædurâ, ut non facile ſeparari poſſit. Is, qui invenit, refert triplo longiorem fuiſſe; at, dum ex improviſo ligone frangeret, evanuit pars altera. Erecta ſtetit, parte alterâ ſuperficiem, alterâ fundum terræ ſpectante; tribus ulnis infra ſuperficiem.

JUDAICUS LAPIS, à loco ubi invenitur in Judæâ ſcilicet ſic dictus, à quibuſdam Syriacus, à Plinio Euroës, quod urinam fluere faciat, & Tecolithos, quod calculum reſolvat, appellatur. Variarum eſt figurarum, Naturâ in ejus efformatione mirè ludente; unde etiam diverſa obtinuit nomina. Qui inſtar glandis & Balani eſt, Phœnicites; qui inſtar nuclei Olivæ, Pyrenes, &c.



Lapides hi maximâ ex parte exterius cinerei ſunt coloris; cretâ & cineribus quaſi conſperſi, oblongi, ſtriis multis & inæqualibus à baſi in apicem dotati, in quibuſdam etiam tranſverſi viſuntur. Interius, ubi franguntur, politum referunt Marmor. Magnitudine inæquali ſunt, nunc majores, nunc minores. Inveniuntur inter Saxorum commiſſuras in terrâ lubricâ & viſcoſâ: cum percutiuntur aut igni admoventur, in fruſta polita diſſiliunt.

Varias ejus ſpecies conſtituunt. Imperatus unam eorum glandiformem vocat, quod videlicet glandis, aut nuclei olivæ figuram repræſentet, ſtrias & ſulcos à radice in apicem excurrentibus. Hoc genus ſæpe Matrice ſeu Tartareâ quadam terrâ reperitur obductum, in quâ generari ſolet: Cruſta hæc in calcem redigi poteſt; lapis ſuo uſui aſſervatur. Hæc ſpecies frequentiſſima eſt apud Medicos.

Altera ſpecies ex multis nodis invicem conjunctis conſtare videtur, quemadmodum vertebræ dorſi in animalibus junguntur. Hæc Anshelmo Boëtio TROCHITES vocatur, Germanis Spange-ſtein / aut Reder-ſtein / quia Rotæ aut tympani fert effigiem.

Pars ejus rotunda lævis eſt, utraque vero plana, habet modiolum à quo ut in rotis radii eminentes ad extimam orbis partem ita procedunt; ut inter illos ſtriæ fiant. Fractus hic lapis nitet inſtar præcedentis, & lævis eſt. Cum multæ vertebræ ſimul junctæ reperiuntur, ENTROCHO's dicitur. Tam eleganter conjunguntur, ut radii unius alterius ſtriis inſerantur; ut in ſuturis Cranii humani fieri videmus. Colore & magnitudine differt: quidam cinereum, quidam luteum oſtentat. Maximus digitum latus eſt tranſverſum, craſſus tertiam ejus partem. Hildesheimii prope Spangeberg & in Italiâ reperitur. Mihi unus eſt cinereus, mollior, duodecim conſtans rotulis friabilibus; alter politior, durior, flaveſcens, octo conſtans craſſioribus rotis. Hic maturus, ille imperfectus adhuc videtur & immaturus.



Tertiam ſpeciem conſtituit Imperatus eam quam Columnulum ſeu COLONETTAM Italicâ appellatione vocat: à priori non differt, niſi quod articuli longiores ſint, columnulas imitantes, commiſſuris æqualibus conſtantes.

Quarta articulata quoque eſt STELLA JUDAICA ipſi dicta, quia articuli non modiolos aut columnas, ſed ſtellas exprimunt. Exiſtimo eum eſſe qui ASTERIA Boëtio dicitur, Geſnero Sphragis Aſteros, quia ſingulis partibus utrinque ſtellæ figura ceu ſigillo impreſſa videtur, radii eminent ſuis angulis, & in ſingulis radiis cavitas media. Octo aut plures interdum cohærent tam affabrè, ut nullus artifex melius potuiſſet jungere, facile tamen ſeparabiles. Ad Cimmeriam arcem in colle edito reperiuntur.

Omnes ſpecies earundem virium eſſe videntur. Ad renum calculos in primis commendantur. Triti & aquâ appropriatâ exhibiti, difficultati urinæ medentur, & renum ac Veſicæ calculos comminuunt. Quidam in mares & fœminas eos diſtinguunt; minores vocantes fœminas, ad Veſicæ calculum utiles, Majores mares, ut & longiores renibus magis dicati.

BELEMNITES à ſagittâ ſic dictus, cujus refert figuram, βέλεμνον enim ſagittam vocant Latini; aliis Dactylus Idæus, quod in monte Idâ reperiatur, & digitum repræſentet. Quibuſdam Lyncurius, quod ex urinâ Lyncis ortum trahere falſò exiſtimaverint, Germanis Alpfen-ſchos / incubi ſagittæ, Schos-ſtein / Luchs-ſtein / Rappen-ſtein / Danis Vettelinß / ſpectrorum candela.



Lapis hic teres & oblongus eſt, in apicem obtuſum deſinens, colore modo albicante, modo aureo, ſagittæ extremitatem exacte referens, quandoque plenus, quandoque concavus, lineas obtinens à medullâ ad extremitates tendentes, communiter pollicis & digiti longitudine, quamvis & viſus qui tibiam humanam æquaret. Omnibus à Naturâ ineſt quaſi rima in longitudinem tendens. Uſti graviter olent inſtar oſſium aut cornuum uſtorum.

Differunt primò colore, alii albi, alii nigri, alii cinerei, alii fulvi, alii pellucidi. Deinde quidam armaturâ aureâ vel argenteâ armati. Adhæc, quidam olent oſſa, cornua uſta, felium urinam, alii nihil, alii benè. Imo, alii pleni, alii concavi, alii intus lapidem, alii arenam, vel terram continent. Denique alii paleas trahunt, alii non. Eſt & ſpecies quædam ſingularis intus atra & leviſſima, inſtar ſilicis ignem emittens, magnitudine articuli digiti, nullis radiis, foris albicans, tanquam cruſtâ cretaceâ dotata, ſubſtantiâ duriſſimâ. Cujus mihi unum eſt exemplum. Qui ſuccini & aurei ſunt coloris, proprie Lyncurii dicuntur. In Boruſſiâ prope Regiomontum, & in Pomeraniâ effodiuntur.

Cinerei

Cinerei & candicantes prope Hildesheimium: Ibi & ille qui aureâ gaudet armaturâ. Multis aliis in locis etiam inveniuntur.

Germani contra Incubum, Ephialtem & nocturnas oppressiones valere putant, atque eum in finem ejus exhibent pulverem in liquore competenti. Commendatur etiam ad vulnerum consolidationem. Calculum eo frangi, non secus ac lapide Judaico, existimant. Pleuritidi mederi volunt, ob signaturam; mucrone enim ad pungendum apto præditus.

Ejus usti pulvis dentifriciis aptus est. Eo etiam cicatrices in oculis equorum existentes exterunt Hippiatri. Ad omnia illa, ad quæ Lyncurius commendatur, valere volunt; siquidem pro Lyncurio venditatur: sed ab urinâ Lyncis nasci lapidem, negant Naturæ scrutatores accuratiores.

Belemniti non absimilis lapis candidus Cylindricæ figuræ, sed non transparens, pennæ anserinæ crassitie, duarum unciarum longitudine, in extremitate alterâ refert glandem penis cum præputio. Is, quem ego à D. Petro Scavenio accepi, fractus erat obliquè, utrâque fracturæ superficie politâ adeo, ac si arte polituram acquisivisset. Lapidem Arabicum vocari volunt.

Huc forsan etiam non incommodè referri potest MOROCHTUS, nisi quod mollior sit: & quamvis quædam supra sect. 1. cap. 3. sub nomine Smectis & Terræ saponariæ dixerimus, quia tamen ad lapides etiam referri ab Autoribus probatis videam & Morochti titulo insigniri, etiam aliquid hic de eo monendum.

MOROCHTUS, aliis Leucogæa, Leucophragis, Galaxias, Graphida, Galactites appellatur, quia eo lineas albas ducere licet, non secus ac cretâ. Lapis est, (si modo lapis) mollis, lubricus, quandoque nigro, quandoque subviridi, quandoque melleo colore, qui vestigia alba post se relinquit, si convenienti subjecto affricetur. Reperitur in Apennino, Hetruriâ, Angliâ, circa Hildesheimium, & in Insulâ Feroënsi ad littora fluvii cujusdam, ubi instar tartari concreti cautibus adhæret.

Inter Morochtum, Galactitem & Melititem hoc discriminis ponunt, quod Morochtus lacteum succum edat, absque mellis dulcedine, nec albus nec cinereus existens. Galactites vero albus vel cinereus est, lacteum succum sine mellino sapore promens. Melitites verò vario colore, succum lacteum mellis dulcedine exhibet.

Sartores pannos eo signare solent ut cretâ; Pictores quoque & Mathematici ad lineas ducendas utuntur. Si super cotem cum aquâ fricetur, lacteum emittit succum, quo in collyriis utuntur Medici; exsiccat enim sine mordacitate. Si ad pectus portetur, lactis copiam augere creditur. Colore quandoq; glauco est, qui si uratur in candidum convertitur, ac lapis ipse durior redditur, sed non amplius tingit, aut lacteum colorem præbet. Dioscorides in Ægypto reperiri ait, & ad lineas vestes dealbandas usurpari; unde supra etiam ad terram Smectim retulimus. Sanguinem expuentibus conducit, iisque quibus vesica dolet, ex aquâ propinatus. Ad fluxus matricis cum lanâ pessi formâ imponitur.

CAP. XI.

De Alectorio, Chelidonio, Vmbilico Marino, Lapide Vrsino, Castoris, Humano.

SUPRA de lapidibus mollioribus, ab Animalibus petitis, quædam diximus: hic lubet duriorum aliquanto, etiam ab Animalibus desumptorum, historiam breviter persequi.

ALECTORIUS sic dictus quod in ventriculo Capi aut Galli decrepiti generari existimetur, Germanis Kapaunen-stein. Colore variat: interdum enim Chalcedonio & Crystallo obscuro similis, interdum fuscum & cinereum colorem habere dicitur, interdum sanguineis venis distingui. Plinius fabæ magnitudinem haud excedere ait. Agricola in jecore generari putat, atque in eo majores inveniri. Narrat enim suo tempore unum inventum, unciam longum, latum digitum, altum sescunciam, inferiori parte, quâ latior, humiles habuisse cavernas, superiori, quâ strictior, ad dexteram extuberasse, ad lævam humilem & fuscum, cum reliquum ejus corpus in fusco candidum fuerit. Melioris notæ feruntur, qui in corpore suo, velut stagnantem injecti cibi micam modicam, nec adeo obscuram, ostentant.

Ego

Ego aliquoties quæsivi in capone quatuor annorum, etiam in quinque annorum aliquibus. In ventriculo quamplurimos inveni lapillos variæ figuræ, magnitudinis & coloris, quos tamen omnes ipsum deglutivisse, non vero in ejus ventriculo generatos esse, liquidò tum ex eorum substantiâ, tum figurâ & coloribus constabat. In ultimo numeravi 287. lapillos varii coloris & magnitudinis, ossa item duo calore ventriculi aliquantulum alterata. Inter lapides verò tredecim erant consistentiæ Crystallinæ, quidam ex iis micas ac maculas rubicundas ac purpureas ostentabant, ut, si qui ex illis notis authorum respondere deberent, hi essent.

Vires varias Alectorio attribuunt. Gestatus aut ore detentus victoriam conciliare, Venerem excitare, mulieribus virorum gratiam creare, constantiam & eloquentiam gestanti tribuere creditur. Ori inclusum sitim & cordis æstum sedare, experimentis compertum est. Ferunt etiam Caponem, quam diu hunc gestat lapidem, nunquam bibere. Tectum à periculis reddere gestantem etiam volunt.

CHELIDONIUS seu Chelidonia ab Hirundinibus sic dicta, eo quod in ventriculis eorum inveniri putentur. Germanis Swalben-stein. Lapillus est exiguus, magnitudine seminis lini, sed figurâ hemisphæricâ, colore luteo obscuro splendente parte convexâ & rotundiore, purpureo & nigricante parte sessili.

Dicunt inveniri in ventriculis hirundinum juvenum, quibus à matre, mox ubi exclusi fuerint, devorandus exhibetur: cum pulli lapillos hos habent, ita nido insident, ut rostra conjungant. Eximi juxta Plinium debent absente matre, & antequam primogenitus terram tangat. Quandoque in uno pullo duo generantur, alter rubicundus, alter obscuro magis colore, quandoque verò unicus saltem qui duorum vices gerit. Anshelmus Boëtius se in Hirundinibus sæpe eum quæsivisse ait, sed non invenisse. Adferuntur ex Melitensi Insulâ Lapilli Chelidonii dicti, qui descriptioni conveniunt, quos incolæ oculos Serpentum vocant petrificatos.

Sunt qui opercula concharum minutarum esse putent instar Umbilicorum Marinorum; quod mihi haud videtur verisimile. Attulit enim mihi ex Melitâ Insulâ Clariss. Vir D. D. Thomas Bartholinus massam quandam, ex meris hisce lapillis constantem, ita ut discrete cerni ac numerari possint usque ad numerum vigesimum, quamvis massa sit exigua dimidiæ unciæ longitudine, pondere vix scrupulum æquans.

Mihi varii sunt ejus generis, figurâ, magnitudine, & colore discrepantes, qui non ex hirundinibus sed Terrâ Melitensi sunt petiti.

Vires ei adscribunt præclaras, in primis ad Epilepsiam commendant, albiorem capiti applicatum aut auribus impositum extemplo collapsum excitare, nigram cute alligatam idem præstare. Ad antiquos capitis dolores, Quartanam, Hepatis affectus, Maniam & Melancholiam gestatus extollitur. Superstitiosum esse videtur, gestantem omnibus gratum acceptumque facere, facundiam augere illum qui ruffi est coloris. Nigricantem verò Principum favorem conciliare, & efficere ut incepta negotia ex voto succedant. Magis rationi consonum, quod oculorum doloribus in collyriis aut collo appensus sucurrat, visumque roboret. Certum quod oculis impositus quæcunque inciderint eximat, quod & alia lævia hemisphærica præstant.



UMBILICUS MARINUS, à similitudine Umbilici quem repræsentat, nomen invenit, quibusdam Umbilicus Veneris, Germanis Meer-bonen / Faba Marina; Cretenses Oculum Marinum vocant, quod gestatus oculis prodesse dicatur.

Lapis

Lapis eſt colore rubicundo, albedine mixto, ſuperiori & eminente parte politus & lævis, inæqualis, quibuſdam in locis compreſſus, ut eâ parte humanum oculum non inepte exprimat tam figurâ quàm magnitudine; raro minor (duûm enim eſt generum, major & minor, de quo hic loquimur) unguem pollicis excedit.

Alterâ parte compreſſus eſt, planus & nigricans, variis ſpiris in gyrum actis præditus, ac ſi conchæ eſſet rudimentum, in albidioribus lapillis hæc pars quandoque etiam albicat. Operculum eſt conchæ cujuſdam celatæ Aldrovando dictæ, quæ etiam ad Turbines refertur. Hujus orificium claudit, eo modo quo vulgares Limaces hyeme cruſtâ quadam teſtes ſuas claudere ſolent, ut à frigoris injuriâ defendantur. Cochlea, quam claudit, parva eſt, exterius quaſi Cretâ obducta, interius ſplendens Margaritæ inſtar.

A puellis geſtatus illis gratiam & amabilitatem conciliare creditur, earumque morbos avertere. Amuletum contra Eryſipelatem eſſe putatur, ſi continue geſtetur. Ejus in ſanguine ſiſtendo vim eximiam experti ſunt viri clariſſimi, ſi parte planâ cum Salivâ fronti agglutinetur. In menſibus ſiſtendis ejus pulverem exhibent in aquâ aut conſervâ appropriatâ. Hæmoptoici, qui ſanguinem per intervalla exſpuunt, ejus pulvere, miſto cum cornu cervi & coralliis præparatis, in ovo ſorbili juvantur.

Eſt & UMBILICUS MARINUS MAGNUS ex Indiâ allatus, figurâ rotundâ, parte ſuperiore convexâ niveâ, in ambitu foraminibus quibuſdam, modo majoribus, modo minoribus, præditus, inferiori parte aliquantulum concavus, in gyrum cochleatum, ut prior, efformatus, colore punico, ſtriis ſubnigris in verſuris præditus. Ex diverſis conſtat ſubſtantiis: nam convexa & exterior ejus pars ſolidior, magis albicat, interior ſtrigoſa ad cinereum vergit. In diametro longitudinis, quatuor circiter eſt pollicum, duritie ad lapideam accedit naturam, quâ verſura cochleata minor eſt, tenuior conſpicitur, quàm ab alterâ parte. Ex limoſâ majorum cochlearum ſanie induratâ & excrementis viſcidis ortum trahere videtur, ac ejuſdem eſſe naturæ, proprietatis & virium cum priori.

LAPIS URSINUS. Huc referre licet lapillum mihi ex Norvegiâ tranſmiſſum à Nobiliſſimo Regni Cancellario Jano Bielke. Hunc, dum urſum excoriarent, inter pellem & carnem repertum refert. Unde & Urſinum voco lapidem.

Durus eſt, ſolidus, ſaxeus, colore cinereo, maculis quibuſdam flavis dotatus, figurâ ovali hemiſphæricâ, ab alterâ parte in rotunditatem extuberans, ab alterâ planus & nonnihil concavus, magnitudine unguis pollicaris.

An lapis hic in Urſo generatus, an aliunde tranſlatus, dubitatum. In Urſo generatum non eſſe, vel inde quis colligat, quod ejus generis in eo nunquam repertos apud autores legamus; tum quod ſaxeæ ſit ſubſtantiæ & duritiei, cum plerique lapides in animalibus geniti tophacei ſint aut Tartarei. Glandem aut globulum Sclopeti plumbeum in lapidem converſum arbitratur Nobiliſſ. Bielkius. Sed nec globi habet figuram, cum alterâ parte non globoſus ſed planus & compreſſus ſit, nec unquam obſervatum plumbum in lapidem converſum, ſive in animalibus, ſive extra. Arbitror verò, in defectu glandis plumbeæ, quendam invento hoc lapillo uſum fuiſſe in bombardâ, ac eo urſum ita proſternere tentaſſe; ſed vel ob levitatem, vel figuram minus aptam, ad interiora penetrare non potuiſſe, in ſuperficie inter cutim & carnem hæſiſſe, ſine magno feræ incommodo, unde temporis progreſſu conſolidatum vulnus, & jam demum, majori impetu proſtrato urſo, inventum inter cutim & carnem fuiſſe.

Quamvis molliores ſint præcedentibus qui jam ſequuntur lapides, quia tamen ab animalibus petiti, huc referendos duxi. Anno 1647. menſe Majo cum Theriacæ Andromachi & Mithridatii compoſitionem in ædibus Eſaiæ Fleſcheri, pharmacopœi noſtri primarii, adornaremus, atque inter reliqua Caſtoreum depromeret miniſter, in ipſius caſtorei ſubſtantiâ & meditullio inventus eſt lapis planus, rotundus ferme, quamvis inæqualis, colore luteo, pondere drachmæ unius cum ſemiſſe, ſubſtantiæ gypſeæ, non admodum duræ, quem ex improviſo fractum LAPIDEM CASTORIS nuncupavi. Quia tales lapides in Caſtoreo antea nec ego, nec alii præſentes Medici unquam obſervarunt, inſtar rari alicujus inter reliqua aſſervandum putavi.

Non eſt quod exiſtimet quis ab impoſtore intruſum ut pondus augeret, quia ʒiß. ſaltem erat, quod lucrum valde parum augere poterat, tum quod non duræ, ſed gypſeæ ſubſtantiæ, & coloris (etiam in meditullio dum fractus erat) ejuſdem cum Caſtoreo.

Inter CALCULOS in corpore HUMANO repertos & ex eo excretos, etiam Pi-

ſorum circiter magnitudine, variæque figuræ, viſendum eſt fruſtum, quod teneo, ex quodam qui ovum gallinaceum, dum integer eſſet, magnitudine ſuperabat. Quocirca & manu chirurgi è veſicâ extractum fuiſſe oportet. Dimidiam fermè ejus teneo partem, pondere drachmarum ſex; figurâ ovali præditus fuiſſe videtur aliquantulum compreſſâ. Subſtantiæ eſt gypſeæ aut Tartareæ, mollis adeo, ut cultro facile aliquid ei abradi poſſit, colore luteo, ex laminis ita coagmentatus, ut lapis Bezoar orientalis eſſe ſolet. Ex reſiduo liquidò colligere licet, quomodo una lamina poſt aliam corpori appoſita fuerit, donec in hanc excreverit magnitudinem. Superficies externa lævis fuiſſe videtur, nullis aſperitatibus rigida.

De eorum in corpore humano generatione, fusè diſcrepantibus ſententiis diſputarunt alii; ſufficit nobis indicaſſe, ſumme commendari ad tartarum in omnibus corporis partibus, imò ad calculos grandiores expellendos; & obſtructiones inde generatas reſerandas. Quo fine Chymici ex eo parant ſal, oleum per deliquium, Elyxir ſeu Eſſentiam; de quibus conſule Pharmacopœam Schroderi.

Lapis atheromatis. Atheroma vocant Chirurgi tumorem concolorem & indolentem, in membranâ, ſeu nervoſâ tunicâ, humorem lentum continentem, atheræ hoc eſt pulti ſimilem quæ ex farinâ decoctâ conficitur.

Sed & in hoc genere tumorum corporis humani, alia multa reperiuntur heterogenea quandoque, ut manſa Gallinarum oſſicula, pili complicati, ſulphuris ramenta, lapides.

Ejus generis Atheromatis lapis mihi eſt unciæ longitudine, paulo minoris latitudinis, ex gypſeâ materiâ concretus, figuræ oblongæ, ſed inæqualis, & variis protuberantiis præditus, levis tamen eſt, ut, cùm avellanam magnitudine vix ſuperet, drachmas tamen duas pondere non æquet.

Lapis hic Atheromatis, duplici nomine mihi gratus, tum quod manu Celeberrimi Viri D. D. Aurelii Severini Tarſenſis, Profeſſoris Chirurgiæ in Gymnaſio Neapolitano, amici mei ſit extractus, tum quod operâ Clariſſ. Viri D. Thomæ Barthol. ad me delatus.

E renibus bovinis exempti lapides teſſerarum inſtar varie coagmentati, albicantes, gypſei, inæquales, ultra tredecim, quorum quivis avellanam magnitudine ſuperabat.

Cap. XII.

Ceraunias, Brontias, Ovum anguinum, Ætites, Oſtracites, Conchites, Bucardia, Fungites.

Ceraunias nomen à fulmine traxit, eo quod cum fulmine è nubibus decidere omnibus perſuaſum ſit; quibuſdam Telum fulmineum, lapis fulminaris, cuneus fulmineus, telum Jovis. Danis Torden-ſteen / Germanis Donder-ſtein / Donder-keil.

Varias figuras præ ſe fert, maximâ ex parte cuneum refert, pyramidem, malleum, ſecurim, clavam; longus quandoque pollices ſeptem, quandoque quinque, latus tres aut quatuor, craſſitie inæquali, ſubſtantiâ ad ſilicem ut plurimum accedit, durus adeò ut limam non ſentiat, gravis & ponderoſus.

Quandoque foramen in medio pollicis craſſitie obtinet ita conformatum, ut ab uno latere anguſtius ſit quam ab altero. Colore variat, quandoque cinereo, quandoque nigricante, quandoque luteo ſubobſcuro.

De ejus generationis modo variant autorum ſententiæ. Quidam, cum inſtrumenta ferrea externâ figurâ eum exprimere videant, non telum fulmineum, ſed ejuſmodi inſtrumenta ferrea in lapides converſa eſſe arbitrantur. Verum refragantur fide dignorum obſervationes, qui tales lapides eruerunt eo in loco, ubi fulmine tactæ erant domus, aut arbores, aut alia; de quo conſule Kentmannum. Quocirca ex exhalatione fulmineâ cum materiâ metallicâ permiſtâ, & ab humore circumfuſo conglutinato in denſâ nube generari ajunt, accedente calore ſolis, ſtellarum, & igniti fulminis. Figuram verò acquirit pro variâ materiæ diſpoſitione; humiditate vim ſiccantem fugiente ad inferiora, ſiccioribus in ſummitate conglobatis & condenſatis. Quamvis & hæc opinio ſuas patiatur difficultates, ob figuræ varietatem, foraminum impreſſionem & ſubitaneam generationem, probabilitatem interim habet magnam. Alii tempeſtatum vi in altum tolli lapides in terrâ generatos, & cum fulmine rurſus decidere credunt; quod nec ſuis caret difficultatibus.

Ferunt

Ferunt veræ Ceraunia notam hanc esse, quod filum ei ita applicatum, ut nullibi duplicetur, & totus ei involvatur ut totum tegat, si prunis ardentibus imponatur, uri non possit, sed potius madidum reddi. Infantes ab Herniâ præservari, si cunis imponatur, & etiam curari ita, si eo morbo laborent. Domum, in quâ servatur, à fulmine tutam esse credunt, ut & hominem qui caste eum gestaverit. Sic enim canit Marbodeus:

Qui caste gerit hunc, à fulmine non ferietur:
Nec domus, aut Villæ, quibus adfuerit lapis ille.

Somnum provocare quidam volunt, & victoriam in prœlio & causis agendis conciliare. Memini quendam affirmasse ex iis in calcem redactis oleum elici, quo si tormenta bellica inungerentur, in frusta, ubi exploduntur, certo certius dissilire. Fides sit penes autorem.

Varia ejus genera nostrum tenet Museum, ex quibus quædam enumerabimus. Unum ex cinereo albicans, exacte cuneum refert, quatuor digitorum longitudine, duorum latitudine, crassitie unius, sensim acuminatur & politi marmoris parum variegati speciem præ se fert.



Septem digitos longitudine æquat alius, minus politus, colore cinereo obscuriore, cuneiformis quoque, sed ita ut acumen habeat latius trium digitorum, summitatem vix unius, cujus latitudinis æqualis crassities; sed in medio digitum cum dimidio æquat.

Tertius silicem subluteum repræsentat, obtusi cunei figurâ, inæqualis valde & asper, quatuor digitorum longitudine, crassitie unius, latitudine duorum, obviis objectis allisus acumine suo privatus videtur.

Quartus quinque digitorum, nigricante minerâ siliceâ constans, cuneum acutum figurâ referens, cuspide latiore, duorum scilicet digitorum cum dimidio, cum apex ejus abruptus vix duos æquet, crassitie dimidii digiti, ruptam dixeris securiculam & in silicem conversam.

Quintum omnium aptissime majoris gladii apici assimilavero, pyramidalis namque est figuræ, in cuspidem acutum desinens, colore obscure cinereo, materiâ ex silice & marmore mistâ, utrinque gladii instar acutus, crassitie à medio in extrema paulatim remittente. Longitudinem habet novem digitorum, latitudinem juxta basin trium, quæ paulatim in apicem acutum desinit; politus est & lævis, nisi quibusdam in locis, ubi particulæ quædam casu abruptæ videntur.

Hujus census sunt pugiones, hastæ ac gladioli silicei, magnitudine diversâ & colore; de quibus suo loco.

Quamvis complures alii mihi sint Ceraunii lapides, magnitudine, figurâ, & colore discrepantes, tamen inter eos visendus & is est, qui colore nigro cuneum refert, foramine circa basin dotatus, ejus amplitudinis, ut pollicem admittat. Longus est pedem Romanum, exceptis unciis duabus, crassus pollices duos cum semisse, latus circa foramen tres pollices; qui paulatim acuminatur ad modum Cunei; non omnino lævis

eſt, ſed ſcabroſus, maxime circa baſin, ſed magnitudine ſuperat omnes quos teneo.

Sunt mihi & Sphæricæ figuræ, poligoni tamen lapides, quidam ſilicei, coloris luteo purpurei, magnitudine pugnum aut pilam majorem æquantes luſoriam; quos ad Ceraunias retulit ille à quo accepi Nobiliſſ. D. Vincentius Bilde de Waldbygard. Inventi ſunt hic in Sælandiâ non procul à prædio ſuo. Subſtantiâ quidem ſiliceâ Ceraunias referunt, ſed figura me dubitare facit, cum Sphæricam figuram eis tribui à nullo viderim.

Ad claſſem hanc forſan non incommodè retulero LAPIDEM GRANDINIS, à me ſic dictum quod Anno 1647. feriâ tertiâ Pentecoſtes, in Falſtriâ cum tonitru, fulmine, & inſolitæ magnitudinis grandine deciderit. Grando vero variæ fuit figuræ, magnitudine juglandis, non ſolum frumenta & ſegetes in campis ſex vel ſeptem pagorum proſternens, feneſtras templorum frangens, ſed & agnos, anſeres, & pullos paſſim occidens. Ubi grando, præter quam calor ſolis attigerat, quatuor dierum ſpacio ob magnitudinem & compaginis rationem liqueſcere non potuerit, ſecum etiam lapides hos tulit, ovi anſerini magnitudine. Particulas ex uno, dono Magnif. D. Cancellarii Regii Chriſtiani Thomei, habeo, nivei coloris, cretæ ſimiles, ſed duriores multo & manum non tingentes, aſperas, inæquales, ita tamen ut exterior ſuperficies incruſtatione quâdam vitreâ tecta fuerit. Particulæ, quas teneo, drachmas duas & ſemiſſem æquant.

Ad Ceraunia quidam referunt BRONTIAM ſeu OMBRIAM. Brontiam dictam volunt, quod cum fulmine è cœlo delabi putent; Ombriam verò, quod cum imbribus cadat. Quibuſdam etiam Chelonitis, quod Chelin teſtudinum, figurâ & colore quandoque repræſentet. Ovum anguinum aliis, quia ab anguibus & bufonibus conflari putant, caudas enim anguinas in unum punctum concurrentes, & corpus ejus ambientes quodammodo oſtentat. Quamvis ſint qui diſcrimen inter ovum anguinum & Ombriam ſtatuant, quod certe exiguum admodum eſt. Popularibus noſtris Spadei vocatur, Germanis Groß Krotten-ſtein / quaſi magnum lapidem bufonium dicas, alias Donner-ſtein / Wetter-ſtein.

Lapis eſt hemiſphæricus, dimidii ovi gallinacei magnitudine, quandoque major, quandoque minor, colore cinereo, fulvo, nigricante materiâ vel ſaxeâ, vel gypſeâ, vel ſiliceâ, ab apice in baſin per ejus convexum, quinque lineas æqualiter in quinque quaſi triangula eum dividentes, habens; quæ lineæ ſemper duplicatæ, ex minutulis conſtant punctis, & quandoque in planam ejus terminantur ſuperficiem, quandoque eum perreptantes in modiolum quod centrum planæ ſuperficiei exornat. Si protuberantiæ & eminentiæ quædam in eo appareant, Ovum anguinum nominant. De ejus generatione varia fabulantur. Plinius lib. 29. cap. 3. Ex anguibus conflari accepit. Eſt, inquit, ovorum genus in magnâ Galliarum famâ, omiſſum Græcis; Angues innumeri æſtate convoluti ſalivis faucium corporumque ſpumis artifici complexu glomerantur, Anguinum appellatur. Vide reliqua valde ſuperſtitioſa. Alii cum fulmine & imbribus decidere putant, ut ſupra dictum. Quidam ova teſtudinum in lapidem converſa volunt, cum rudimenta teſtudinis in convexâ ſuperficie apte referant; at apud nos reperiuntur, ubi teſtudines non generantur. Lapidem ſui generis eſſe quid vetat? quem peculiari vi ſibi ſimilem gignendi præditum eſſe noſtrates credunt. In modiolis enim, quos habere viſuntur, alios procreare volunt. Nec certe omnino abnuere poſſum, cum aliquos habeam qui fœtus ſuos adhuc in ſinu foveant, ſeſſili ac planâ corporis ſui parte. Reperitur variis in locis Daniæ, verùm nunquam, quod ſciam, animadverſum quod plures ſimul in eodem loco aut nido inventi. Nam in Morſingiâ prope nobile prædium Dndrup in magnâ copiâ reperitur, indeque ad me multi ſunt delati.

Mihi multi ſunt hujus generis lapides, ſed magnitudine, colore, duritie, & linearum ductibus diſcrepantes. Omnes hemiſphæricâ figurâ, & quinque caudis aut ſtriis ab apice in

in basin excurrentibus, modo perfectioribus, modo imperfectioribus, varie ludente naturâ. Est qui in convexo stellam ostentat, radiis à puncto centrali excurrentibus, & in corporis medio terminantibus. Sunt qui corpus totum foveant & amplectantur quasi. Sunt qui Belemnitem substantiâ imitentur, politi, elegantes & ferme perspicui. Unus est qui ovum anguinum ab Agricolâ descriptum exactè referat, nisi quod desint modioli. Verum cæteris omnibus, ut rarior, ita elegantior is est, qui favum ab apibus conflatum refert, magnitudine ferme dimidium ovum gallinaceum æquans, sessili parte basin habens digiti crassitie, cinerei coloris, vermiculatam, prominentiis quibusdam inæqualibus dotatam.



Huic insidet BRONTIAS FAVOGINEUS mihi dictus, quinque radiis prominentioribus ab apice ad basin excurrentibus, quorum quivis duobus ordinibus foraminum quadratorum constat, illis simillimorum in quibus apes mella sua condunt. Inter hosce radios quinque ordines duplicatorum foraminum quadratorum, sed latiorum continentur, depressiores aliquanto quam ii sunt qui caudas serpentum exprimunt. Summa: primo aspectu jurares favum esse ex candidâ cerâ virgineâ factum lapideæ basi insistentem, cum tamen totum corpus siliceæ sit duritiei.

Encelius lib. 3. de re Metallicâ cap. 47. refert se in Ætite silicem invenisse candidum, subrotundum, durissimum, in cujus superficie cellulæ quasi apum in favis. Et aliam speciem reperisse se asserit extra matricem, solam pileum referentem. Hi lapides, quamvis proxime ad naturam nostræ Brontiæ Favogineæ accedant, multum tamen invicem distare animadvertet is, qui delineationem Encelianam cum nostrâ contulerit.

Cæterum vires Brontiæ hæ recensentur: Gestatum ab aëre pestilenti & venenis securum reddere volunt, veneno præsente sudare ajunt, quod de politioribus forsan intelligendum, alioquin omnes lapides & corpora dura polita ac frigida calidiorem aërem condensant & in aquam vertunt. Somnum & victoriam conciliare sibi persuasum habent quidam, unde sunt qui capulis gladiorum indant. Ne quis fulmine tangatur impedire credunt. Nostrates mulierculæ contra fascinationes valere putant, unde propè mulctra & lactis repositoria asservare solent, ne à sagis quid impedimenti eis adferatur.

ÆTITES, seu Aquilinus lapis, ab Aquilâ nomen invenit, vel quod colore sit fulvo instar Aquilæ vel quod in nidis Aquilarum reperiatur, eo enim à terrâ transfertur, vel (ut Ælianus putat) sit Amuleti instar, contra fascinum, vel ut eo nidus Aquilarum stabilior reddatur, vel ut eorum vi vivificentur ova, vel ut partum ovorum promoveant, vel ut ovis Aquilinis, quæ incubatu à ventre matris nimium fervent, temperent, in quâ opinione est Albertus Magnus. Germanis Adler-stein.



Lapis est rotundus, aut ad rotunditatem accedens, colore cinereo, pullo, aut fusco, alium lapidem vel argillam in se continens, unde concussus resonat. Varia ejus sunt ge-

nera: Plinius quatuor recenſet, Anshelmus Boëtius tria frequentiora. Primum exterius ſcabrum, colore ut plurimum pullo nigricante, lapidem Callimum dictum in ſe continens, dum pulſatur ſonitum edens: Secundum cinerei coloris, argillam vel margam continens, quæ alba, flava, rubra & cœrulea quandoque eſt, cortice exteriore ſcabro, ex arenâ craſſiore, ſilicumque particulis facto. Tertium priori ſimile, terram in ſe coloribus variantem habens.

Tria genera ad manus meas pervenerunt. Unum nigricans, exactæ rotunditatis ſeu figuræ ſphæricæ, pilæ luſoriæ magnitudine, exterius ſcabrum. Concuſſus hic lapis ſonitum edebat clarum, foramen unum atque alterum habet exiguum ad centrum penetrans, ex quo, lapis dum concutiebatur, pulvis cretaceus decidebat. Siliceæ eſt conſiſtentiæ & duriſſimâ concavâ ſuperficie inductus cretaceâ materiâ, qualis etiam in ſilicibus nigris in agris repertis invenitur. Callimum in ſe continet avellanæ magnitudine, poroſum, inæqualem, ſcabrum, ſubrotundum, ſinuatum, duritie item ſiliceâ.

Alterum genus etiam in Muſeo teneo, ferruginei coloris, ex arenulis & particulis ſilicum conflatum, unicâ conſtans tunicâ, ſuperficie interiore luteâ, ex terrâ ejuſdem coloris qui in eo continetur, figurâ fuit ovali, jam enim fractus eſt lapis & ejus particula mihi relicta.

Tertium genus fulvo eſt colore, ſubrotundum & inæquale, ex multis cruſtis coagmentatum, in ſe terram ſeu margam ejuſdem coloris continens, concuſſus, ut reliqui, hic lapis quandoque reſonat, quandoque non.

Ætitem parturientibus peculiariter dicatum teſtatur Plinius & Galenus, non refragante experientiâ. Siniſtro namque brachio alligatus, fœtum in iis retinet, quæ ad abortum ſunt proclives ob uteri lubricitatem. Tempore partus ſiniſtro femori alligatus, dolores minuit ac partum accelerat; cujus experientiam ſæpius in hac urbe feci, adhibitâ tertiâ ſpecie. Eſt enim mihi Gæodes parvulus ovi columbini magnitudine, cujus effectum in caſibus deſperatis multæ honeſtæ matronæ ſæpius viderunt. Sed ubi partus exciderit ſtatim amovendus.

Obſervavit namque Valeriola, tam vehementer trahere ut unà uterus excidat, ni maturè removeatur, quod eo referente accidit Valentiæ conjugi Ponſoni Jouberti, quæ oblivioni tradens lapidem femori allegatum, elapſâ matrice extincta eſt. Ad furem deprehendendum autore Dioſcoride pulverem Ætitis pani permiſcent & ſuſpecto porrigunt, quem reus deglutire nullo modo poteſt. Quod & Græcos etiamnum variis adhibitis ſuperſtitionibus factitare ait Bellonius: omnes ſuſpectos advocant, atque maſſam pinſunt ſine fermento, variaque verba adnumerant; deinde ex maſſâ panes Ervi magnitudine conficiunt, ſingulisque ternos devorandos, nullo addito potu, præbent. Tum fur tertium devorare non poteſt, & parum abeſt quin, ſi conetur, ſtranguletur. Monachi Græci hoc pro ſecreto habent.

Ferunt quidam, quod ſi patinis ſupponatur Ætites, in quibus ferculum veneno infectum continetur, deglutiri illud non poſſe. Superſtitioſum videtur quod aſſerunt geſtatum amorem & divitias augere, invictum omnibuſque gratum efficere. Sed tritum & Cerato mixtum epilepticos paroxyſmos lenire quod dicant, experientiæ non reclamat. Argilla ſeu marga, quæ in Geode continetur, Terræ ſigillatæ facultatem habet. Lota Peſti & febribus peſtilentialibus correptis, cum aquâ acetoſâ propinata auxilio eſt, ſudores elicit, venenum expellit, cor recreat, quandoque & alvum movet. Venenis cum vino exhibita reſiſtit, Dyſenteriam malignam & alvi fluxum ſiſtit. Peſtilentes carbunculos diſcutit, cum ſpiritu vitrioli in vino oligophoro exhibita; cordique robur conciliat. Serpentes arcet, atque hanc ob cauſam quidam exiſtimant nido Aquilæ inferri.

Cum



Cum Ætite magnam affinitatem habet OSTRACITES, eo quod ex cruſtis conſtet inſtar Geodis, & coloris ſit fulvi. Nomen ab ὄστρακον Græco trahit, quod teſtam notat.

Lapis eſt ſciſſilis & cruſtoſus, ferrugineus ſeu fulvus, qui, ablatâ unâ cruſtâ ſeu teſtâ, alias ſubinde continet ejuſdem coloris & ſubſtantiæ. Mihi ejus generis unus eſt, quadratus ferme, niſi quod in conum ſe diffundat latus unum.

Tres cruſtæ ſibi invicem incumbentes, ex parte ablatæ, oſtendunt reliquas ejuſdem ſubſtantiæ & coloris. Ex ſucco limoſo paulatim calore indurato, qui ſucceſſive ſic corpori ejus ſe agglutinavit, conſtare videtur. Repertus hic non procul Hafniâ ad lacum Emendorpianum.

Pumicis loco quidam utuntur ad cutim glabram reddendam. Exhibitus Drachmæ pondere, menſes ſiſtit, mammarum inflammationibus ſuccurrit, cum melle impoſitus; à purgatione menſtruâ ſumptum conceptionem prohibere volunt. Galenus lib. 9. de ſimpl. Med. facultat. de eo hæc habet: Oſtracitem vocatum lapidem prædicare quoſdam audio, quaſi deſiccandi valenter facultatem obtineat, temperatam adſtrictione & acrimoniâ. Volunt Geodem eodem nomine pupillas expurgare, & uberum teſtiumque phlegmones ſanare ex aquâ inunctum, ubi per Oſtracitem Ætitis ſpeciem intelligere videtur.

Quidam per Oſtracitem intelligunt Ollas illas foſſiles quas è terrâ eruunt, in quibus Ethnici cineres mortuorum recondebant, Germanis Topf-ſtein. Sed iſtæ artificioſæ potius quædam ollæ ſunt, quam naturales lapides. In terrâ molles adeo ſunt, ut facile frangantur dum eas eruere tentant, ſed exemptæ ſoliditatem acquirunt.

Apud nos in collibus, ubi Ethnici tumulati fuerunt, crebro reperiuntur; de quibus ſuo loco inter Urnas dicendum erit.

Eſt & OSTRACITES, à Plinio inter Gemmas relatus, Achatis ſpecies. Sunt & qui ſpeciem quandam Hæmatitis hoc nomine indigitent.

CONCHI-

CONCHITES ſeu lapides conchas referentes duos poſſideo, quorum alter craſſior colore cinereo à naturâ elaboratus. Striæ per tranſverſum ejus corpus convexâ parte ambientes, manifeſte ſatis oſtendunt, quo pacto appoſitione partium paulatim concreverit. Concava ejus pars colore ad fulvum declinat & lævior eſt.

Alter albus eſt, tenerior, minor, juncturarum acetabulis anguſtiore ſui parte præditus, adeo ut dubitem valde an vera ſit concha in lapidem converſa, an verò à Naturâ ludente ita fabricata. In poſteriorem ſententiam ut magis inclinem, facit locus ubi inventus. In colle namque vicino pago Greve, duobus milliaribus Hafniâ diſtante, invenit amicus, qui mihi dono dedit.

BUCARDIAM primus deſcripſiſſe videtur Ferrandus Imperatus lib. 24. cap. 26. in hunc modum: Bucardia petra ſic dicta à figurâ & magnitudine, quâ imitatur figuram cordis

cordis bovini; eſt ſuperficie lævi, ſimili ab utrâque parte, unde demonſtrat condenſamentum cum internâ concavitate, concharum valvis ambis convexis. Habet autem, in extremitate ſuperiore ab utrâque Valvâ, proceſſus revolutos, & eſt ſubſtantia quæ calcinatur.

Talem ego Bucardiam dono Clariſſ. Viri D. D. Otthonis Sperlingii poſſideo, quæ conchas duas, parte ampliori, ſed inæqualiter junctas refert, ſubſtantiæ mollioris & gypſeæ, ſuperficie externâ coloris cinerei albicantis, aſperâ, inæquali, quibuſdam foraminibus quaſi eroſus, cor utcunque, licet non exacte, exprimit, pondere unciarum quinque. Reliquas ſpecies ab Imperato deſcriptas videre nondum contigit.

Fungites ſeu fungos imitantes lapides ex Gotlandiâ habeo: ſubſtantiâ lapidem Judaicum ferme æmulantur, quibuſdam in locis maſſa cretacea & calcarea iis adhæret, convexâ parte ſtriæ à centro ad circumferentiam excurrunt minus profundæ, ſed concavâ profundiores, & in modiolum terminantur rotundum, in Diametro vix digiti minimi latitudinem habentem; colore ex albo in cœruleum tendunt, verùm pediculos non habent. Ex cruſtis componuntur pluribus, unuſque lapis alteri inſeritur, & difficulter ſeparantur.

Duritie reſpondent Judaico, adeo ut exiſtimentur in eoſdem uſus transferri poſſe, cum diſcrepantia non niſi in figurâ exiſtat. De alio fungite, fungum exacte referente, mox dicendum ſub titulo fungi ſaxei.

Cap. XIII.

De Lapidibus minùs pretioſis variarum figurarum, Naturalia & Artificialia referentibus.

Mire ludit Natura in omnibus rerum naturalium ſpeciebus, quod vel in lapidibus præ reliquis videre licet, adeò ut vix ſit animal, cujus non figuram aut partem aliquam in lapide exprimere tentet, vix ab artifice elaboratum opus, quod non in hoc genere imitari geſtiat. Talium vero cauſas & generationis modos licet ſollicite inquiſiverint Philoſophi, necdum tamen inventus qui omnibus ſatisfacere potuerit. Nos, antequam ea quæ aut in lapidem converſa, aut lapideâ ſuâ ſubſtantiâ res alias exprimunt, in Muſeo noſtro extantia enumeremus, pauca de eorum generatione, ex mente præſtantiſſimorum Philoſophorum, prælibabimus.

Duo ſunt genera eorum quæ hoc capite tractabimus: unum figurâ externâ res varias naturales & artificiales exprimit à primo ortu; alterum alterius fuit naturæ, ſed peculiari vi in lapidem converſum. Primum genus naſci videtur ubi ſuccus lapideſcens in terræ cavitatem aliquam inciderit, in quâ res illa antea jacuerit, cujus figuram exprimit; vel ſi natura talem cavitatem ipſa efformaverit, quâ materiem lapideſcentem excipere poteſt. Poſterius genus fit, quando res naturalis vel artificialis tranſmutanda poroſa eſt & penetrabili ſuo corpore, aquam, ſpiritum, ſuccum, aut tale quid admittit, vi ſalinâ & lapidificâ præditum, intra corpus ſuum quod tranſmutationem faciat, & in lapidi ſimilem ſubſtantiam convertat. Cui rei maxime idonea videntur ſalium mineralium corpora & ſpiritus, quorum proprium eſt corpora ſolvere & coagulare, teſte experientiâ.

Agricola lib. 7. Foſſil. cap. 22. ait ſuccum lapideſcentem tam qui extra terram eſt, cum aquâ permiſtum, quam qui intra terram latet, res omnes, quibus meatus ejus ſunt capaces, in lapides vertere. Paulo poſt, de arboribus lapideſcentibus in ſpecie monet diligenter attendendum eſſe, an corticem & medullam habeant arboris, eæ quæ lapideæ videntur. Hæ enim ſi abſint, non ſtipites in lapides ſunt converſi, ſed natura fecit lapides ſtipitum ſimillimos. Circa finem capitis ſubdit, Lapides, qui ex ſolo ſucco lapideſcente concreverunt, plerumque molles & fragiles eſſe. Quod tamen experientiæ minus reſpondet. Oſtendam enim & panis & hominis effigiem ſeu ſtatuas ſiliceæ & ſaxeæ duritiei & naturæ. Cæſalpinus, libro de Metallis & foſſilibus, ait ſuccum lapideſcentem, ſeu humorem quendam optime elaboratum & coctum ex materiâ lapidoſâ cum aquâ mixtum, genitum, cauſam principalem tranſmutationis eſſe, eundemque ſuccum, ſi cum aquâ tantum ſit confuſus & non exacte commixtus, non tranſmutare res, ſed ſaxeo cortice inducere.

Inſignem, quâ Natura in hiſce ludit, varietatem eleganter in claſſes certas digeſſit

Gaffarellus, in tractatu Gallico, quem vocavit *Curiositez inoüies*, cap. 5. Ex quo pauca hic libabimus. Figuræ lapidibus impressæ sunt vel naturales, vel fortuitæ, vel artificiales. De prioribus hic tantum sermo, & sunt vel elevatæ supra basin suam, vel naturaliter incisæ quasi, vel depictæ. Omnes hæ vulgo dicuntur Gamahu vel Chamaju, quæ vox deducta videtur ab Hebræo Chamaija, quod notat sicut aqua Dei, forsan quia Achates, in quibus creberrimæ occurrunt figuræ, aquas repræsentant. Additur Dei, quia Hebræis consuetum, ubi quid eximium velint denotare, Dei dicere, ut Paradisus Domini, Exercitus Domini, montes Dei, &c. Depictæ, vel coloribus luxuriant, vel solis linearum ductibus constant, quorum omnium exempla præclara apud ipsum autorem invenire datur, & hic etiam inter nostra habebis.

Ut ad nostra revertamur, primum locum in hac classe dabimus HOMINI SILICEO mammas tenus. Exacte refert silex hic caput, collum, humeros, pectoris summa, quin & oculos & nasi protuberantiam, monstrosam licet. Ostendit quoque figuram scapularum ac colli musculos torosos & apte dispositos, ut hominem medioeris staturæ in silicem conversum jurares, debitâ cujuscumque membri observatâ proportione. Substantia, ut dixi, est silicea, nigra, durissima, nisi parte dorsi, quæ excoriata quasi videtur, ubi albicat ac si cretâ aut calce obducta esset, non inepte pinguedinem sub cute latitantem eâ parte exprimens. Cutis ipsa nigricat, exceptâ pectoris & faciei, quæ ex cœruleo albicat, nasum & oculorum orbitam si exceperis albedine infectam. A vertice ad imum seu basin, pedem unum cum dimidio longus est, latitudo in scapulis est pedis unius minus quadrante.

Huic succedit PES HUMANUS SAXEUS, qui exacte pedem sinistrum juvenculi, in ipso articulo, quo tibiæ jungitur, amputatum refert, tibialibus tectum. Articulatio nodosa est & protuberans, coloris cinerei, pes ipse superiore sui parte nigricat, planta pedis ex nigro & cinereo mista, musculorum & tendinum protuberantiis, quà digiti necti solent Metatarso, seu Metapedio, eleganter exornatus.

Est & alius lapis saxeus PEDEM HUMANUM MONSTROSUM referens, nigricans, priori major, scabrosus. Hic etiam sinistrum æmulatur pedem, cui digiti abscissi & Metapedium distortum aliquantum, ad exteriora æquabilis & ejusdem est coloris, sed non adeo apte id quod debebat exprimit ac prior.

PEDEM OCREATUM referens lapis trium saltem est unciarum, coloris lutei, durus quoque & saxosus, de quo non est opus plura dicere, quam quod exacte pedem ocreatum, tali modo quo jam gestare solent ocreas, exprimat.

COR qui æmulentur, tres mihi sunt lapides: unus planus, nigricans, saxosus, ex laminis & crustis quasi æquabiliter conflatus, substantiâ duriore, quatuor digitorum longitudine, trium latitudine, quâ alæ ejus eminent.

Huic succedit alius minor, coloris cinerei, cor exacte referens, sed latius aliquanto quam longius, non planus ut prior, sed crassitie & torositate utcumque proportionem observans genuinam. Ex ejus sinu seu meditullio enata erat Quercus marina, (nam juxta Croneburgum ad littus maris inveni) quæ ubi sinum dictum egrediebatur, mox in duos ramos eleganter divaricabatur, ac hi rursus in minores, dum in altitudinem pedum duorum extenderetur. Sed jam exsiccata Quercus lapidem & fundamentum suum deseruit.

Tertius Cor referens lapis minor adhuc est, longitudine pollicis, latitudine paulo minor, torosus quoque ut prior, nisi quod sinistram protuberantiam minorem ostentet dextrâ. Candidus est, quibusdam in locis adeo lævis ac si splendenti incrustatione esset obductus, alicubi scaber, substantiâ calcareâ, molliusculus enim est.

Anno MDCXL. ad me ex Islandiâ transmisit lapidem, Cor grande bovinum figurâ referentem, Vir Clarissimus Arngrimus Jonas, de quo hæc narrat: Lapidem mitto (modo lapidem) formâ sive figurâ, tum colore, pondere & duritie ab aliis, meo judicio, differentem. Ille in littore sinus maris vicini, solus hujus generis repertus, ad me delatus est. Et ut ea, quibus ab aliis videtur differre, obiter repetam, illius dixi figuram mihi videri peculiarem, ut quæ cordis aliquam formam repræsentet, non quidem animalium terrestrium totaliter, nec natatilium vulgarium, præter quam Canis marini, quæ ab unâ parte plana fere est, ab alterâ nonnihil convexa, cum animantes & pisces vulgares Cor gerant teres & oblongum, magisque superne acuminatum, pyramidi non dissimile. Color, quem visus optime discernit, commentatione non eget, ut neque pondus, quo

ab

ab aliis, paris magnitudinis, vulgi censurâ hunc in excessu discrepare existimem. Duritiem plus quam adamantinam non immerito miramur, quæ nulli vi exteriori cedat; ignem excipio, de quo periculum factum non est. Verum saxis illisus grandioribus infrangibilis manet, neque cotis aut chalybis attritu ullum in ipso vestigium relinquitur. Hæc Arngrimus. Est vero hic lapis è genere Pyritum, colore aureo subobscuro, cor figurâ referens, à basi in apicem quinque habens pollices, totidem in latitudine; quâ ejus alæ latius se extendunt, æris metallum in se continere arbitror.

LINGUAM HUMANAM qui referat lapis, minime prætereundus. Rubicundus est, oblongus, digitorum quatuor longitudine, duorum latitudine, juxta radicem spissior, supremâ ejus parte planus, infimâ subrotundus, juxta apicem arcuatus, humanam linguam omnibus lineamentis exactè referens.

LAPIDEM COLUMBAM referentem ex tractu Nidrosiensi dono D. Episcopi M. Petri Schelderupii habeo, planus est, coloris cinerei, cotis duritie, magnitudine veræ columbæ à rostro, ad extremitatem caudæ pedem ferme Romanum attingens, capite, rostro, pedibus duobus, pectore, caudâ avem dictam exprimens, sed sola alarum desunt lineamenta, superficie lævi & æquali.

Ejusdem mineræ est COROLLA seu circulus ab eodem loco & personâ ad me derivatus, rotundus ita ut ejus cavitati inseri brachium possit, continuus, crassitie unciæ unius cum semisse, sed quibusdam in locis paulo angustior; circumferentia est pedum duorum minus tribus unciis, Diameter unciarum septem.

STYLOIDES, COLUMNULAM figurâ exprimens cylindricam, quatuor pollicum est longitudine, unius crassitie, ita tamen, ut alterâ parte crassior, paulatim attenuetur in apicem usque, scaber, inæqualis, colore gypseo. Parte superiore, quâ tenuior est, detruncatus videtur, ex succo calcario lapidescente concretus.

CLAVEM referens lapis, Dwergenögel Norvegis, quasi clavem dicas Nanorum, Nidrosiâ ad me transmisit D. M. Petrus Schelderupius, ejus Diœcesis Episcopus Vigilantissimus. Saxeâ est duritie, colore ad Luteum inclinante, longitudine unciarum quinque, cujus altera extremitas in apicem acutum aliquantulum incurvatum desinit, altera appendicem habet quadratam, sinubus & eminentiis præditam, non secus ac ferreæ claves, à fabris artificiose factæ, ut iis fores aperiantur & claudantur.

PILEUM, quo Nautæ apud nos utuntur, exacte refert alius lapis, altitudine pedem Romanum parùm superans, circumferentia limbi quatuor obtinet pedes cum tribus unciis, colore est cinereo, saxo duro & arenario constans, ponderosus valde, cavus enim non est, sed exteriore figurâ pileum æmulatur. E Norvegiâ transmissus mihi est, à Nobiliss. Christophoro Goje.



HYSTEROLITHOS lapis, quem Cardanus male Hysteropetram vocat, eo quod muliebre pudendum figura exprimat, nigricanti est colore, durus. Hunc Gesnerus in Diœcesi Trevirensi, propè arcem Erenbreistendem, reperiri ait, & Agricola Mariæburgi: mihi vero missus à Clariss. Viro D.D. Joh. Daniele Horstio, Illustriss. Landtgravii Hassiæ Darmstadii Archiatro, eumque ex vinetis Lohensteiniensibus se habere perscripsit.

Lapis eſt magnitudine juglandis, niger, alterâ parte hemiſphæricus fermè inſtar dimidiatæ nucis juglandis, inæqualis aliquantum, non admodum politus, obſcurus & ferrugine quaſi quadam tinctus: alterâ parte inæqualis, inter divaricata quaſi femora pudendum muliebre in medio referens exacte, cui ſubjacet virile, conſtans ſcrotolineâ, per medium diſtinctum, ad penis leniter protuberantis corpus tendens. Adeo ut hic lapis utriuſque ſexus genitalia exacte exhibeat. Quocirca non tam Hyſterolithon, quam Diphyen appellandum cenſeo, cujus mentionem facit Plinius lib. 37. cap. 10. ubi ait hunc lapidem duplicem eſſe, Candidum & nigrum, marem & fœminam, genitale utriuſque ſexus diſtinguente lineâ. Ubi nota in Plinii quibuſdam exemplaribus pro Diphies legi Diphris. Hunc locum recte corrigente Geſnero & Agricolâ. Lapis verò nobis tranſmiſſus pondere æquat drachmas ſeptem.

De viribus ita differit laudatus D. Horſtius: Proſunt hi lapides hyſtericis mulieribus, in aberratione ſcilicet & ſuffocatione uteri. Et certe ſi phyſiognomiæ aliquid tribuendum, non ſolum mulieribus, ſed & viris conferre puto, quibus maleficio aliquo virtus virilis aut ſuſpenſa, aut ablata ſit, & forſan Venerem in utroque ſexu promovere non ineptè quis crediderit, ſi collo ſuſpendatur & geſtetur. Quia Iconem ejus apud neminem vidi præter Beſlerum in ſuo Gazophylacio, atque ea quidem imago non exacte meum exprimat, depingendum curavi ut hiſce addatur.

Panem secalinum eâ formâ, quâ apud nos vulgò pinſitur, haud inepte exprimit lapis rotundus & planus, Craſſitie quatuor digitorum, in circumferentiâ duos habens, ſubſtantiæ ſaxeæ durioris, colore ſubnigro. Hic mihi dono datus à ſene Venerando D. M. Nicolao Michaëlio, Holmianæ Regiæ concionatore, unà cum Hiſtoriâ tranſmutationis ſuâ manu conſcriptâ. Verum enim panem olim fuiſſe, & miraculo in lapidem tranſmutatum autumat: illorum, quæ ſcripſit, hæc eſt ſumma. Ahuſii Scanorum fœmina degebat circa annum Chriſti MDXLVI. quæ dum panes die feſto in furno coqueret venalitios, minores juſto, eorumque unum eximeret, tentatura num percocti eſſent, eumque cultro diſcinderet, & crudum adhuc animadvertiſſet, rurſus clibano intulit, ſed cum coctos extraheret, vidit omnes in lapides duratos, etiam hunc mutilum quem ego poſſideo. Pluribus hæc perſequitur ille: ego, quâ fide accepi, reddo. Panes verò hoſce in rei memoriam aris multarum Eccleſiarum in Scaniâ impoſitos fuiſſe ait. Ac hunc quidem, quem ego teneo, ex Eccleſiâ Noſebyenſe petitum, certum eſt. Nobiliſſimus Eques D. Ebbo Ulfeldius, Chriſtophori F. Boringholmiæ Præſes Regius, ſimilem panem in lapidem converſum ad me tranſmiſit Anno 1651. ſed minorem aliquanto, rotundum, & non adeò nigrum, in cujus inferiore parte ſinus quidam & inæqualitates apparent, ex furni inæqualitate contracti, dum adhuc mollis erat. Nigrorem etiam quadam in parte oſtendit, perinde ac ſi ambuſtus fuiſſet nimio calore, rimæ quoque apparent, quales contrahere ſolent coquendi panes ubi calori exponuntur ad fermentationem meliorem. Referunt fœminam quandam ſorori ſuæ, panem recentem petenti, ſe eo deſtitutam eſſe, addito juramento grandi, reſpondiſſe; atque ob hoc peccatum omnes recenter coctos in lapides miraculoſe transformatos fuiſſe. Hic lapis filis ferreis circumdatus, è templi vicini tholo ſuſpenſus in hunc uſque diem fuit.

Huc ſpectat ſilex, Panem triticeum melioris ſortis referens, ex duobus globulis invicem conjunctis conſtans, eo modo quo tales panes apud nos confici ſolent. Exterior & convexa ſuperficies albicat, ac ſi farinâ eſſet conſperſa, ut & interior, quæ concava, ſcabroſa & extuberantiis quibuſdam prædita; junctura ſeu interſtitium inter duos globos ex ſolido ſilice nigricante, ut & corpus utrique ſuperficiei interjectum, uterque globus in Diametro palmam habet, magnitudine æquales.

Exempla panum in lapidem converſorum apud alios etiam extant autores. Fabius Verricoſus apud Senecam 2. de beneficiis, panem lapidoſum, id eſt, ut Lipſius ait, panem in lapidem duratum comparabat cum beneficio acerbo hominis duri & crudelis. Joh. Craſſolus, comment. in quartum Meteororum, narrat noſtro ævo panem cum incluſo piſce percocto, cum terrâ diu fuiſſet obtectus, poſtea deprehenſum eſſe lapideum. In Muſeo Calceolarii Veronenſi, duo ejuſmodi conſpiciuntur, unus ex ſecali, alter ex milio.

In hujus rei cauſas inquirens Eruditiſſ. Renatus Moreao, Animadverſionibus in Scholam Salernitanam, rationes allegat veritati ſatis congruas: vel quòd panis terrâ obrutus ſuccum lapideſcentem imbiberit, à quo poſtea in lapidem induratus ſit, vel

quòd

quòd vehemens terræ frigus panem quasi congelet: vel quòd terra virtutem seminalem habeat, aut lapis, quæ formam suæ similem in materiam dispositam imprimat, vel quòd terra, quâ tegebatur, peculiarem habuerit naturam obvia in lapides convertendi: vel quòd panes hi nunquam veri fuerint panes, sed lusus naturæ in genere lapidum, quemadmodum videmus eam alia ejus generis crebro efformare. Quæ ultima ratio huc maxime spectare videtur.

SILEX VENABULI FERREUM CUSPIDEM exacte referens, colore nigro, utrinque acuminatus, paulatim in cuspidem acutum desinens, inæqualibus & fluctuantibus quibusdam sinubus per totum corpus præditus quasi & sculptus est. Basis quæ rhomboides fimbriata, ut & quatuor latera manubrii (quod ferme quadrangulum) usque ad aciem, ut, si silex ullo modo arte foret tractabilis, potius Arte quam Naturâ elaboratum esse hoc corpus jurares. Ex Diœcesi Ripensi, operâ Clariss. Viri D. D. Ivari Hemmetei, ejus olim Episcopi, ad me delatus, Hastæ mineralis nomine. Scribit inventum fuisse in tractu Ripensi in humili monte, unà cum urnâ cineribus & ossibus refertâ, putatque à Paracelsistis vocari GAMAHU. Paracelsus namque duo genera Gamahu constituit; unum Naturale, alterum Artificiale. De naturali inter reliqua egit libro de imaginibus cap. 7. ubi inquit: Gamahu sæpe inveniuntur in arenis & fluminibus, variis ac miris formis dotati, plane ac si essent arte elaborati, sed ita à Deo creati. Hi autem raro carent miraculosis viribus & dotibus, de quibus ex figurâ, quâ præditi sunt, judicium ferendum. Hæc enim testatur de cœlesti influentiâ & dotibus, quibus à Deo ornantur. Hoc vero totum ex Magiâ petendum. De artificiali Gamahu agit ex professo eodem libro, cap. 13. ubi docet lapides esse, quibus peculiari constellatione variæ imagines hominum, animalium, & aliarum rerum, juxta Astronomiæ decreta sunt impressa. Modum verò conficiendi eodem in loco tradit.

Huic non prorsus dissimiles sunt alii hujus generis silices, pugiones referentes, diversis coloribus, & minores aliquanto, manubriis dotati, acuti, de quibus dubito Artisne aut Naturæ sint opera. Ad Ceraunias sunt qui referant; sunt qui veterum gladiolos fuisse arbitrentur. Sed quia de iis supra cap. 5. actum, plura hic non addo.

Referri forsan & ad hanc classem non incommodè possent Chalcedonii variis figuris præditi, de quibus inter Gemmas agendum. Sunt enim qui Agni caput & collum, sunt qui guttas & grandines, seu Margaritas concretas, sunt qui Mentulam aut stirias, jucundo lustrantium spectaculo, exhibeant.



Lapis SCELETON SERPENTIS referens. Ex ordine lapidum, qui figurâ Serpentem in ſpiras convolutum referunt, inſignem poſſidet Clariſſimus & Experientiſſimus Vir D. D. Chriſtianus Fabricius, cujus cum mihi particulam communicaverit, integrum hic delineare operæ duxi pretium. Grandis eſt, ambitu pedes ferme quatuor obtinens, in Diametro circumferentiæ pedem unum cum unciis quatuor: planus, in ſpiras convolutus, ita ut interior circumvolutio, quæ minima eſt, foramen in centro relinquat pollicis craſſitie, totam penetrans ſubſtantiam; ſenſim vero creſcunt & mole majore reliqui augentur Circumductus, adeo ut extimus (tres enim ſunt) ſeptem uncias latus ſit. Perpetuis & continuis conſtat articulationibus vertebras ſpinæ Serpentis, aut Anguillæ referentibus, niſi quòd à caudâ, in caput uſque, craſſitie & magnitudine ſenſim creſcant. Ita vero conſtitutæ ſunt articulationes hæ, ut divelli & ſeparari poſſint, ſi violenter res geratur, ut apparet in duabus iſtis, quas hic ſeorſim depingi curavi. Colore eſt cinereo, ſubſtantiâ arenaceâ, pondere 34. librarum. Superficies exterior à naturâ crebris depicta eſt ramuſculis quaſi & linearum ductibus folia arborum quodammodo referentibus, qui ex articulationum anfractibus ortum trahunt. In Scaniâ inventus hic lapis: & plures quidem ejus generis ibidem extitiſſe ex eo colligo, quod, præter hunc integrum lapidem, ex alio partes aliquot obtineat idem D. D. Fabricius, ex quibus mihi fruſtum unum dedit, quatuor conſtans articulationibus, per exteriorem ambitum, uncias octo habens, quod anſam mihi ſuppeditavit, integrum illum ut delinearem. Ferunt huic lapidi caput annexum fuiſſe, ſed, à minus curioſis amputatum, periiſſe. Figurâ & circumvolutionibus magis Nautilum quam Serpentem mihi referre videtur. Non abſimilem quoad figuram depingit Bartholomeus Ambroſinus in Muſeo Metallico, lib. 1. pag. 54. Sed eo diſcrepare videtur, quod lapis, quem is delineat, armaturâ aureâ fuerit inſignitus, unde Chryſammonitem vocat, ſed noſter colore eſt cinereo. Nec articulationes in iſto adeò ſunt evidentes atque in noſtro.

PISCEM, ORBEM MARINUM dictum, æmulatur ſilex quinque digitorum longitudine, craſſitie quatuor. Quà caput reliquo corpori jungitur, coloris Cinerei, ore hiante,

hiante, oculorum orbitis minutis; ubi cauda esse debebat, Uropygium quasi, seu foramen apparet, calamo scriptorio amplius, quod ad meditullium lapidis usque pertingit.

Sunt alii hujus generis lapides, Trochos, Renes humanos, Globulos, variaque ejus generis referentia, de quibus seorsim agere nimis foret prolixum.

NUCEM tamen MOSCHATAM qui exactè æmuletur, præterire nequeo. Hunc lapidem dono teneo Nobilissimi Viri D. Georgii Seefelde, Regni Daniæ Senatoris Prudentissimi, ac Sælandiæ judicis Provincialis. Figurâ est Sphæricâ, coloris ex nigro cinerei, rugis ac linearum ductibus asper, quoad superficiem externam. Et quod mirere, intus pulpâ variegatâ ex luteo. Substantiâ, colore, & figurâ plane myristicam refert: fractus erat, ut de interiore substantiâ judicium ferri posset accuratius. Pondere est Drachmarum trium, triplo enim veram nucem Moschatam eo superabat, ac hac solâ notâ tractantibus se prodit.

Hæc à Naturâ ludendo quasi fabrefacta videntur, incidente humore & materiâ lapidescente in cavitates competentes, à quibus maximâ ex parte figuram sunt mutuata. Quæ sequuntur, suâ naturâ alterius fuere substantiæ, sed demum, accedente lapidescente succo, in lapides conversa.

OSTRACITES seu OSTREÆ in lapidem Chalcantinum conversæ, omni suâ parte integræ ex Angliâ ad me sunt transmissæ, figurâ externâ & testis omnino quod erant referentes, sed duplo aut triplo ponderosiores, colore nigricante, odore Sulphureo vel pulveris pyrii, ex illarum corpore Vitrioli & Sulphuris quasi flos quidam exsudavit, imò ipsæmet in humido facile dissolvebantur, etiam aëri humidiori saltem expositæ, ad littus septentrionale Insulæ Scepsey in Cantio Angliæ reperiuntur, ut & ligna, globuli, aliaque quam plurima ex quibus Bitumen & Chalcanthum excoquunt. De iis ita ad me Clariss. Vir D. D. Christianus Stougardius, qui hæc aliaque præclara mihi transmisit Anno MDCXXVII. Omnes quos istic loci collectos vidi lapides, minerale quid referre videbantur, non tam ponderis gravitate, quam coloris affinitate. Et re verâ sic esse mihi ipsi persuasissem, nisi edoctus fuissem omnes istos, quotquot fuere ad littus ejusdem Insulæ, recedente maris æstu, studiose collectos fuisse, & alios quotidie colligi, atque in usum coacervari. Ubi ingentem lapidum horum copiam collegerunt, per spaciosam aream, terræ mistos spargunt, donec imbrium illuvie, accedente solis æstu & calore, in terram seu pulverem redigantur salsissimum, nitrosum, sulphureum, odore prætereuntes offendentem. Interea aqua per hanc terram percolata, in subjecta vasa per tubulos in canales derivata, in vase plumbeo amplo, sex vel septem dierum spacio coquitur ad justam consistentiam, tum in aliud vas plumbeum effunditur, immissis asseribus aliquot, quibus adhærens concrescat Vitriolum, omnibus refrigeratis. Nullo alio vase coqui aut contineri hoc lixivium potest, quam plumbeo, cui ut facilius ebulliat ferri injiciunt particulas, quæ à lixivio plane consumuntur. Hæc ille. Addidit vero & lignorum frusta aliquot & globulorum in talem lapidem conversorum exempla.

Sunt vero & aliorum Ostreorum TESTÆ aliquot in lapides duros, cœruleos & cinereos mutatorum exempla, quæ siliceam præferunt duritiem, nec ut priores in humido liquescunt, sed ut alii lapides perennant.

CARO OSTREÆ in lapidem subrotundum ex parte planum, pellucidum, colore flavo Succinum aut Chalcedonium referentem conversa, hisce succedit. Quem lapidem dono habeo Nobiliss. Viri D. Vincentii Bilde de Waldbygard, qui etiam nomine ac titulo Ostreæ in lapidem Diaphanum conversæ obtulit.

CONCHITIS seu CONCHARUM aliarum in lapides conversarum varia mihi sunt exempla. Ex Melitensi Insulâ allatarum una quæ Lupinum quantitate non superat. Interius terrâ ejusdem Insulæ referta est; exterius vero crustâ splendente subluteâ, qualis illa quæ in Glossopetris visitur, vestitur.

Anno MDCL. Francofurto ad me tres lapillos transmisit Vir Clarissimus D. D. Joh. Daniel Horstius Archiater Darmstadensis, quos Bufonum lapides fossiles vocabat, inventos in æri fodinis Hangundii, in comitatu Isenburg. Sed diligentius expensâ illorum substantiâ & figurâ, potius ad Conchites referendos existimo. Multum similes sunt Chamæ lapideæ rugatæ, descriptæ à Joh. Bauhino in historiâ Fontis & Balnei Bollensis lib. 4. pag. 25. Vel etiam ei quem delineavit Aldrovandus Musei Metallici lib. 4. p. 465.

&

& lapidem vocat fossilem Conchæ crassæ testæ & hirsutæ æmulum. Hic noster lapis substantiâ ad pyritem accedit, & politus splendet æris nigrioris instar, Magnitudine dimidiæ nucis juglandis, alatus quasi, ut, si concavam ejus partem intueare, haud male Vespertilionem expansis alis referat.

Horstius in substantiâ & infusione in Variolis & febribus malignis prodesse refert, vi suâ sudoriferâ. Quam an à terrâ seu margâ, quâ tegitur, quamque adjunctam habet, acquirat nescio. Similis certe & hæc Marga Terræ Melitensi crudæ, cui similes vires tribuunt contra venena & morbos malignos.

PECTINITES seu qui PECTINEM refert, portio quædam est Terræ Melitensis, exteriore suâ superficie, striis & canaliculis suis satis perspicuis, adeo ut pectini Marino aut inclusam eam fuisse, aut ejus figurâ à Naturâ efformatam credam.

Ex agro Veronensi PECTINEM habeo in lapidem conversum, qui suo sinu alios fovet in gypseam substantiam concretos.

Cinereus est parte convexâ, sed concavâ ad luteum inclinans, durus interim & omnibus lineamentis Pectines majores invicem coalitos referens. Totus lapis in rotunditatis Diametro uncias attingit quatuor. Donum est Clariss. Viri D. D. Henrici Fuirenii affinis mei.

Sunt quoque pectinum majorum CONCHÆ tenues in lapidem cœruleum conversæ, silicem referentes. Quibusdam adhærent lapidescentis succi portiones, in lapidem asperum, inæqualem, cinereum, ita concretæ, ut guttæ & labentis succi striæ adhuc videri & discerni possint. In Hispaniâ, prope urbem S. Lucæ dictam, inventæ.

COCHLITES seu CONCHAS minores lapidescentes teneo, quarum prima cœrulea est & dura, ad nigredinem inclinans, de quâ tamen dubius valde sum Conchane sit in lapidem conversa, an vero lapis sui generis, figurâ externâ Concham referens, dura namque est, siliceæ substantiæ, & ponderosa.

Est & quædam ruffa seu rubicunda, substantiâ gypseâ, durâ, repletâ, exterius crustâ durâ & politâ obducta, figurâ plane similis est Conchili, sed priori duplo levior. Utraque Concha unciam longitudine & latitudine non superat.

PECTINITEM voco CONCHÆ STRIATÆ frustum, quod in lapidem quidem gypseum conversum, exterius massâ ambitur asperâ, inæquali, crassâ, ex succo lapidescente concretâ, & aliis lapillis involutâ; quæ vel interiore superficie ostendere potest, quomodo concreta lapidea varias figuras acquirant; Conchæ enim striatæ ei involutæ, exacte concavâ sui parte ostendunt lineas ac strias.

Sequitur CONCHÆ STRIATÆ genus etiam in lapidem conversum album, figuram & colorem retinens, nisi quod exterior crusta quibusdam in locis sit ablata; caro & quicquid in ejus continebatur cavitate, in Crystallos pellucidos acutos & dentatos quasi est conversum. Videtur convenientiam quandam habere cum Ventre Crystallino depicto ab Imperato Hist. Nat. lib. 24. cap. 29. Crystalli quidem in Ventre Crystallino Imperati, affixæ sunt interiori superficiei testæ, & apice centrum seu vacuum respiciunt; ita quoque in meo: sed in Imperati Sexanguli sunt, in meo trianguli & acuti. Crusta, cui Crystalli adhærent, Imperato est Sabulosa & ruffa, sed hic testa conchæ striatæ petrificatæ albi coloris. Crystalli majores Imperati æquant avellanam, nostri semen frumenti Saracenici, transparentes & clari utrobique. Totum corpus meæ Conchæ striatæ rotundum ferme est, in Diametro duas circiter habens uncias.

De generatione horum Crystallorum videre licet Fortunium Licetum in Litheosphoro cap. 52. ubi de lapide Paraguay Coccus dicto erudite differit, qui lapis in quibusdam affinitatem haud levem cum nostrâ hac Conchâ habere videtur.

Inter Testacea petrificata etiam TURBO est unciæ unius cum dimidiæ longitudine, in lapidem porosum, album, duabus lineis purpureis ab utroque latere excurrentibus, conversus, manente naturali figurâ & dispositione.

Hinc sequitur COCHLEA ALBA in lapidem gypseum pari modo conversa, ob niveum colorem & figuram naturalem pulchra valde & elegans, quia carne & substantiâ vacua est, levis admodum.

Ejusdem generis & magnitudinis est COCHLEA CINEREA petrificata, ad cœruleum tendens, sed solida & sine cavitate aliquâ. De eâ quid sentiam ut dicam; existimo succum lapidescentem, illapsum in Cochleam albam jam dictam niveam, eoque impletam illam fuisse; hinc condensato & in lapidem solidato hoc succo, formam & figuram

ram Cochleæ retinuit, quâ continebatur. Paulatim verò invicem concussis his corporibus, fractus & dissipatus est cortex exterior Cochleæ niveæ, & remansit lapidis formâ succus coagulatus. Hoc ipsum confirmant tum reliquiæ cochleæ niveæ, quæ in gyris interioribus conspiciuntur, tum pondus ipsum, quod grande corporis ratione. Pendet enim quælibet Cochlea cinerea, licet parva, unciam semis circiter, cum nivearum una ejusdem magnitudinis vix Drachmam æquet. Quin & circumvolutionum separatio aliquod corpus intermedium fuisse arguit.

Elegans est MASSA ex Conchis striatis, pectinibus, Cochleis, variisque lapidibus, beneficio succi petrificantis, in unum corpus compacta, longitudine quatuor unciarum, latitudine circa basin trium circiter, pyramidalis enim est figuræ. Videbis hic pectinum majorum candicantium vestigia, Cochleas ipsas in lapidem cinereum, manente figurâ externâ, versas, Conchas minores striatas candidas, silicum & saxorum parvorum, figurâ, magnitudine & colore discrepantium varia genera, succo cinereo petrificanti permista, ut massam ac corpus constituant unum, elegans & mirandum. Dono habeo Clariss. Viri D.D. Nicolai Wichmanni, qui in Hispaniâ, juxta promontorium, non procul à civitate S. Lucas dictâ illud invenit, cum aliis nonnullis petrificatis, ob abundantiam succi ibidem loci existentis.

Ejusdem coagula variis scrupis & lapillis involuta, partim cinerea, partim flavescentia, hisce adsunt, in quibus & fluentis succi rivos & materiæ crassitiem cernere licet; Massæ inæqualitas & miræ circumvolutiones porosum reddunt ejusmodi corpus, & foraminibus plurimis pervium.

GLOBULUS, qui magnitudine respondet iis qui è minoribus tormentis bellicis exploduntur, in lapidem Chalcantho sulphureum conversus, ex Insulâ Angliæ Scapey dictâ allatus, ejusdem naturæ est cum Ostreâ de quâ supra dictum. Plumbeus an ferreus fuerit quæsitum (vestigia enim metalli nulla apparent) Ego ferreum fuisse arbitror, siquidem Plumbum vim Corrosivam & Vitriolatam hujus succi eludit, & ex relatione Stougardii constat, coqui eum & conservari in vasis plumbeis.

At causas transmutationis inquirere operæ foret precium, quas, qui diligentius locum istum, ubi inveniuntur, perlustrarunt, sine difficultate invenirent. Procul dubio in ipso littore fontes & scaturigines succi Vitriolati lapidifici extant, quo irrigati lapides, ligna & alia corpora porosa, in suas cavitates eum admittunt, qui salsedine aquæ marinæ deinde concrescit, & solis calore induratur, usque dum lapideam hanc acquisiverit substantiam, friabilem, & aquâ dulci (salem coagulatum dissolvente) in sua principia resolubilem.

Ex LIGNIS VITRIOLO SAXEIS mihi adhuc unum est (reliqua aëris humidioris violentiâ resoluta sunt) quod Corilinum fuisse videtur, trium digitorum longitudine, unius latitudine, tereti figurâ, quod colore, odore & sapore, imo pondere ostreis & globulo respondet; sed hæc, ob porositatem, facilius ab aëre humido resolvuntur quam ostreæ.

FAGINI LIGNI frustum satis grande in lapidem versum hisce adjacet, quod cotis vicem egregie sustinet, unde supra inter cotes ejus mentio obiter facta est, colore est nigricante, figurâ inæquali, in longitudinem tamen protensum pedum circiter duorum. Fama constans apud nos est, integros fagos continuè in aquis hærentes in lapides verti. Unde grandiores structuræ in aquis & stagnis ubi ædificantur, fulcris & palis faginis superstruere solent, nullum lignum ad hos usus aptius aut durabilius esse existimatur.

FRAXINI LIGNUM in lapidem conversum, cujus cap. 6. mentionem injecimus, frustum est quadratum, quinque digitorum longitudine, duorum latitudine, ex cinereo flavescens, quibusdam in locis ad ferrugineum colorem accedit, ponderosum, assulatim coagmentatum, adeo ut distinctè septem numerari possint laminæ, partim integræ, partim mutilatæ, duritie insigni, cotis vice fungi ut possit. Fibræ ac nodi ligni exacte adeo discerni possunt, ut, nisi manibus tangas, ac pondus explores, adhuc lignum esse jurares. Unde advectum ignoro, sed à Pharmacopœo nostro industrio Johanne Woldenbergio habeo.

Aliud mihi est LIGNUM petrefactum quod TILIACEUM puto, candidum est, molliusculum, læve eâ parte quâ politum est, sed ubi à reliquo abscissum, fibris, striis ac nodis ligneis præditum, quibus satis evincitur lignum fuisse in lapidem versum. Lon-

gitudine ſuperat uncias duas, craſſitie dimidiam, oblongum enim eſt & quadratum, pondere unciæ unius & drachmarum ſex.

Fruſtum aliud oblongum & quadratum, planum, ſex circiter unciarum longitudine, unius cum dimidiâ latitudine, QUERCINUM referre mihi videtur, ſed cinerei eſt coloris, micis argenteis oblongis undique in poris veſtitum, exteriori ſuperficie rude, inæquale, minus politum, ſcindulam ligni rudem referens. Hoc etiam cotis vice utuntur, quibus ejus eſt copia.

De AQUIS PETRIFICATIS non eſt quod hic diſſeramus, ſiquidem ſupra capite ſexto, ubi de Stalactite & Stalagmite actum eſt, varias ejus ſpecies enumeraverimus.

BALANUS PETRIFICATUS magnitudine avellanæ majoris, marmor ſolidum refert, coloribus diſtinctis variegatur, alternatim enim ſquammæ purpurei & albicantis cernuntur coloris, ſubſtantiâ durâ & marmoreâ, adeò ut dubitem Balanus ne ſit marinus in lapidem converſus, an verò lapis ſui generis in figuram Balani à Naturâ elaboratus.

APOPHYSIS OSSIS in lapidem arenaceum verſa, hemiſphæricæ eſt figuræ, aſpera parte convexâ, concavâ vero lævis & lubrica, marmor repræſentans. Plane refert dimidium caput oſſis femoris, aut hominis junioris, aut alterius animalis minoris.

VIPERÆ PETRIFICATÆ nomine accepi teſtam quandam, ſerpentis aut viperæ modo in ſe convolutam, cujus extenſæ longitudo dodrantem æquat; craſſitie digiti, candida, terræ Melitenſis colore infecta, exterius ſtriis & commiſſuris frequentibus dotata, per dorſi longitudinem excurrente lineolâ, à reliquo corpore elevatâ aliquantulum. Caudam verſus paulatim attenuatur, quâ caput reliquo corpori jungi debet, patet: interior ejus ſuperficies, quæ lævis eſt & lubrica, ut in purpuris aut Conchis Venereis cava eſt omnimode, ut, ſi vipera fuerit, oporteat cutim ſaltem in lapidem eſſe converſam, carne & interaneis conſumptis. Mihi majoris alicujus vermis teſta potius videtur quam vipera in lapidem converſa.

VERTEBRÆ SPINALES petrificatæ mihi quatuor ſunt, majores & minores, quæ omnes in Inſulâ Melitenſi ſunt inventæ, & viperarum eſſe putantur. Sed ego majoris cujuſdam piſcis eſſe autumo. Magnitudo enim arguit ex viperis eſſe non poſſe, cum in tantam molem nunquam excreſcant, ut tantas habere vertebras ſpinales valeant. Minor enim earum in Diametro unciam plus quam dimidiam habet.

CAPUT VIPERÆ petrificatum, lapillus eſt durus & albus in Inſulâ Melitâ inventus, cranium Viperæ aliquo modo repræſentans, magnitudine eſt mediocris avellanæ, cornuum quaſi duorum veſtigia oſtentans, cretaceæ ſubſtantiæ, ut pleraque ejus generis ex iſtâ Inſulâ eſſe ſolent.

DENTIS VIPERÆ petrificatæ titulo, lapillus è Melitâ adfertur, elegans, dentis figuram quodammodo exprimens, ſed diverſæ magnitudinis, figuræ, coloris; ut plurimum longitudine eſt unciæ dimidiæ, compreſſus, modo obtuſus, modo acutus, lævis ac ſplendens politi marmoris inſtar, colore purpureo, albo, incarnato, vario. Naſcuntur hi lapilli in maſſâ quadam ſaxeâ, durâ, inæquali, aſperâ, poroſâ, variis heterogeneis conflatâ, cujus etiam adeſt portio, dentem dictum in ſe habens.

LAPILLI LUTEI elegantis mihi fruſtulum eſt, PECTUS CANCRI exigui in lapidem converſi referens. Exterior facies lævis eſt & lubrica, lineis albis juncturas coſtarum in Cancris referentibus prædita, quæ tamen lineæ totum corpus pervadunt, ut ſubſtantiam hanc ex pluribus laminis luteis conferruminatam oſtentent.

BACULI S. PAULI nomine ab incolis Melitenſibus dotatur columnula quædam alba, ſubſtantiæ gypſeæ, longitudine articuli unius digiti, craſſitie pennæ Gallinaceæ, teres, dimidiâ ſui parte nodulis quibuſdam exornata, in extremitatum alterâ craſſior aliquanto & obtuſior.

VERMES MELITENSES petrefacti, colore ſunt lurido, ſplendente & lævi, marmoris politi inſtar, craſſitie pennæ exiguæ, compreſſi & in ſpiram contorti, ipſi terræ cui innatæ ſunt adhuc adhærentes. Alter eorum, quos teneo, explicari & extendi in longitudinem ſi poſſet, longitudine Dodrantem æquaret, quod applicato filo expertus ſum. Tota hæc maſſa cum vermiculo ſuperat Drachmas duas cum dimidiâ.

Huc an referre debeam CONCHAM VERMICULIS petrefactis onuſtam, neſcio. Concha ipſa parvula eſt, ſed elegans & concavâ parte polita, matrem Perlarum dictam ſplendore referens; ſed parte convexâ tota tecta tubulis vermium petrefactis; cui

alii

alii tubuli ſeparati ſunt annexi, varie implicati, ut exprimere mihi videantur Wermichiaram, ab Imperato lib. 26. Hiſt. Nat. delineatam, quam ad Alcionium Mileſium referendam cenſet: ſed noſtri tubuli teſtacei ſunt & quaſi petrefacti.

LAPIS ſub nomine CORNU ARIETINI petrefacti, mihi cum aliis è Melitâ allatis, dono Clariſſ. Viri D.D. Thomæ Bartholini poſſideo, magnam affinitatem habet cum eo Ammonis Cornu quod exhibet Ferrandus Imperatus lib. 24. Hiſt. Nat. cap. 26. quod ſic deſcribit: Cornu Ammonis inſtar cornu bovini eſt involutum, rugis per tranſverſum ornatum; quoddam criſtam habet per longitudinem excurrentem inſtar funis. Illa, quæ parum torquentur & teretia ſunt, cornua dicuntur, quæ vero gyrantur & contorquentur in ſpiram, ſerpentes aſſimilant. Ortum trahunt à terrâ viſcoſâ, & lapidis Calcarii ſunt conſiſtentiâ. Quædam colorem habent ſubrufum, quædam cinereum, & ſi eorum minera in Marcaſitam inciderit; veſtiuntur tunicâ metallicâ, quam armaturam vocant. Ejuſmodi formæ & figuræ dependent ex animali principio, cui ſuccedit humor lapidificus, qui temporis ſucceſſu concreſcit in lapidem.

Noſtrum quod concernit Cornu, plane Arietinum refert, contortum & acutum, longitudine unciarum trium, craſſitie pollicis, paulatim in acutum apicem deſinens, cruſtâ obvolvitur lævi & marmoreâ, rugis multis per tranſverſum dotatâ, colore ex cinereo luteo: Apex verò privatus ejuſmodi incruſtatione eſt; fungoſum eſt, minutis lineis & ſtriis per longitudinem dotatum. Juxta baſin ex centro in circumferentiam lineæ ductæ apparent. Totum cornu pendet unciam unam & drachmas ſex.



CORNU AMMONIS minus ex Angliâ allatum quatuor conſtat circumvolutionibus, in ſe revolutis, perpetuis ſtriis & articulationibus dotatum, colore nigricante, ad griſeum tendente, ſubſtantiâ ſiliceâ, quibuſdam in locis armaturâ aureâ ſplendens. In ambitu quinque pollices habet, in Diametro duos, convenit cum eo, quod primo loco delineavit Anshelmus Boëtius lib. 2. de gemmis, cap. 246. Plinius libro 37. cap. 10. inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas refert, vimque ei tribuit prædivina ſomnia repræſentandi.

RADICIS PETREFACTÆ fruſtum ex templo Saturni, quod Romæ eſt, mihi attulit Vir Clariſſ. D. D. Thom. Barthol. longitudine eſt unciarum duarum, craſſitie unius, colore cinereo, teres, nodis quibuſdam inæqualibus dotatum, cavum, ſubſtantiæ gypſeæ, ſed durius aliquanto & poroſum. Cum Oſteocollis magnam habet affinitatem, adeo ut pro eâ primo aſpectu illud capere facile quis poſſet.

FUNGUS SAXEUS plane reſpondet ei quem deſcripſit Carolus Cluſius Exotic. l. 6. cap. 10. ſub titulo fungi Saxei Nili majoris, quamvis haud ſciam an noſter ex Nilo ſit. Ex Italiâ attulit noſter Bartholinus. Decem unciarum habet circumferentiam; Diameter trium eſt cum ſemiſſe, totus ſaxeus eſt & cinerei coloris. Supremâ parte ab umbilico ad circumferentiam, multis profundis ſtriis, non oblique ut Cluſii ſed rectà excurrentibus, ornatus, in infernâ parte minus elatis, ſed aſperis & quodammodo echinatis præditus, quæ à circumferentiâ ad pediculi locum, qui candicat, producuntur. Pediculo verò, quo gaudet Cluſii, noſter deſtituitur.

LAPIDIS FUNGIFERI titulo, maſſam quandam terream, cui lapidis cinerei fruſtula ſunt incluſa, unà cum fungo exſiccato, ex eâ maſſâ enato, teneo. Fungi ambitus ſuperat pedem Romanum cum tribus unciis, pediculo magno digitali longitudine & craſſitie; colore luteo.

De hiſce lapidibus fungiferis ita Joh. Baptiſta Porta lib. 10. Villæ, cap. 70. Neapolim afferuntur ex Veſuvio monte lapides; Surrentum ex Fagito, altiſſimo ſui tractus monte; Abellini ex Parthenio monte: in Apuliâ ex Gargano, & celſioribus montium partibus.

Nam saxa ubi semel fungos produxisse vident, suffodiunt & venum exportant. Nascuntur aliquando non pileati, sed turiones ut Asparagi, & in ramos divisi. Hoc genus, quod è saxis nascitur, præciditur ad esum, aliis subnascentibus, semperque novos producit restibili fœcunditate. Septem diebus perficitur, sexies anno demetitur, terrâ Dodrante operitur, &c. Vide Scaligerum Exerc. 137. sect. 2.

Lapis novacularum Franc. Ximenis; Vitrum fossile quorundam, *Coltelli Indiani di Sustanza di Pietro Focara* Imperati, à Francisco Ximene lib. 10. part. 2. cap. 13. ita describitur: Cultellos aut Novaculas, pugiones, & alia mille generum instrumenta similia, quibus Indi antiquitùs utebantur, tam ad usum belli, quam scindendum alias res, antequam ferri usum nossent, solebant facere è lapide, quem suo idiomate vocant Itzli, qui tres solet habere diversos colores, nimirum cœruleum, album & nigrum, licet omnes transparentes, & si auro vel argento includantur, maximi fiunt, & sunt admodum pellucidi. Quin etiam in iis videntur rerum imagines, haud secus quam in speculo optimo. Lapides hi è suis lapidicinis extracti, quarum magna est copia circa Metropolim Mexico, finduntur in modicas partes, sponte angulatas, & poliuntur aliis lapidibus magis duris & asperis, & cum certo instrumento, quod haud dissimile est thecæ sclopeti, tenendo lapidem inter duos pollices pedum, & cruribus inclinatis, artifices industriâ & impetu admirabili eruunt ab utroque latere laminas crassas, cum umbone in medio & duabus aciebus æqualibus, paulo crassioribus quam sunt nostri cultelli, & latis digitum transversum, aut paulo plus, quæ tam acutæ sunt & penetrantis aciei, ut in mundo nihil acutius fingi possit. Verùm sunt fragiles & facile dissiliunt in minutas partes, aut hebetantur. Istis cultris seu novaculis ligno inditis ad modum nostrorum gladiorum, & firmatis eo genere gummi, quod vocant Tzinacan Cuitlatec, formant gladiolos tam terribiles, ut uno ictu hominem findant in duas partes (modo sit primus ictus, nam cæteri sunt vani) tam acuta est acies illorum armorum & tanta fragilitas. Ruptis gladiolis istis eximunt novaculas, denuoque illas acuunt, & eis sagittas suas asperant, quibus lædunt atque occidunt hostes suos: sueti enim sunt prœliari eminus arcu & sagittis. Pulvis hujus lapidis mixtus cum Crystalli pulvere, mundat admirabiliter oculos, & nubeculas discutit & alias maculas, & clarificat visum.

Rationem generationis hujus lapidis assignare conatur Ferrandes Imperatus lib. 22. Natur. Hist. cap. 2. hoc pacto: Generantur, inquit, & Silices, ac naturam vitri æmulantur, calore non externo, sed interno moderato, longo temporis progressu, virtute vegetali crescentes. Quibus licet efficientem aliquo modo attingat, materialem tamen & reliqua huc spectantia præterit.

Frustum, quod ego teneo, duarum unciarum est longitudine, transversi digiti latitudine, crassitie cultri, utrinque acutum, in extremitatum altero aliquantulum incurvatum, altero laterum æquali, altero canaliculatum, translucidum & perspicuum vitri instar sed nigredine aliqualiter tinctum. Cætera conveniunt cum descriptione Francisci Ximenis.

Cap. XIV.

De Gemmarum generatione & varietate.

Hactenus Musei nostri lapides ignobiliores & minoris pretii vidimus, jam nobiliores & pretiosiores, quos habemus, examinabimus, quos Gemmas vocant quidam, licet inter lapidem pretiosum & Gemmam discrimen agnoscant accuratiores. Pretiosos lapides eos vocantes, qui majores sunt, nec pulchritudine excellunt; Gemmas, qui parvi sunt naturâ, rari, duri ac pulchri. Hinc ex Gemmarum censu excludunt ob magnitudinem Crystallum, Topasium, Jaspidem, &c. Ob pulchritudinis defectum, Onycha, Crapaudinam, aliosque ejus generis.

Ut verò allata Gemmæ descriptio clarior evadat, accuratius ejus verba sunt expendenda. Parvos vocant eos lapides, qui nunquam, aut rarò, ovi gallinacei magnitudinem superare visi sunt. Raros, qui in paucis provinciis haud copiosè inveniuntur. Duros, qui neque digitis teri, neque ferro scindi possint; atque hi trium graduum statuuntur. Quidam Chalybeâ saltem lineâ radi possunt, ut Turchesia; quidam non nisi Smiri lapide teruntur, ut Jaspis: quidam cum Adamante tantum, ut Adamas, Topasius orientalis, &c. Pulchros, qui colore, Diaphanitate, radiorum reflexu, aut figurâ concinnâ visui grati.

Colore

Colore pulchri, Turchesia, Diaphanus Crystallus, radios reflectit, Iris; figurâ concinnus Asteria & oculus catti, &c.

Gemmarum materiam proximam statuunt terram tam tenuem & subtilem, ut aquâ mixta Diaphanitatem ejus non impediat, cui sal in visceribus terræ conclusus miscetur, accedente exhalatione pingui & humidâ. Quod omne ab aliis per succum lapidescentem purissimum exprimitur, ad talem soliditatem suâ naturâ tendentem. Varietas verò Gemmarum, cujusvis formæ specificæ adscribenda, quæ in seminali latet principio, etsi sensibus nostris minus obvio. Hinc colorum & figurarum diversitas dependet.

Generationis rationem hanc proponit Clariss. Vir D. D. Anshelmus Boëtius. Dum in materiâ ad generationem aptâ, concavus locus aliquis aëre plenus est, ac is ab exhalatione, vel à succo lapidescente & Diaphano, ex subtilissimâ lapidum materiâ constante repletur; absorpto à materiâ circumdante cavitatem humido, aut eo evaporato, terrestris succi lapidescentis pars in gemmam perspicuam concrescit, quæ cavitatis figuram servat, si tantum materiæ, quantum spacium requirit, continuus succi affluxus secum tulerit. Quandoque lapidescentis succi à circumstante materiâ absorbetur humiditas, atque hinc concrescit mater, seu cutis quâ Gemma tegitur. Quandoque exhalat ex circumstante materiâ humor, aut aër, sicque in ejus locum succedit succus lapidescens, ex quâ Gemma Diaphana generatur.

Vires & facultates gemmis detrahunt multi, alii nimias iis adscribunt, & supernaturales: qui medium volunt, rectius statuunt. Omnes enim illi effectus, qui à materiâ, formâ, vel accidentibus rerum corporearum proficiscuntur, nequaquam iis sunt detrahendi; quales sunt, calefacere, humectare, siccare, refrigerare, attenuare, incrassare, emollire, indurare, exedere, & quæ ex iis proveniunt. Item omnes illi qui ab aliis rebus inanimatis fiunt, licet ratio, quomodo fiant, ignoretur. Sed supernaturales, qui ab ordinariis Naturæ instrumentis fieri nequeunt, ut invisibilem reddere; Item illi, quos Natura ignorat, & à rebus inanimatis fieri nequeunt, absque animatorum consensu, ut eloquentem, pauperem, divitem reddere, &c. plane ab iis fieri nequeunt, nisi accedat alia causa efficiens divina, occulta, supranaturalis, quæ idem per aliud medium æque efficere potest.

Quamvis variæ dari possunt lapidum pretiosorum differentiæ; quæ operose in ordinem digestæ sunt, à Clariss. Viro D. D. Anshelmo Boëtio, nos tamen extra limites nostros non digredientes, quos tenemus dividimus in majores & minores. Ad majores referentes Jaspides, Achates, Chalcedonios, & ejus generis: ad minores, Adamantes, Rubinos, Granatos, &c. quos Gemmas stricte vocare solent. De singulis ordine.

CAP. XV.

De Jaspide, Heliotropio, Malachite, Prassio, Nephritico, Achate, Oniche.

JASPIS variorum colorum lapis est, ob succorum varietatem, qui ad ejus generationem concurrunt, tantæ magnitudinis quandoque, ut ex eâ magnæ statuæ & columnæ elaborari possint, Achate mollior. Variæ ejus constituuntur species, tam ratione colorum, loci natalis, quam commixtionis cum aliis gemmis & succis. Ejus species censentur, Heliotropius, Lapis Nephriticus, Malachites. Orientalis Jaspis, quæ subcœruleo viridique colore obscura, sanguineis punctis conspersa est, cæteris omnibus præfertur. Olim Grammatias, quæ aliquid purpurei admixtum, interjectâ albâ lineâ, habebat, cæteris præferebatur. Secundum locum habebat quæ roseum quid nacta esset. Tertium quæ Smaragdum imitabatur. Quartum quæ sereni cœli colorem referebat.

Ea quæ sanguinis instar, per totum corpus rubra, absque alio colore, miras in sanguine sistendo vires obtinet, ejusque experimenta præclara vidit Clariss. Vir Anshelmus Boëtius à Boët, quem consule. Ad eundem usum commendatur Viridis, sanguineis venis & striis prædita. Viridis collo appensa, ut ventriculi orificium tangat, stomachum firmat, vomitum, nauseam prohibet, calculum & urinas pellit. Omni Jaspidi hoc tributum, quod conceptum firmet, partumque femori alligata promoveat. Gestata febres & Hydropes, quæ vel à debili concoctione, vel à sanguinis nimio fluxu oriuntur, ne fiant, corroborando ventriculum, & sanguinem sistendo prohibet.

Viridem Epilepsiam curare ajunt, si argento inclusa circa orificium ventriculi, vel ensiformem Cartilaginem per diem & noctem gestetur. Si sudore corripitur æger, à paroxysmo liberatur: sin minus, moritur. Cogitationum tumultum & inconstantiam, ex sanguinis impetu ortam, prohibet. Jaspis Grammatias aut Polygrammos, quæque virens Smaragdo est similis, ac purpureum quid in se continet, albâque cingitur lineâ, ad venena quævis pro Amuleto gestatur.

JASPIDIS VIRIDIS varia genera ex Insulis Feroënsibus accepi Anno MDCXXXVI. sed minores sunt & viridi colore valde ludentes, quædam enim saturate viridi, quædam dilutiore, quædam Turcoides æmulantur, quædam Malachites, quædam in matricibus suis existentes, jucundum dispicientibus exhibent spectaculum. Videntur maximâ ex parte ex Chalcedoniis, Oniche aut Pseudoopalis generari, vel saltem iis adnasci. Sunt enim quæ dimidiâ ex parte Pseudoopalos referunt, dimidiâ Jaspides virides. Sunt quæ puncta saltem habent viridia. Sunt in quibus color viridis dilute generari incipit, ut tantam varietatem verbis satis exprimere nemo possit. Inter alios lapides in littoribus inveniri asserit Insulæ præfectus, qui horum lapillorum (maximus enim vix avellanam magnitudine æquat) copiam satis magnam attulit.

JASPIDIS PLANE VIRIDIS globuli ex Americâ allati, sed in Angliâ politi & tornati mihi sunt, Armillas ex iis conficiunt, quibus brachia exornant mulierculæ.

JASPIS GRAMMATIAS elegantissima, variorum colorum, qui fluctuum & anfractuum modo totum lapidem tegunt, exornata mæandris, mihi est, tantâ pulchritudine ut nullus fermè detur color, quin in eâ reperiatur, lineis albis cingitur variisque in locis pingitur, non deest purpura, non minium, non cœlestinus color. Figuræ est ovalis, planæ, eleganter polita, crassitie quartâ parte digiti, longitudine trium, latitudine duorum. Ejus vires in menstruis sistendis, abortu præcavendo, sæpius expertus sum, ut vel hoc nomine mihi chara admodum sit.

Purpurei cujusdam lapidis impoliti fragmentum, croceis & cœruleis venis interspersum, JASPIDIS titulo accepi; talem lapidem ex Phrygiâ & Cappadociâ olim allatum scribunt. Massa ipsa cruda est, rudis, angulata, nullius certæ figuræ, sed qualis è venis eruitur.

JASPIDIS VIRIDIS paucis intercurrentibus venis sanguineis frustum, in formam Capuli pugionis elaboratum & eleganter politum, hisce adest, quâ ferrum capere deberet angustius, alterâ extremitate latius, & utrinque appendicibus dotatum. Longum est uncias tres cum semisse, pollice crassius, teres, extremitas cum appendicibus uncias duas superat.

Witebergâ mihi transmisit M. Henricus Motsfeldius affinis meus, qui ex nepote D. D. Pauli Lutheri (qui frater erat D. Martini Lutheri) Medici hunc lapidem accepit. Hic vero Junior Lutherus narrabat avum suum hoc lapide feliciter uti solere, in sanguinis fluxu à quacunque parte corporis. Si quis ad Heliotropios retulerit, non repugnabo.

JASPIDIS, quam Dioscorides THEREBINTIZUSAM vocat, mihi lapillum dono dedit Clariss. Vir D. D. Thomas Bartholinus, rotundus est & latus, per Diametrum unciæ unius magnitudine, ab unâ saltem parte politus, crassitie pennæ anserinæ. Therebinthisusa verò à Dioscoride dicta videtur hæc Jaspis, quod colore sit flavo, Therebinthinam coctam referens, intercurrunt verò venulæ nigricantes. Delineata est à Benedicto Ceruto in descriptione Musei Calceolarii pag. 255. ubi ait: totus alternat Milvinis nigricans veluti plumis.

Ad HELIOTROPIOS potius quam Jaspides retulero laminam figurâ ovali, longitudine duarum unciarum, latitudine unius cum dimidiâ, crassitie dorsi cultri, per longitudinem coloribus ita distincta, ut pars altera viridis, altera rubra sit, paucis venulis luteis interspersis, utrinque polita, elegans certe & commendatione digna.

Ad sanguinis fluxum vires magnas habere non dubito. Si enim Jaspides illæ, quæ vel punctula quædam, vel lineas obtinent rubicundas, hoc fine commendantur, multo magis hæc, quæ non solum dimidiâ ex parte rubro colore tincta est, sed & in ipsâ viriditate maculas ostendit aliquas rubicundas.

Inter Jaspides ex Insulis Feroënsibus allatas, reperiuntur etiam JASPONICHES numero haud exiguo. Videtur enim Natura in istis Insulis intenta esse, ut Onichen viridi colore

colore tingat, verum opus ſuum ubi impedita non abſolvit, remanet Jaſponix. Quin & Jaſpidis Capnitis hic viſuntur ſpecimina.

MALACHITES ſpecies Jaſpidis vel Praſſii eſt, viridis & opaca inſtar foliorum Malvæ, unde nomen traxit, ſed, pro diverſitate & gradibus colorum, varias etiam obtinet ſpecies. Prima colore refert folium Malvæ recentis, nullis aliis permiſtis. Secunda albas venas habet, & maculis nigris inficitur. Tertia cœruleo miſcetur, ac ſi ex lapide Lazuli & Malachite conſtaret. Quarta Turcoidem refert, & hæc omnium habetur præſtantiſſima. Tantæ magnitudinis quandoque reperitur, ut pocula & manubria ex eâ confici poſſint.

Volunt eam geſtantem à tonitru & fulgure non lædi, nec animo turbari, aut contagio infici. Faſcinationem à pueris ut arceat, eorum collo ſuſpenditur, nam contra terriculamenta nocturna & diurna valere creditur.

Ad Syncopen, dolores compeſcendos, hernias ac caſus impediendos, pro Amuleto geſtant, convulſiones arcet; ventriculo applicata eum roborat. Sunt qui intra corpus exhibeant pondere ſex granorum, ut inſtar Antimonii purget.

Hinc cum lacte exhibitus ejus pulvis Cardialgiam & Colicam ſanare dicitur, & melle adjecto menſtrua provocare, vulneribus inſperſus ſanguinem ſiſtere, vino ardenti mixtus ulcera ac vulnera curare. Linteolo humido impoſitus, ac parti ſpaſmo affectæ applicatus, eum abigit.

Ex Feroënſibus Inſulis, cum aliis ſpeciebus Jaſpidis, & hic lapis copiosè allatus: ſed parvus admodum & nulli operi idoneus. Pulchriores è Bohemiâ mihi attulit Nobiliſſ. Boſtrupius Giedde, rei Metallicæ in Norvegiâ Commiſſarius.

Ad PRASSIUM viridem ad cœruleum tendentem refero lapidem, nucis avellanæ magnitudine, in quo antiquo habitu exſculpta facies Virginis pulcherrima, prominente capite, collo & pectoris particulâ, opere eleganti & ſpectatu digno. Argento deaurato ita cingitur & clauditur, ut & capillorum cincinni, & frontis ac oris decor, colli proportio ad pectus uſque pateant.

LAPIS NEPHRITICUS ad Jaſpides etiam à quibuſdam refertur, nec colorum varietate adeo ludit ut Jaſpis, ſed ut plurimum viridis eſt, & viriditatis gradibus diſtingui ſolet. Italis *Oſiada, delſianco,* Gallis *un Siadre,* Hiſpanis *Igiada,* Belgis Kals-wee / Germanis Lenden-helffer. Lapis ut plurimum viridis, qui nunquam exacte poliri poteſt, ſed ſemper quaſi pinguedine quadam obductus & Oleoſus, maculis ſeu nubeculis quibuſdam obſcurioribus interſtinctus, ubi in laminam tenuiorem redactus eſt, quodammodo tranſparens.

Coloris gradibus variat: quidam ex viriditate nigreſcit, quidam flavedinem cum viriditate conjunctam habet, ſæpe ex viridi, albo, flavo, nigro, cœruleo quaſi miſtus apparet.

Optimæ notæ cenſetur, qui ex viriditate nigricat quaſi & opacus eſt. Reperitur quandoque magnitudine inſigni, ex eo figuræ variæ formantur, &, ornamenti loco, ab Indis geſtantur, apud Orientales in magno pretio. Braſilienſes perforatis labiis eum inſerunt, ita formatum, ut digiti longitudine propendeat, anſulis duabus, in extremitatum altero, ne elabatur impedientibus. Ex Indiâ utrâque adfertur, in nonnullis Hiſpaniæ & Bohemiæ locis etiam reperiri quidam ajunt.

Commendatur ad varios corporis humani affectus & Amuleti loco geſtatur; ejus vires compertæ ſunt in ventriculi, Oeſophagi, & coli doloribus ſedandis. In capitis doloribus vehementibus, catharris & deſtillationibus, ad partum promovendum, tumores Oedematoſos curandos, urinam ſuppreſſam provocandam; ſed in primis in Renum & Veſicæ calculis atque arenulis expellendis. Hujus rei experimenta ſunt quam plurima. Brachio ad carpum applicatum, aut etiam lumborum regioni, tam potenter calculum & arenas pellere compertum eſt, ut eum deponere ſæpe coacti ſint geſtantes. Argento incluſus majoris efficaciæ eſſe putatur, alii tamen metallo vim aliquam ei detrahi putant; ſed ego efficaciſſimum vidi argento clauſum, vires ſuas valide exſerere. Quidam ex eo Magiſterium præparant, quod intra corpus ſumendum magnâ cum utilitate præbent. Hiſtorias varias & experimenta vide, in peculiari de hoc lapide tractatu conſcripto à Clariſſ. Viro D. D. Caſparo Bartholino P. M.

Mihi hujus lapidis aliquot ſunt exempla. Unum quod melioris notæ eſſe didici, in laminam tenuem duorum digitorum longitudine, latitudine unius redactum, obſcure viride

viride eſt, pingue, oleoſum, quod ad ſplendorem Solis aut Candelæ examinatum, maculas virides obſcuriores, in albo aut ſubluteo corpore, exhibet, quatuor foraminibus pervium, ut commodius corpori alligari poſſit. Hujus vires inſignes in calculo pellendo haud raro expertus ſum. Novi virum in hac urbe, qui unum poſſidebat plane ſimilem huic Nephriticum lapidem, cujus vires in ſe ipſo ſæpius expertus erat inſignes, quam etiam ob cauſam carpo alligatum ſemper geſtabat. Sed cum ſe quodam tempore balneo aquæ dulcis, in quo herbæ quædam coctæ erant, commiſiſſet, madefactus hoc decocto lapis vim omnem amiſit. Quocirca deponendum ſuaſero, quando Balneum æger ingreditur.

Alius mihi eſt Nephriticus colore melleo, ſeu ex viridi ſubflavo, quem ex Viro Clariſſ. D. Johanne de Laet habeo, quadratus, tenuis, quovis latere vix unciam æquans dimidiam, in centro perforatus. Hic ille eſt, quem idem D. de Laet lib. 1. de Gemmis & Lapid. cap. 23. inveniri ait maximâ copiâ in Americâ, ad ripas fluminis Amazonum, & aliorum quæ ex illâ continentis parte in Oceanum ingrediuntur, potiſſimum in Novâ Hiſpaniâ, unde plures in reliquam Europam adferuntur. Naſcuntur magnâ interdum mole. Boëthius namque ſcribit ſe vidiſſe apud Gemmarium Rudolphi Imperatoris fruſtum mille ſexcentis Daleris emptum, ex quo poculum ſatis amplum formatum fuerat. Et ego elegantem Phialam, cujus Icon adhuc apud me eſt, ex nigricante lapide Nephritico elaboratam vidi Anno MDCXLVII. 15. Januar. apud aurifabrum Illuſtriſſ. Principis Chriſtiani V. P. M. quæ mille Daleris æſtimabatur, figurâ ovali, cujus labri circumferentia pedem unum cum ſemiſſe ſuperabat. Baſis vero in Diametro uncias ſex habebat.

Tertius Nephriticus lapis, quem teneo, oblongioris laminæ facie conſpicitur, cujus tria latera recta, quartum ſemicirculare, longitudine eſt unciarum duarum cum ſemiſſe, latitudine unius & ſemis, quatuor in angulis foraminibus pervium, colore magis virenti, & punctulis albis variegatus, quem exiſtimo tertiam eſſe ſpeciem à D. de Laet propoſitam, quamque Ximenes tantopere commendat.

Quintæ ſpeciei ſecundum de Laet etiam unus mihi eſt, viridi, albo, flavo, purpureo nigricante coloribus præditus. Figurâ jam eſt triquetrâ; ſed fractus videtur, cum unicum latus politum ſit, reliqua inæqualia.

Secunda jam propoſita ſpecies illa eſt ex quâ Americani varia conficiunt, piſces, capita avium, roſtra pſittaci, ſphærulas, columellas perforatas, quas ornamenti loco geſtant. Barbari, qui Guianam incolunt, magni illos faciunt, in pyramidis figuram efformantes, ac foraminibus quas ſub inferiori labro habent indentes, ut pulchriores ſibi videantur. Hinc eſt quod Geſnerus Oripendulum vocet, & peculiarem lapidem faciat.

In hujus lapidis viribus explorandis, tutum eſt conſilium Johannis de Laet, qui ſuadet diverſas ejus ſpecies experiri, & modo carpis, modo renibus applicare. Nam & ego novi eundem lapidem quibuſdam profuiſſe, quibuſdam minime: quod an lapidis virtuti, an hominis Idioſyncraſiæ ſit tribuendum, ignoro.

ACHATES à fluvio Siciliæ ejuſdem nominis ita dictus eſt, quod primo ibi inventus. Lapis eſt variorum colorum, quorum ratione in varias ſpecies diſpeſcitur, ut etiam figurarum ipſi à Naturâ impreſſarum. Quando venis ſuis & maculis cornu refert, Cerachates dicitur; quando arbores & nemora, Dendrachates. Colore eſt aut nigro, aut fuſco, aut cinereo, aut corallino, aut pellis Leoninæ, Hyenæ: per hos colores venæ albæ ubi diſcurrunt, Leucachatem vocant, ſi rubicundæ, Hæmachatem, ſi Sardæ modo rubet, Sardachatem, ſi Coralli modo, Corallachatem. Summâ, coloribus adeo variat ac ludit, ut jucundum præbeat ſpectaculum, in primis ubi lineis ſuis & coloribus res alias naturales aut artificiales exhibet. Ab Oniche differt, quod hæc Zonis & Cruſtis variorum colorum conſtet; Achates vero lineis & maculis ludat. A Jaſpide duritie & lævore: Jaſpis enim licet omnes colores habeat quos Achates, tamen mollior & Achate magis opaca eſt, quocirca nec tam exacte poliri poteſt. Ex Indiâ notæ probatiſſimæ adfertur, in Germaniâ & Bohemiâ etiam quandoque reperitur, etiam tantæ molis, ut pocula & ſcyphi ex eo confici poſſint.

Venenis peſtiferis, ut & Viperarum & Scorpionum ictibus reſiſtere credunt. Cor recreat & adverſus omne contagii genus tuetur. Sitim febricitantium ore contenta ſedare, & æſtus diminuere animadverſum eſt; unde tanquam Amuletum contra febres, præ-

præsertim Quartanas à multis gestatur. Quæ rubro est colore, pro Hæmatitide venditatur, & ad sanguinem sistendum commendatur.

Mihi Achatis aliquot sunt species; una nigra, venulis purpureis & albicantibus, in quâ vena alba fluvium referens duo ejus latera cingit. Lapis planus, figurâ ovali dum integer esset, jam vero pars ejus ampla restat longitudine palmi, latitudine trium digitorum. Atropurpureus ille color, in quem centri nigredo terminatur, undulatim lapidem ambit, variis gyris & anfractibus. In ejus medio linea alba, cordis figuram fermè constituens, illas ambit, quod colore maxime æquabili nigricante præditum est. Ad Leucachatem refero.

Globuli ex quibus armillas conficiunt nigricantes ex Achate tornati penes me etiam cernuntur quidam.

Ex miniato Achate, flavâ & Chalcedonii intersperſâ venâ, laminulæ sunt quædam octangulæ, ita politæ & suis foraminibus perviæ, ut usum quoque in armillis habeant.

Ejusdem substantiæ est columnula angulata, puro constans Achate purpureo & flavescente, perforata quoque ut muliebribus Ornamentis inserviat.

Anno MDCXLVIII. ex Islandiâ ad me transmissus est lapis flavus, rudi massâ, quâ partes abscissæ politus & lævis, silicem quodammodo referens, sed dum durius ferro tractatur Scintillas non præbet ullas, verùm in partes minutas dissilit; ad Achatem aut Jaspidem referendum puto.

Achatem ovi Columbini magnitudine & figurâ dono accepi, variis coloribus laminatim quasi distinctum: cernere enim licet album, nigrum, fuscum, flavum, griseum, aliosque mirâ jucunditate junctos.

Ad Achates refero LAPIDEM INDICUM figurâ nuclei Pinei; sed oblongior aliquanto, unciæ unius longitudine, extremitas altera radicem quasi quandam habet, quæ alteri lapidi inserta fuisse videtur, altera planior, latior, coloribus cum Achate certat: limbo enim est purpureo, qui cingit Violaceum, hic candidâ lineâ reliquum separat ad cinereum tendens, naturâ politus est. Qui eum descripserit nondum inveni. Integer pendet grana x.

Chirurgus, qui eum attulit, refert se in Indiâ in littore maris invenisse, & cuidam in navi calculo laboranti ejus scobem exhibuisse magno cum successu. Durior enim non est quam ut cultro se radi patiatur.

ONYX à colore unguis humani nomen mutuavit, Italis *Nikolo*, Germanis Onichel; unguem enim humanum colore & splendore refert, duobus ad minimum coloribus, albo, & nigro, Zonis distinctis constans, magis opaca quam translucens. Nigram ejus partem Plinius Morion Indicam vel Pramnion vocat. SARDONIX ex Oniche & Sardo componitur, eique varias imagines imprimere solent Sculptores. Quandoque ex Zonâ albâ imaginem sculpunt, ita ut nigra Zona loco strati sit, tumque à quibusdam Memphites vocatur, hodie à Gemmariis Camehuja. Sunt qui Onicha, quando sola & alba est, Calcedonium vocent: alii ita distinguunt Sardonichen, Calcedonium & Onychen, ut Sardonix dicatur, cum Onychi Sardi aut Carneoli rubicundus color distincte adjunctus est; Calcedonius, dum abest rubicundus & niger color; Onyx vero, dum adest niger & abest rubicundus. Onyx pro colorum varietate etiam varias habet species. Sunt enim nigri prorsus, sunt cum albedine, fusco, flavo, luteo, subcœruleo, corneoque colore miram varietatem ostendentes: sed omnes Zonas & lineas habent, quibus colores invicem distinguuntur. Olim tantæ magnitudinis inveniebantur, ut inde columnulas & pocula, quæ Myrrhina dicebantur, conficerent. Præferuntur jam cæteris subcœrulei in imo nigredinem habentes.

Ad sigilla conficienda aptissimus lapis, nam ceram politus non recipit. Gestatus Melancholiam, animi passiones & tristitiam pellere putatur, sensusque vegetiores reddere. Sunt qui Melancholiam, timorem ac tristitiam eo augeri putant: sed Sardæ seu Corneoli præsentiâ fugari. Epilepticos paroxysmos impedit. Politi ex eo si fiant globuli, pulve-

rulenta & aſpera quævis oculo ſi inciderint, eximit, quod & alia corpora lævia præſtant. Ignis ex eo ut ex ſilice excutitur, & affrictu valde calefit.

Ex Oniche quatuor diſtinctis Zonis conſtante, Gamehujam poſſideo elegantiſſimam, dono Clariſſ. Viri D. D. Claudii Plumii, quæ pro ſtrato habet Zonam Onychinam ſubcœruleam; huic incumbit facies decora mulieris ex Zonâ candidâ in convexum elaborata, & rurſus inſidet facies Æthiopis ex nigrâ Zonâ tam apte ſculpta, ut totâ facie nigrâ exiſtente, oculus candore, ex ſubjectâ Zonâ acquiſito, emicet. Hiſce demum incumbit viri barbati & cincinnati caput integrum, ex quartâ Zonâ candicante, cum flavedine junctâ, ita affabre conſtructum, ut pili capitis & barbæ ad flavedinem tendant, reliqua facies albicet. Opus certè artificii non vulgaris.

CAP. XVI.

De Calcedonio, Corneolo, Phengite, Amethyſto, Cryſtallo, Fluoribus, Lapide de Aventura.

CALCEDONIUS, ſeu Carcedonius veterum à moderno multum differt; ille enim, ſi ſecundùm Plinium examinetur, granato Orientali, aut Amethyſto reſpondet: hic gemma eſt quaſi per nubem, vel nullo, vel levi aliquo colore tincta, ſemiperſpicua, ſcalpturæ, propter duritiem, contumax: Veteres ad Onichas retuliſſe videntur, cujus etiam ſpecies eſt, ut & candida Onyx dici mereatur. Præferuntur reliquis, qui aliquo colore ſunt diluti ac oculis grati, ut illi, in quibus purpureus, cœruleus ac rubicundus albo miſcetur, quique Soli expoſiti, radiorum reflexu Iridem oſtentant. Si rubram adjunctam habeat venam, Sardonyx dicitur, ſi nigram, Onyx, ut ſupra dictum.

Ex eo fiunt globuli ad armillas, & ſigilla, quia ceram non admittit. In uſu Medico commendatur contra timorem, triſtitiam & affectus Melancholicos. Illos, qui ex Indiâ Orientali adferuntur & Zonis lacteis diſtinguuntur, ad lactis ubertatem valere volunt, ſi appendantur.

Ex Inſulis Feroënſibus varios accepi Calcedonios, quos in littoribus colligunt, ſed haud majores, quam ut ex iis ſphærulæ aut ſigilla confici poſſint, paucis exceptis. Inter eos etiam Onyches & Sardonyches reperiuntur. Verum inter reliquos præclari & viſu digni ſunt quidam STIRIAS aut dactylum exprimentes, quorum duos integros teneo, tertium mutilum. Primus longitudine palmi, craſſitie paulo major pollice, teres, apice obtuſo, in quo punctula multa fulva, albo colore, nubeculis interſperſis, protuberantiis quibuſdam levibus præditus, quaſi ex ſucco ex alio corpore guttatim expreſſo concretus. In centro cavitas quædam apparet venæ inſtar, quæ per totius corporis longitudinem attenuata extenditur, quod melius apparet in fragmento.

Alter ejuſdem eſt conſiſtentiæ & figuræ, ſed magnitudine minor, longitudinem duorum digitorum non excedit, craſſitie digiti, circa radicem flaveſcit, & circa apicem lunulam habet flaveſcentem, ex ſucco Sardio, ut videtur, conſtantem: longior fuiſſe videtur, nam circa radicem partis amputatæ ſunt veſtigia.

Fragmentum tertium ejuſdem coloris & conſiſtentiæ, ſed & apice, & radice caret: lapidem præterea alium à latere ei adhærentem obtinuiſſe, ex fragmento reliquo conſtat.

Reliqua pulchritudine ſuperat CALCEDONIUS GRANDINOSUS, ex grandinibus quaſi margaritis conflatus, guttulis ſucci lapideſcentis ita invicem concretis, ut ova piſcium eſſe ſolent, ſpectaculo jucundo & grato: tranſparet gutta quævis, ac in centro nubeculam albicantem continet; ex margaritis conflatam jurares. Hujus mentionem feciſſe videtur Ferrandus Imperatus lib. 24. Hiſt. Natur. cap. 2. ſub nomine INGEMMAMENTI GRANDINOSI Calcidonii ſimplicis quem ad molam Seſſanam reperiri ſcribit, ſed noſtræ Inſulæ Feroënſes meum ferunt. Credo veterum eſſe CHALAZIAM.

Calcedonium etiam refert MASSA AGNIFORMIS, trium digitorum longitudine, duorum latitudine; caput, os, aures, collum, & pectoris agnelli partem exhibens, onychinæ radici innixa, ſed mollior aliquanto vero Calcedonio, utpote quæ limam ſine difficultate admittat. Quibuſdam in locis ſuperficies colore flavo tingitur; credo pice infectam à nautis qui attulerunt.

CALCEDONIUM ISLANDICUM CRISTALLOIDEM lapidem voco ex Islandiâ

landiâ mihi Anno 1648. transmissum. Massa est unciarum duarum longitudine, totidem latitudine, quâ latior est. Parte quâ cauti adhæsit, saxo constat albo, duro, cui nigredinis quidpiam permistum, ex quo efflorescit crusta quædam Calcedonica, crassitie calami scriptorii. Hæc verò ex se papillaceas quasdam stirias protrudit ejusdem substantiæ, externâ superficie asperas instar sacchari Candi, granulis minutis micantes. Parte anteriore tres sunt papillæ, quarum media reliquis longior, una reliquis minor, versus latiorem partem una duplicata. Omnes hæ papillæ, ut & corporis ipsius tota superficies superior, quasi conglaciata est & splendentibus granulis Crystallinis aspera. Elegans certe est, à nemine, quod sciam, descripta.

Corneolus vel potius Carneolus, quod carnis colorem imitetur sic dictus, aliis Sardus ab Insulâ Sardiniâ, unde olim optimus adferebatur, Germanis Corneol; primus lapis in Rationali Aaronis, sanguinis subcitrini aut biliosi, vel loturæ carnis, colore similis, semiperspicuâ & obscurâ quasi nubeculâ perfusus, magnitudine nunc majori, nunc minori.

Varia ejus genera sunt, colores si spectes, nam aut rubet obscure, aut dilute: aut melleus est, aut fæcibus sordidus, aut alieni quid permistum habens. Optimæ notæ censetur, qui multum rubet & perspicuus est; reliqui minoris pretii. Reperiuntur in Sardiniâ, Armeniâ, Persiâ, Germaniâ, Insulis nostris Feroënsibus.

Animum exhilarare, timorem pellere, audaciam præstare, fascinationes impedire, venenis ex putredine ortis resistere creduntur: sanguinem undequaque fluentem peculiari vi sistit, in quem finem etiam in pulverem redigitur & in vino austero ad menses & alios fluxus sanguinis sistendos exhibetur. Ventri alligatus partum conservare putatur; Ingenium acuere, somnia mala prohibere, & malignitati Onychis resistere dicitur. Ex eo pulvis conficitur ad dentes mundandos & à sordibus liberandos.

Qui ex Insulis Feroënsibus ad nos adfertur, dilutioris est coloris mellei, raro rubet.

Amethystus, Hebraice Achlamach, Chaldaice Enegle, Lapis est Violacei coloris, ex rubri & cœrulei misturâ orti, fulgore non omnino igneo, sed deficiente. Differentia tamen aliqua in colore observatur: aliqui flavedinem admistam habent, alii vini subpurpurei, alii exacte purpurei & violacei; alii leni violaceo, ut plane transpareant, visuntur: qui molliores & viliores. Reliquis præferuntur, quibus in purpurâ refulget roseus color, Carbunculi instar. Reperiuntur in variis locis Indiæ, Arabiæ, Armeniæ, Cypriæ, imo in Germaniâ, Bohemiâ, Misniâ; sed molliores sunt & viliores.

Ebrietatem arcere creditur, idque colorem vini indicare suâ signaturâ putant, unde & nomen accepit. Umbilico admotum, vini vaporem ad se trahere, eumque discutere, & crapulam præcavere volunt. Sunt qui malas cogitationes arcere, ingenium acuere, vigilantiam & industriam excitare autument, imo & Magnatum gratiam conciliare.

Duo ejus mihi sunt genera. Unum politum, variis angulis insignitum, figurâ ovali, dimidiam nucem avellanam magnitudine superans, eleganter coloris varietate fulgens, ex Indiâ Orientali ad nos delatum. Alterum ex Misniâ petitum, crudum adhuc, eâ formâ quâ è mineris erutum, colore dilutiore, longitudine ut plurimum pollicis, angulosum, pyramidalis figuræ: multas ejus generis possideo particulas, quas mihi attulit Clariss. Vir D. D. Casparus Bartholinus è Thermis Carolinis redux.

Crystallus nomen à glacie mutuavit, quod ei sit quoad perspicuitatem & colorem similis, à κρύος gelu, & στέλλω contraho, quasi quid gelu concretum. Glacies ita Græcis dicitur, Germanis & Danis Cristall. Gemma est mollis, transparens, aquam in glaciem congelatam referens; unde & quidam ex glacie natam volunt, quod tamen veritati minus consonum esse docet Experientia, cum igne non solvatur, nec aqueæ in eâ partes igne consumantur. Quandoque colores alios assumit, sed tum nomen mutat; si Saphirinum, Pseudosaphirus; Smaragdinum, Pseudosmaragdus appellatur, & solâ duritie à veris differt. Crystalli ut plurimum hexagonâ nascuntur figurâ, quandoque pentagonâ, imo globosâ & rotundâ, sed tum duriores sunt vulgaribus, ac pro Pseudoadamante habentur. Quæ causa sit figuræ hexagonæ in Crystallo, sollicite inquisiverunt multi. Cæsalpinus acute hac de re disputat de Metal. l. 2. c. 19. Succus lapidescens, inquit, cum totum spacium impleat loci in quo est, in coagulatione discedentibus in diversa partibus terrenis, & ad latera saxi continentis attractis, agglutinatisque, figuram quoque faciet in concretis lapillis, quæ apta nata sit spacium replere. Si igitur non uniformiter, sed vario modo divisiones contingant, etiam varietate figurarum implebitur spacium;

ſin autem uniformiter, quod ob puritatem & æqualitatem ſucci contingit, neceſſe eſt unum genus figuræ oriri in omnibus, quæ apta nata ſit ſpacium implere, &c. Poſt pauca. In omni coagulatione partes undique in idem punctum coeuntes, quam maxime ad circulum accedere exoptant. Hexagona igitur fit, quæ ſola perfecta, quia fit ex triplici diviſione ſuperficiei ad angulos acutos, ſex triangulis in unum veluti centrum coëuntibus, &c. Rationem redditurus, cur in cuſpidem terminentur, hæc addit: Flectuntur in Cryſtallo juxta cuſpidem latera, deficiente materiâ, quæ cum purior quoque ſit, & magis conſtringitur, & clarior apparet. Anshelmus Boëtius hæc habet: Naſcuntur plerumque Cryſtalli formâ hexagonâ, in mucronem deſinente, quia terreſtris ſubtilis materia, ſe ſeparans ab aquâ, nititur ſe unire, ac omnibus modis ſingulæ particulæ centrum corporis ſui ambiunt & appetunt, &c. Probabilem hanc cauſam ubi pluribus deduxiſſet, concludit: Abſque ratione manifeſtâ, figuram illi certam à Naturâ & Deo datam eſſe hexagonam ſtatuere oportet, ut in multis rebus contingit. Quod admirari hæc natura, non verò intelligi velit.

Quia nomine Cryſtalli omnes gemmæ perſpicuæ & molles, quæ nullum colorem manifeſtum in ſe habent, intelliguntur; quatuor primariæ ejus ſpecies conſtituuntur.

Prima, quæ glaciem refert, Cryſtallus montana dicta; ſecunda hexagona, quæ Iridem ad Solis radios exhibet, tertia Citrina, quarta Pſeudoadamas, quæ reliquis nobilior, naſcitur variis in locis Italiæ, Cypriæ, Luſitaniæ, Germaniæ, Bohemiæ, Norvegiæ.

Varia ornamenta ex Cryſtallo fabricantur, monilia, perſpicilla, ſpecula, pocula, ſcyphi, patinæ, quæ pro ratione magnitudinis & artificii care venduntur. In uſus Medicos etiam expetitur, ſub linguâ febricitantium poſita ſitim ſedat, manibus detenta ægros recreat & refrigerat, præſertim ſi major ſit, & ubi incaluerit aquâ Roſarum mergatur. In tenuiſſimum pulverem redacta, ac cum vino propinata, Dyſenteriam curat, albos uteri fluxus ſiſtit, lactis ubertatem & copiam à proprietate promovet, pondere Drachmæ unius exhibita, cum oleo Amygdalarum dulcium eos curat qui ſublimatum hauſerunt, fluxum Cholericum, ſeu Cæliacum, tanquam Alexipharmacum quoddam ſiſtit, calculum per urinam pellit, collo appenſa ſomnia terrifica prohibet & vertigini medetur. Chymici, ut felicius hæc præſtet, ex eo oleum & ſal conficiunt, quorum præparationes vide apud Anshelmum Boëthium.

Inſignis mihi maſſa eſt Cryſtalli montanæ politæ, ſex librarum pondo, figurâ quadrangulâ, longitudine pollicum ſeptem cum dimidio, latitudine ſeptem, craſſitie duorum, cui arte cavitas cruciformis eſt inſculpta, pollicis craſſitie, trium fermè latitudine, per gemmæ corpus decuſſatim in longitudine & latitudine tranſiens, variis ſanctorum reliquiis referta; opus viſu jucundum, & artificii non vulgaris.

Sunt & globuli hemiſphærici, oblongi & rotundi, politi, ex eodem Cryſtalli genere elaborati; ſunt etiam rudes & informes quædam maſſæ ejuſdem generis.

Ex Norvegiâ Cryſtalli HEXANGULÆ, columnari figurâ, magnitudinis diverſæ, allatæ ſunt, quædam digiti magnitudine, inter quas una radicem habet, variis impuritatibus nigris & flavis inquinatam. Sunt & minutæ craſſitie pennæ gallinaceæ, longitudine dimidii digiti, hexangulæ, oblongæ, acuminatæ. Sunt & figurâ Olivari, utrinque in apicem terminatæ, politæ, ſexangulæ, ſed ab uno latere rudes, utpote quo matrici ſuæ adhæſerunt, & nutrimentum attraxerunt. In fluminibus inveniri ajunt has, reliquas in montibus. Imperatus Cryſtallos in formâ Olivari vocat, & quia utrinque acuminantur, eodem modo quo reliquas haud vegetari ſtatuit, per principium ſuæ longitudinis ſcilicet, ſed per latus quod matrici adhæret.

MINERÆ CRYSTALLI variæ etiam ex Norvegiâ ad me ſunt delatæ, è rupibus in quibus creſcunt abruptæ, & Cryſtallos magnitudine diverſas de ſe fundentes, ex quibus earum generatio evidenter elucet. Cernere enim licet in iis tam initia, quam progreſſus & augmenta ſingularum.

Prima maſſa ab unâ parte plana & rudis eſt, quâ ſcilicet à cautibus abrupta lapidis adhuc adhærent veſtigia; ab alterâ infinitarum Cryſtallorum, Hexangulorum, quaſi politorum, majorum, minorum, complicatorum apices eam aſperam & horridam reddunt.

Secunda maſſa utrinque Cryſtallis perfectis, imperfectis, & ipſâ materiâ Cryſtallorum rudimenta quædam de ſe præbente conſtat, in cujus altero latere duæ quaſi bullæ aut foramina conſpiciuntur triangularia, quibus aut ſaxa, aut metalla fuere affixa, criſtam Cryſtallinam non inepte refert.

Impurior

Impurior tertia eſt, & Cryſtallorum quaſi matrix, pullos enim habet non perfectos, ſed ſplendentia quaſi ſemina quædam oculis objicit. Ei Galenæ plurimum admixtum eſt, & colore croceo aut rubiginoſo ubique tingitur, unâ parte, quâ cautibus adhæſit, plana aliquantulum, reliquis aſpera & inæqualis.

Aſpectu jucunda eſt quarta, ſed parva, in duo quaſi cornua formata, minutis Cryſtallis undique horrida, ſinu ſuo Pyritem aureum fovens, cujus Cryſtalli, columnari figurâ, minutiſſime concretæ, feſtucas magnitudine vix ſuperant, tota concretio unciam unam pendet.

CRYSTALLUS è monte S. Vincentii in Angliâ, impurior eſt & obtuſo prædita apice, ſexangula, unciam ſemis longitudine vix ſuperans.

Elegans & perſpicua eſt craſſa quædam, ſed non longa Cryſtallus, radice impuriore, ſexangula, uncias duas longitudine attingens, ſed in circumferentiâ craſſitiei tres. Apex angulos obtinet valde inæquales, unum enim latus ſuâ latitudine totos tres amplectitur, niſi, ubi jungitur cum vicinis, duo exigua triangula admittat, tria reliqua etiam inæqualia, ita ut, ſi minimum inter ea latus unitatis rationem & proportionem habere ſtatuamus, & dextrum dualitatis, ſiniſtrum ternarii obtineat. Licet igitur apex pulcher & perſpicuus ſit, ipſa tamen laterum ejus disproportio deformitatem quaſi quandam largiatur.

CRYSTALLUM è Braſilia allatam miſit Vir Clariſſ. D. Johan. de Laet, columnulam referentem ſexangulam, unciæ unius cum dimidiâ longitudine, craſſitie pennæ olorinæ, apice in alteram partem inclinato, ſed tota impura eſt, minime perſpicua, purpureâ, croceâ & terreſtri quadam materiâ eam maculante, ut impurum Sal Cracovianum quodammodo colore æmuletur.

De politis Cryſtallis ſupra actum, mihi inter reliquas una eſt ovali & hemiſphæricâ figurâ, colore rubicundo aliqualiter tincta, ut aliud & peculiare genus gemmæ eſſe videatur. Mihi talem Nycopiæ oſtendit Illuſtriſſ. Princeps Chriſtianus V. P. M. cum ejus valetudini præeſſem Anno MDCXLVII. & dixit ſe eum lapidem auro incluſum, baculo ſeu arundini, quem ordinariè geſtabat, aptari curaſſe, ſed quoties nudâ manu aliquantulum eum amplectebatur, tantum excitaſſe in manu pruritum, ut eum amovere cogeretur, & amotum tum oſtendit.

Ex Inſulis Feroënſibus fragmentum lapilli accepi, lutei, figuræ ovalis, è meditullio enatos Cryſtallos oſtentans. MATREM CRYSTALLI vocare licet, magnitudine articuli pollicis, primo aſpectu ſuccinum flavum refert. Haud ſcio an commode referri poſſit ad ventrem Cryſtallinum Imperati, deſcriptum libro 20. inter Ætites, maximam ſane cum eo habet affinitatem.

Cryſtallum artificioſe imitari ſtudent vitris, ſcyphis, poculis, ſphœrulis, & aliis ex puriſſimo vitro elaboratis. Mihi globus quidam vitreus eſt, cui variorum colorum vitrea fragmenta incluſa, mirabilem de ſe fundunt elegantiam ac varietatem: perforatus eſt globus, ut trajecto fune inter alia ſuſpendi poſſit.

Huc referri poſſunt FLUORES Agricolæ dicti, Germanis Fluße/ quia ignis calore ut glacies à ſole liqueſcunt & fluunt, variis coloribus præditi ſunt, & diverſis figuris concreſcunt, gemmaſque primo aſpectu æmulantur. Sunt rubri, qui Carbunculis ſimiles, ſed languidius fulgentes, ſunt purpureo colore diluti, ſunt ſubnigri. Ex iis quandoque colores confici poſſunt pictoribus utiles. Sed Metallurgi, dum metalla excoquuntur, eos adhibent, ut facilius fundantur.

Mihi una ſpecies eſt ex luteo purpuraſcens, figurâ Cylindricâ, longitudine quatuor digitorum, in Diametro trium, in quâ ex centro in circumferentiam ſtriæ ducuntur & fibræ paulatim dilatatæ, in ſuperficie angulis acutis terminatæ, totum corpus hiſpidum ac ſcabrum reddentes in ſuâ ſuperficie externâ. Interius ſaccharum Candum impurius ſubſtantiâ & colore fermè imitatur.

Alia eſt ſpecies, nivei coloris, exterius ſcabra & inæqualis, interius, ubi frangitur, ſaccharum Candum colore & ſubſtantiâ referens, micis Cryſtallinis inæqualiter emicantibus.

Amethiſtini coloris fluor ex laminis quaſi quibuſdam majoribus & craſſioribus conſtat, ſuperficie externâ inæquali & bullis quaſi quibuſdam protuberante, ad purpureum inclinante. Interior ſubſtantia atropurpurea, micas albas habet intermiſtas, & lineas quaſdam albicantes, quæ maſſam ſecant & laminam unam ab aliâ dividunt.

Ex Annæbergâ fluoris particulam accepi, cœruleam, perſpicuam, tribus ſui lateribus politam, reliquis inæqualem. Fruſtulum eſt Pyramidale, pondere Drachmæ unius.

Hyacinthini coloris is eſt quem ex Norvegiâ accepi, ſciſſilis, cruſtoſus, impurus, in quadratas fermè teſſellas formatus, ab alterâ parte Ochrâ luteâ tinctus. Splendet colore Hyacinthino, licet perſpicuus non ſit.

Ex Candiâ ſeu Cretâ varia fluorum genera, colores ſi ſpectes, adduxit Vir Clariſſ. D. Thomas Bartholinus, quorum ſubſtantiam delineaſſe mihi videtur Geſnerus libro de rerum foſſilium figuris, cum inquit: Figuram habent quâ pingi recte non poſſunt, ſed incertam planè, inæqualem. Hoc pleriſque commune, ut plures ſimul inæqualiter cohærentes & conglomerati proveniant, Chæradum ſeu Strumarum quadam ſimilitudine (Krops-weiß) ut noſtri loquuntur, quâ formâ tamen non ſoli fluores, ſed & lapides quidam naſcuntur. Multi invicem juncti, & qui ſeparari facile poſſe videantur, etſi, quà ſe tangunt, forte connati ſtrumoſam hanc ſuam impleant Maſſam.

Referendum hoc genus fluoris videtur ad tertium Agricolæ; nam ſilice minus durum eſt, unde ex eo ignis elici nequit, non tranſlucet, multi ipſi inſident colores, candidus, ſubluteus, cinereus, fuſcus, niger; ſæpenumero alterius coloris venæ interſecant. Sunt in iis, quos ex Candiâ teneo, omnis generis colores, ſeparatim & mixtim, non ſine delectatione.

Uſus horum fluorum varius: præterquam enim quod Metallurgis inſerviant, ut ſupra dictum, ex iis eleganter junctis Cryptæ in hortis & alibi conficiuntur, colorum varietate & pulchritudine oculos paſcentes. Cœruleos miſcent cineribus abiegnis, unde cinis infectoribus aptus. Candidus uritur, tunditur, cribro ſecernitur, atque ex eo conficiuntur arenæ, ex quibus vitra conflantur, quanto candidiores, tanto utiliores.

Huc referam lapidem, quem inter pretioſos quidam habent, licet non à Naturâ ſed Arte ſit elaboratus. BEZOAR MINERALE quidam vocant, alii PIETRAM D'AVENTURA vocabulo Italico, quod caſu ſit inventus, Venetiis ut ferunt à Chymico quodam. Subſtantia eſt vitrea quaſi, coloris luteo rubentis, micis aureis refertus, quæ oculos mire perſtringunt. Mihi fruſtulum eſt maſſæ, quod venas quaſdam nigras in ſe habet, & in ſummo miniata quædam ſubſtantia niveum quid in ſe continens. Ex quâ materiâ confletur me adhuc latet; metallicum quid ſapit. Conficiuntur ex hac materiâ, globuli, lapides politi, quorum mihi unus eſt, quadratus, unciæ ferme longitudine, latitudine dimidiæ, oblongus enim eſt, aptus ut auro includatur. Non admodum care venditur.

CAP. XVII.

De Adamante, Rubino, Granato, Hyacintho.

LAPIDES pretioſos majores coloribus & conſiſtentiâ diverſos hactenus vidimus, jam minores, ob nobilitatem gemmas ſic ſtrictè dictos, quos tenemus examinabimus: quibus ii junguntur qui ex Animalibus licet petantur, ob virium præſtantiam & raritatem ac pretium iis annumerantur.

Inter gemmas ADAMAS facile primatum obtinet, Græcis Ἄδαμας, Germanis & Danis Demant/ Gemma eſt duriſſima, ſine colore, aquæ inſtar Diaphana, quæ applicatam tincturam ad ſe rapit, ſibique ita jungit, ut micantes ſuos radios procul jaciat. Si alieno colore, albo, luteo, aut nigro infectus ſit, id illi vitio eſt, ejuſque pretium minuit. Licet Plinius plura Adamantum genera agnoſcat, nobis tamen non niſi unicum innotuit, quod verum & genuinum ſit; ſed Pſeudoadamantes varii, qui à ſolo natali nomen & differentias invenerunt: ſic ſunt Bohemici, Annæbergici, Anglici, Hungarici, &c. ſed hi molliores ſunt, nec ſplendorem verorum attingunt, quocirca ad Cryſtallos potius à multis referuntur.

Duo primaria Pſeudoadamantum genera ſunt obſervata: unum quod angulis excreſcit; hoc mollius & vix Cryſtallo melius; alterum globoſâ aut rotundâ figurâ ſilicum inſtar invenitur. Hoc durius & ſplendore veros æmulatur, ſed tincturam non admittit. Veri in Biſnager Provinciâ Indiæ Orientalis, & in Decan, item ad fretum Tanian in Malaccâ inveniuntur. Pſeudoadamantes in locis ſupra allegatis, imo in ipſâ Germaniâ.

Varia Adamanti ab Autoribus ſunt adſcripta, quæ tamen veritati non litare docuit expe-

experientia. Malleum & Incudem innoxie ferre vult Plinius; ſed hoc ſeculo nullus inventus eſt, qui in pulverem Malleo redigi non poſſit. Magneti vires adimere crediderunt; ſed & hoc falſum eſſe docuit experientia. Nec plumbum aciem Adamantis obtundit. Ridiculum quod ſcribunt Autores, Adamantem capiti mulieris ipſâ inſciâ ſuppoſitum, ſi marito fidelis ſit, efficere ut dormiat, & in amplexus ejus ruat, ſin adultera, eundem averſetur.

Quis enim diſcretionem, judicium & occulta dignoſcendi facultatem lapidi conceſſerit, præſertim in iis quæ non à Naturâ, ſed voluntario hominis dependent arbitrio, quale eſt adulterium? Venenatum eſſe Adamantem, vimque deleteriam obtinere quidam voluerunt; ſed falsò. Obſervavit Manardes, mancipia Adamantes deglutiviſſe, ſine omni noxâ: internè, contuſis crebro exhibitis Dyſenteriam curare aggreſſam eſſe mulierem, ſine omni moleſtiâ, idem teſtatur. Præterquam quod Adamantis uſus frequens ſit ad ornatum, etiam eo gaudent alii artifices. Ejus pulvere poliuntur alii Adamantes & lapides duriores. Quidam volunt Adamantem cuſpidi ſagittæ impoſitum, arma omnia penetrare. A Medicis appenditur tanquam Amuletum contra venena, peſtem, faſcinationes, incantamenta, terriculamenta, aliaſque Dæmonum præſtigias. Quibuſdam reconciliationis dicitur gemma, quod exiſtimetur iram exſtinguere, & conjugum amorem fovere: ſed à Naturali principio hæc peti nequeunt. Deus per varia media extraordinariè operatur quandoque, quæ ordinariis viribus rerum naturalium adſcribi nequeunt.

Mirum & rarum eſt quod ſcribit Ruëus: Dominam Heverenſem è Luxenburgorum familiâ duos habere hæreditarios Adamantes, qui alios crebro producant, ut eos qui ſtatis temporibus intuetur, congenerem ſibi prolem eniti palam judicet. Quod ſi verum, magnum argumentum præbet, ſeminarias facultates lapidibus ineſſe, quibus propagantur & ſibi ſimiles producunt. Sed hæc ſibi relata ait à Dominâ fide dignâ, non verò propriis oculis vidiſſe.

Pſeudoadamantum ex Bohemiâ & aliis locis, non politorum ſed crudorum, mihi aliquot ſunt ſpecimina, nucis juglandis magnitudine, ovalis ut plurimum figuræ, ſilices albos externe repræſentantes, ubi franguntur perſpicui & clari. Sunt & politorum quidam veri, colore magis aqueo & limpido.

PSEUDOADAMANTEM è fluvio Amazonum mecum communicavit Vir Clariſſ. Johan. de Laet. Lapillus eſt candidus, perſpicuus, rudis, durus, ſcrupuli pondere, quadratus, alterâ parte concavus aliquantum & inæqualis, de quo ipſe in libello de gemmis & lapidibus ita diſſerit: Ad Pſeudoadamantum claſſem etiam referenda eſt Adamantum illa ſpecies, quæ copioſe & variâ mole reperitur in quibuſdam regionibus ad flumen Amazonum ſitis, qui ferè globoſi ſunt, licet non exactè ſphærici, nunquam autem angulati, ut verus Adamas, ſunt autem teneriores ad inſtar Cryſtalli, & formati in tabulas aut alias formas, politique nitent quidem, ſed ſemper in ſe habent aliquid lactei, ita ut facile à cæteris dignoſci poſſint.

RUBINUS ab Indis Tokes & Manca, à Perſis & Arabibus Jacut dictus, eſt gemma Diaphana, rutilans, rubenſque, ad cœruleum parum inclinans, limam reſpuens, ad ſanguinis, Cocci, Laccæ Indicæ colorem potius accedit, quam Minii, ut Rubinus cœrulei quid admixtum habere videatur, ita Granati & Hyacinthi quid flavi, hiſque notis invicem diſtinguuntur.

Sunt qui Rubinum veterum Carbunculum eſſe exiſtiment, ſed deeſt una illa nota, quod in tenebris inſtar Anthracis non luceat: Aſt talem Carbunculum in rerum Naturâ non inveniri, major pars autorum exiſtimat. Licet unum aut alterum in Indiâ apud Magnates quoſdam reperiri ſcribant, cum tamen ex aliorum relatione id habeant ſaltem, & ipſi non viderint. Quocirca eorum mihi non diſplicet ſententia, qui omnes gemmas rubicundas Carbunculos vocant, ob colorem igneum, ita ut nomen ſit generale, quod ad Rubinos, Hyacinthos, Granatos extenditur; à quo nec abhorrere videtur Plinius, qui Carbunculum in tot ſpecies dividit.

Ratione rubedinis quatuor ejus conſtitui ſolent genera, quæ nomina etiam diverſa ſunt ſortita. Rubinus verus, de quo jam actum, Rubicellus, Balaſſius, & Spinellus. Balaſſius exiguam valde habet Rubedinem, Spinellus mollior aliquanto vero Rubino, rubicundior Balaſſio, ſed non adeo ſplendet ac verus Rubinus. Hic etiam ſuos habet gradus. Rubicellus ex Balaſſio & Spinello colorem mixtum habet, quaſi ſimilis Granatis

Bohe-

Bohemicis. Præstantissimi Rubini in Insulâ Zeilan reperiuntur. Nascitur in Roseâ quadam matrice, quam Balassium esse quidam putant; reperitur quandoque ovi gallinacei magnitudine.

Rubino vires multæ ab Autoribus tribuuntur. Gestatus & propinatus venenis resistere fertur, ac à peste præservare, tristitiam arcere, Melancholiam fugare, somnia jucunda præstare, animum exhilarare, libidinem coërcere, sanitatem incolumem tueri, somnia minuere, & gestantem ad iram proclivem reddere. Ajunt colorem mutare, si quid homini infortunatum incumbat, obscurum enim & luridum induit; quem tamen in pristinum mutat, ubi ex voto res succedit. Quod confirmat suo exemplo Wolfgangus Gabelkoverus, comment. in Andreæ Baccii historiam cap. 6.

GRANATUS inter Carbunculos etiam ob colorem recensetur, quod politus & luci expositus, igniti carbonis speciem præ se ferat. Gallis *Vermeille*, quod minii rubedine flagret, Danis & Germanis Granat. Est autem gemma dura & flavedine obscurè rubens, instar ignis aut minii nativi, tincturam suam in igne non remittens.

Ratione loci ubi invenitur, in Orientalem & Occidentalem dividitur. Orientalis ex Indiâ, Cambajâ, Æthiopiâ, & aliis locis allatus, in triplici observatur differentiâ. Quidam magis nigricat, atri sanguinis colorem referens, rutilans ac splendens, cui bractea alba supposita, facit ut carbonis igniti speciem præbeat, unde pro vero Carbunculo à multis habetur, quidam Hyacinthum plane æmulatur. Tertius Violæ Martiæ colorem habet, rubedini permistum. Occidentales etiam colorum gradibus differunt. Præferuntur reliquis Bohemici, ob tincturæ præstantiam.

Reperiuntur etiam in Norvegiâ dodecalaterum, impuriores, venâ Talci plerumque infecti, colore ad nigredinem tendentes, ut eo primum genus Orientalium æmulari videantur, naturâ quandoque politi. Tantæ magnitudinis mihi unus est inter reliquos, ut ovum columbinum superet. Crescunt in venâ Talci tantâ copiâ, ut ex iis, cum minerâ suâ junctis, lapides molares conficiant.

Sunt mihi & Bohemici minuti, qui cum politi sint & puriores, gratiam habent majorem.

Granati triti & in pollinem redacti, vi exsiccandi pollent, Gestati cor roborant, tristitiam pellunt, Melancholiæ resistunt, quocirca Electuariis Cordialibus quandoque permiscentur præparati. Optima præparatio hæc censetur: Primo igniantur & in oleo salis extinguantur, donec solvantur. Solutioni affunditur oleum Tartari; in lactis cremorem quasi coagulantur, qui aquâ calidâ aliquoties ablutus usui servatur.

HYACINTHUS ejusdem census est cum superioribus, colore rutilo & ex flavedine rubenti, unde etiam ad Carbunculum refertur. Cum varios etiam habeat coloris gradus, eorum respectu variæ etiam ejus constituuntur species. Sunt qui instar Minii nativi & sanguinis biliosi rutilent; sunt qui rubedine Croci flavescant; sunt qui succinum flavum æmulentur, qui viliores; sunt qui album succinum referant, qui vilissimi, cum nihil rubedinis fere habeant.

Dantur tam Orientales ex Indiâ allati, quam Occidentales ex Silesiâ, Bohemiâ, aliisque locis Germaniæ petiti.

Commendantur contra pestem, si collo appendantur, aut in annulo gestentur. Spiritus vitales roborare, animi alacritatem conciliare, somnum provocare, & à fulgure portantem defendere creditur.

Observandum, omnes has rubras gemmas sæpissimè à Gemmariis confundi, etiam accuratissimis, ut nesciant ad quam classem referri debeant, quod etiam à veteribus factum. Nam Plinii Hyacinthus, hodie inter Amethystos recensetur, & veterum Amethystus, Granatus jam putatur.

CAP. XVIII.

De Saphiro, Smaragdo, Chrysolito, Topazio, Turcoide, Bufonio.

SAPHIRUS vulgi, videtur Plinii Cyanus, Gemma est cœruleo colore pellucida, Diaphana, dura, omni carens rubedine Amethystinâ. Quidam albicat & à Plinio fœmina vocatur; quidam saturato colore cœruleo est, Mas ipsi dictus; sunt qui omni colore destituantur, qui pro Adamantibus quandoque substituuntur. Dividi solent Saphiri

phiri in Orientales, ex variis Indiæ regionibus allatos: & Occidentales, in confinio Silesiæ & Bohemiæ, in torrentibus & in prato minore Iseræ inventos. Tinctura & color Saphiri ab eo igne auferri potest, ut Adamantem mentiatur.

Frigiditate & siccitate in primis pollet, unde in pulverem redactus, oculorum humiditates exsiccat, inflammationesque eorum arcet; quod etiam præstat butyro mixtus & palpebris illitus superioribus. Commendatur etiam ad omnia alvi profluvia, Dysenteriam, fluxum Hepaticum, Hæmorrhoidum, cum aquâ plantaginis, tormentillæ, &c. propinatus, cum lacte exhibitus pulvis, ulcera & vulnera interna sanare, cor roborare, pesti & venenis resistere creditur, in quem usum Sal & Tinctura à Chymicis commendantur.

Integer Saphirus narium hæmorrhagiam sistit, fronti adhibitus; inflammationibus applicatus, eas curat. Ejus aspectus oculos juvare, & visus incommoda tollere dicitur.

Ab homine impuro & rebus Venereis dedito gestatus sordescit & nitorem amittit; Venerem namque inhibere, scabiem tollere, Venenis resistere, cor roborare, Carbunculorum Pestiferorum augmentum prohibere, & ne malignitatem ad cor transmittant impedire creditur.

Inflammationes, si in principio adhibeatur, reprimit, contusionibus si paulo fortius premendo mox in principio applicetur, ne inflammentur instar miraculi impedit. Febrium ardorem mitigare, & omnibus cordis affectibus mederi existimatur.

Quidam pro Oleo Saphiri vendunt quippiam ex floribus Camomillæ cum Sale Ammoniaco destillatum, à quibus cavendum.

SMARAGDUS à nonnullis Prasinus, ab aliis Neronianus, & Domitianus, Arabibus Zamarut dictus; gemma est grato virore oculorum aciem ita demulcens, & animum recreans, ut omnium viridariorum amœnitatem superet, pellucida, Diaphana, planè viridis. Plinius ejus genera duodecim recenset. Hodie in Orientalem & Occidentalem dispescitur: ille præstantissimus, durissimus, viriditate oculos uberrime satians. Hic duplex quoque est: Europæus, qui in Cypro, Brittanniâ, aliisque locis invenitur, & Peruanus, qui licet viriditate excellat, tamen ut Orientalis non ita radiat, & nubeculis ut plurimum fœdatur. Scaliger Occidentalem ab ære originem trahere putat, tum quia ærugo viridis, tum quia affricatus Lapidi Lydio æris colorem reddat; hoc enim modo Mercatores Indi eum probant.

In Museo Calceolarii qui conspicitur, extat in lapide poroso satis, cujus ima pars quasi Marmorea, superior Marcasitam refert. Orientales raro majores visi nucis avellanæ magnitudine; Occidentales palmam manus quandoque æquant.

Interim inusitatæ magnitudinis quidam apud Autores leguntur. Theophrastus tradit à Rege Babyloniæ ad Regem Ægypti missum esse Smaragdum, quatuor cubitorum, & in delubro Jovis apud Ægyptios reperiri obeliscum ex quatuor Smaragdis, longitudine quadraginta cubitorum, latitudine ex unâ parte quatuor cubitorum, ex alterâ duorum.

Appianus Grammaticus memoriæ tradit, fuisse in Labyrintho Ægyptio Seraphim colossum, ex uno Smaragdo novem cubitorum. Crantzius lib. 7. Metrop. cap. 3. refert Sultanum misisse imperatori Friderico Cantharum ex Smaragdo, capientem Sextarium Balsami. Ipse Genuæ vidi Catinum ex Smaragdo, qui in Diametro pedem circiter habebat, qui æstimari ob magnitudinem pretii nequibat. De quo Jovius in Consalvo sic refert. Sanctus crater, in sacrario templi maximi, religiosissimè custoditur, refertque immensi pretii Smaragdum hexagonum, escariæ patinæ modo cavatum. Partum id fuit antiquitùs ex Syriacâ Victoriâ, & ad publicum civitatis decus D. Laurentio consecratum. Pragæ in sacello D. Venceslai etiam magnum inveniri scribit Agricola. Facile læditur à duriorum gemmarum contactu, æstu, chalybe, ære, ictibus.

Vires ei attribuuntur multæ & magnæ, alvi fluxus & Dysenteriam, à quacunque causâ ortam, exhibitum miraculose sistere ajunt. Exhibentur sex grana in pollinem redacta, in aquâ aliquâ appropriatâ, contra quævis venena, pestem, morsus venenatos, febres pestilentiales, sudorem provocat. Contra Epilepsiam puerorum collo suspensus, aut digito gestatus, eam impedit, ita ut aut morbum tollat, aut frangatur. Coxæ mulieris alligatus partum accelerat, ventri appositus eum retinet, Ori inditus hæmorrhagiam sistit. Terriculamenta fugare, hemitritæam febrem tollere, memoriam firmare, visum

confortare, è collo suspensum volunt. Castitatis censetur gemma: ferunt namque si cutim ejus tangat, qui actum Venereum illicitum exercet, disrumpi. Parant Chymici ex eo tincturam, quam, ad prædictos affectus, pulvere efficaciorem esse volunt.

CHRYSOLITUS modernorum, non idem lapis est cum veterum Chrysolitho, qui Topazius est modernorum, sed veterum Topasius jam pro Chrysolito habetur: qui gemma est viridis, colore Smaragdo dilutior, utpote cui nonnihil flavedinis adjunctum est; Diaphanus, quandoque per viridem aureum fulgentem habens, ac tum Chrysopatius à quibusdam vocatur. Quod si noctu igne admoto vehementer splendeat, Chrysolampis Plinii est, durus adeò non est, quin limam sentiat; quandoque in tantam crescit magnitudinem, ut inde statuæ confici possint. Arsinoæ namque Ptolomæi Philadelphi uxori statua quatuor Cubitorum, ex hoc lapide, qui veterum est Topasius, in delubro sacrata fuit.

Sanguinis eruptiones sistere, admotum vulneri extemplo fluentem compescere, bilem, iram ac Phrenitidem mitigare, si pro Amuleto gestetur, perhibetur. Nocturnos etiam timores & terriculamenta puerorum, ac Lunaticos paroxysmos arcere creditur. In mensâ positus præsente veneno traditur colorem amittere, eoque semoto rursum recipere. Ast recte monet Boëthius hujusmodi vanas, ac præter rationem omnem, de gemmarum viribus opiniones, experientiam rerum magistram refutare. Cardanus refert se expertum fuisse, quindecim illius grana auxilio præsenti Melancholicis esse; desperatos se octo dierum spacio ejus pulvere liberasse refert libro de admirandis curationibus.

Ejus generis mihi unus est, aureo annulo inclusus, octangulus, quovis latere majore unciam fermè dimidiam æquante, & viridi aureo fulgore radiantem. In Indiâ Orientali anulo inclusus, ac multis politis ac minutis Hyacinthis cinctus, peculiari artificio spectandus.

TOPAZIUS Neotericorum, veterum Chrysolitus esse, docte demonstratur, tum ab Anshelmo Boëtio, tum à D. Johan. de Laet. Nomen videtur sortita hæc gemma à τοπάζειν, quod quærere, investigare, & conjecturâ aliquid assequi notat. Hinc Plinius lib. 37. Hist. Nat. cap. 8. Juba Topazon Insulam, in rubro mari è continente stadiis trecentis abesse tradit, nebulosam & ideo sæpe quæsitam, navigantibus ex eâ causâ nomen accepisse.

Duo ejus genera statuunt; alterum Orientale, quod instar auri purissimi rutilat; alterum Europæum. Hoc Crystalli instar molle est, cum aureo colore, vel parum vel multum nigricante. Inter hos quosdam esse ajunt, qui tam parum habent flavedinis, ut, nisi nigredine à Crystallis distinguerentur, discerni non possint, atque in Bohemiâ passim reperiri.

Hujus frustum Dresdâ mihi attulit affinis Johan. Motzfeldius, pondere Drachmarum quinque, quod exacte, quoad colores, refert illum quem jam delineavimus.

Figurâ est pyramidali, inæquali, striis quibusdam dotatum, juxta basin politum aliquantum, & obscurius reliquo, quod perspicuum est, multum nigredinis & parum in se continet flavedinis.

Quidam huic gemmæ easdem tribuunt vires cum præcedenti, utramque confundentes. In primis Melancholiæ prodesse, Asthmati conferre, somnum provocare, sitim febricitantium, sub linguâ detentum, sedare volunt.

TURCOIS, Turcosa, Turchina vel Turchesia, à Turcis, à quibus ad nos adfertur, sic dicta. Eam quidam Jaspidis speciem esse putant, Boream dictam Plinio, alii Calaidem, quam Mesues Feruzegi, à corrupto Peruzáa Arabum, vocat. Gemma est opaca, ex viridi, albo, & cœruleo quasi composita, viride æris exacte referens.

Sunt Orientales, vel Occidentales. Orientales in Persiâ nigris lapidibus adnascuntur, & illorum quidam colorem semper servant, alii paulatim viridescunt. Occidentales in Germaniâ, Hispaniâ, Bohemiâ, Insulis Feroënsibus colliguntur. Tantæ magnitudinis unam in Thesauris Magni Ducis Hetruriæ vidi, ut juglandem æquaret, cui Julii Cæsaris effigies insculpta erat. Reliquis præferuntur quæ sine venis sunt & maculis.

Ad casum mirabiles ejus vires experti sunt. In primis memorandum exemplum quod Anshelmus Boëthius de se ipso refert, tam mutati coloris quam à casu præservationis. Cui haud dissimile & ipse adferre possem, nisi ex Anshelmo petitum quis putaret. Pro consti-

constitutione corporis colorem mutare observatum, quod ratione non caret, siquidem pravos & morbosos halitus è corpore exspirantes, ejus nitorem obscurare, ut sanos ac bonos emendare, verisimile est.

Sunt qui Turcoidem Horologii vices supplere, ac diei horas ostendere posse putent, si ex filo indice & pollice comprehenso, intra vitri concavum, palmaris vel minoris latitudinis suspendatur. Ad oculorum capitisque dolores leniendos, inimicitias exstinguendas, & amorem inter uxorem & maritum conciliandum, sunt qui commendent.

Oculos & spiritus visivos, ob coloris præstantiam, roborare vero non est absimile.

Bufonius Lapis, ab aliis Chelonitis, Batrachites & Crapaudina vocatur; Germanis Krotten-stein, quia fama fert ab antiquis bufonibus eructari, quod experientia falsum esse docuit Anshelmo Boëtio à Boot. Brontiam & Umbriam his nominibus dotari & ad hanc classem referri nullo jure posse, quivis collationem instituens facile videt. Hic enim verus Bufonius lapillus est, raro unguem digiti superans, coloris ut plurimum est grisei, ad rubedinem quandoque tendens, oculi modo convexus, quandoque oblongus, quandoque rotundus, alterâ parte planus aut concavus. Nascitur fungi instar in saxis & petris, non verò in capitibus bufonum, ut vulgo credunt.

Commendatur ad tumores & inflationes à venenatis animalibus illatas, quas contactu & adfrictu discutit, cujus exemplum in contubernali vidi, qui cum inter alias plantas Esulam majorem collegisset, ac inter eradicandum succus ejus digitis adhæsisset, quibus incaute faciem fricuit, subito intumuit ad miraculum usque, sed petito annulo ab astante qui lapidem hunc tenebat, & loco tumido aliquoties affricto, intra horam detumuit inflatio. Præsente veneno sudare & colorem mutare ferunt, quocirca contra venena ejus pulvis exhibetur. Contra calculos vim habere insignem existimant, adeo ut eum generari non permittat.

Cap. XIX.

De Opalo, Oculo Mundi, Oculo Catti, Margaritis, Lapide Bezoartico.

Opalus olim Pæderos, quasi puerorum amor, ob pulchritudinem vocatus. Italis *Girasole* vel *Scambio*, Germanis ein Weese. Gemma est elegantissima, omnes ferme colores exhibens. Est enim in eâ cœruleus, purpureus, viridis, flavus, ruber, lacteus, ac niger interdum, qui tamen colores ei realiter non insunt, sed ex reflexione eorum, qui insunt, generantur, ut in Iride. Quocirca reliquarum ferme omnium gemmarum colores in hac unâ conspicere licet. Inest ei, inquit Plinius, Carbunculi tenuior ignis, Amethysti fulgens purpura, Smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili misturâ lucentia. Hinc fit quod à quibusdam inter omnes gemmas palma ei deferatur, tum etiam quod adulterari nullo modo possit.

Nascitur Opalus in lapide molli, venis nigris, flavis & fuscis distincto, ejusque quatuor constituuntur genera.

Primum absque aliquo Opaco corpore, Diaphanum est, omnes colores Iridis exhibens, hocque præstantissimum. Alterum ex nigredine igneum Carbunculi fulgorem mittit. Tertium in corpore flavescente varios habet colores, quietos tamen, fulgore suo non adeo oculos pascens, hoc genus etiam lacteo colore visitur. Quartum Diaphanum est, parum cœrulei, aut flavi coloris in se habens, luci oppositum, si vertatur, in extremo cardine lucere propter lucis reflexionem videtur.

Hoc omnium ignobilissimum, idcirco & Pseudoopalus dicitur. Hujus generis unum ex Indiis, nostris navibus advectum teneo; alioquin ex Insulis Feroënsibus (ubi frequens) complures. Præstantissimi Opali in Indiâ inveniuntur, viliores in Cypro, Ægypto, Hungariâ.

Vires ejus quod attinet, ſunt qui omnium reliquarum gemmarum, quarum colores oſtentat, in ſe virtutes continere exiſtiment. Spiritus vitales recreat, venenis & contagio reſiſtit, Melancholicos affectus pellit, ſyncopen tollit. In primis hoc peculiariter ei tribuitur, quod geſtatus oculorum aciem roboret, & ei nitorem conferat. Duritie vero reliquis gemmis cedit, cum facile quovis metallo lædatur.

Huc forſan non incommode quis referat gemmam mihi nomine OCULI MUNDI à Clariſſ. Viro D. D. Otthone Sperlingio donatam, Onychen colore quodammodo referentem; Sed Opali modo quodammodo perſpicua eſt, luci applicata in candore luteum quid continet, corpori opaco ſi applicetur. A nemine delineatum vidi, niſi à Muſei Calceolarii autore Ceruto, ſub titulo LAPIDIS MUTABILIS. Cauſa nominis hujus hæc eſt, quod aquæ frigidæ impoſitus colorem mutet & plane flavus & perſpicuus reddatur, ſed inde extractus in priſtinum redeat ſtatum. Lubet ejus verba addere: Extat lapis non multum grandis, coloris cinerei, qui parum lucet, apud D. Chriſtophorum Furlegerum Noribergenſem, quorum etiam uberrimam habet ſupellectilem, cui lapidis mutabilis nomen attribuit (opali ſpeciem aliquam dixerim) Hic aquæ frigidæ & puriſſimæ impoſitus, parvo temporis ſpacio, proprio denudatus colore, alium induit, flavum nimirum, &, quod majorem facit admirationem, tranſlucidum valde: ubi verò ex aquâ extrahitur, depoſito colore illo, quem in aquâ contraxerat, proprium denuo intuentibus patefacit. Vide quæ nuper de hoc lapide commentatus eſt Clariſſ. Vir D. Johan. de Laet, occaſione ſumptâ ex eo quem ipſi tranſmiſi.

Major eorum, quos teneo, unguem minimi digiti non ſuperat, ovalis figuræ, utrinque politus. Sed de viribus hactenus nihil, præter jam dictum, reſciſcere potui.

OCULUS CATTI lapis dicitur coloris cornei, venis quibuſdam albicantibus, colorem fuſcum inficientibus; ita ut ex coloribus hiſce miſtis, & invicem agentibus, fulgor quidam oriatur, qualem in tenebris ex oculis felium reſultare videmus. Variæ ejus ſunt ſpecies, de quibus mox dicendum. Hic, de quo loquor, avellanæ eſt magnitudine, parte alterâ compreſſâ, alterâ in rotunditatem ovalem protuberante. Aſtroites Plinii vel Pſeudo-opalus eſſe non videtur, licet & eum Oculum Catti quidam vocent.

Majorem affinitatem cum Onyche aut Achate habet, quamvis diverſam ſpeciem eſſe arbitrer.

Indi perſuaſum ſibi habent, quod, qui hanc geſtant gemmam, divitiis non deſtituantur. Quidam ajunt lineum pannum ita compreſſum, ut ipſius gemmæ meditullium tangat, nullo igne uri poſſe.

Aliud genus Oculi Catti illud eſt, quod ab Illuſtriſſ. Principe Chriſtiano V. P. M. annulo incluſum accepi, & à Clariſſ. Viro D. Johan. de Laet; qui cum omnium optimè eum l. 1. de Gem. & Lapid. c. 14 deſcribat, ipſius verba recitabo. Gemma hæc, quæ Italis *Occhio di Gatta* appellatur, quia illius animalis oculum probè refert, & ſi invertatur in alterâ ſemper parte candidior & lucidior apparet. Conſtare enim duobus coloribus videtur, lacteo penè & fuſco, in medio veluti divortio quodam ſeparatis, qui utrinque obſcurius tranſlucent, ita tamen ut alteruter color magis lumen admittat. Inſpicienti hanc gemmam deſuper, dextra pars candida videtur, quomodocunque verteris. Imo ſi bene advertas, linea ſatis lata candida in medio videtur, & utraque latera fuſca. Ita ut certo certius ſit hanc coloris varietatem à lumine illi accidere. Habeo elegantiſſimam hujus generis gemmam aureo annulo incluſam, convexam & propè ovalem, in quâ ſæpe obſervavi quomodo hæc varietas ſe haberet. Ubi enim latus alterutrum, quà longiſſima eſt gemma, mihi obvertebam, tunc latus, quod mihi proximum & obverſum erat, candidius apparebat, averſum verò fuſcum. Variat quidem nonnihil pro ratione cœli quam aſpicis, ſed ſemper remotior pars fuſca eſt. Ubi autem obtuſum angulum mihi obvertebam, latus, quod ad dextram ſpectabat, candidius erat, & oppoſitum ad ſiniſtram fuſcum; idque utrumlibet angulum capias, & tunc linea illa manifeſto apparet, quaſi bipartita eſſet gemma.

Hæc vera & genuina delineatio eſt ejus quem à Sereniſſ. Principe accepi, ut & eorum quos ab ipſo D. de Laet habeo.

Franciſcus Ximenes lib. 4. cap. 18. ab Indis vocari ait, Holtzitziltetl, ab aliis Ojo di Gatto, & communiter ab Hiſpanis Tornaſole, ejuſque magnam copiam reperiri in Tototepec Provinciâ: ſed exiguos eſſe, & præ nimiâ abundantiâ viles.

Sed quia prima ſpecies, quam ante delineavimus, à Clariſſ. Viro D. Johan. de Laet etiam

etiam deſcribitur, ad majorem lucem ejus verba apponam loco jam allegato. Sunt ſatis grandes, inquit, qui toto corpore Onychinum colorem habent, & lineam ſatis conſpicuam in medio, plane candidam; in quibus tamen lumen non tam eleganter & clare mutatur, quam in jam dicto genere, licet omnino eadem natura videatur. Quanquam ſuſpicor optimè hanc Cerauniam poſſe appellari. Hæc ille.

Eſt mihi alius lapillus, majori Oculo Catti haud diſſimilis, figurâ convexus, & avellanæ dimidiæ magnitudine, ſed colores ab Oculo Catti diverſi, ſplendori enim Cryſtalli intermicant atomi quidam rubicundi, in altero extremitatum magis denſi, ubi & albidum quid conſpicitur. Convexa pars cum polita admodum ſit & ſplendens, plana talcoſum quid & rimoſum oſtendit; ut parum abſit, quin exiſtimem Cryſtallum eſſe tincturâ rubicundâ punctatim infectum.

Beli oculi ſpeciem eſſe autumo, exiguum lapillum, dimidii piſi magnitudine, hemiſphæricum, in cujus centro pupilla nigricat, quam ambit latus circulus, Margaritæ inſtar ſplendens, corneam referens; hinc ſequitur alter circulus tenuis, atropurpureus, quem excipit ejuſdem magnitudinis flavus, ex quibus duobus Iris quaſi conſtituitur, reliquum corporis fulvo eſt colore, Chelidonios obſcuriores referens. De hac gemmâ ita Plinius: Beli oculus albicans, pupillam tingit nigram, è medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter ſuam ſpeciem, ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo dicatur. Meus hic lapillus pupillam habet nigram, in albicante corpore, ut Plinius vult; ſed Iridem præterea exhibet cum corpore fulvo, ut putem Gemmam hanc eſſe quam Geſnerus de figuris lapidum vocat Lycophthalmum, ſic inquiens: Lycophthalmus quatuor eſt colorum, ex rutilo & ſanguineo, in medio nigrum candido cingitur, ut luporum oculi, illis per omnia ſimilis. Unde apparet eandem eſſe gemmam, & præcedenti quoque capite, ut Lycophthalmum, non Leucophthalmum legi oportere, deceptumque Agricolam, qui humani oculi ſimilitudinem illi tribuit. Forſan ad Aſterias referri poteſt.

Quamvis Margaritæ & Lapis Bezoar è terrâ, ut reliquæ jam enumeratæ gemmæ, non eruantur, ſed in animalibus generentur, ut hac de cauſâ huc referri non debere quiſpiam exiſtimare poſſet, attamen cum magno in pretio ſint, & ad ornatum ac luxum ut reliquæ gemmæ adhibeantur, huc ſpectare exiſtimavi, alium eis tribuat locum qui velit.

Margaritæ, Perlæ aliis dictæ, & cum majores ſunt, Uniones, Arabibus Lulu, Luſitanis Aliofar, Gemmæ ſunt notiſſimæ, opacæ, ſplendentes, in conchis genitæ, fulgore ſuo argenteo oculos mire recreantes. Plinius ex rore generari autumat, quando conchæ Margaritiferæ hiant & rorem matutinum (quem maris inſtar appetere volunt) captant, qui purus puras producit Margaritas, impurus impuras: ſed cum non ipſis teſtis & Conchis adhæreant, verum in ipſo corpore piſcis, teſtis incluſi, reperiantur, tam in illis, quæ in maris profundo capiantur, quam in littoribus captentur, aliam earum eſſe originem neceſſe eſt. Quinimo ſi Margaritæ Concharum partus eſſent, aliæ Conchæ etiam ſuos partus eodem modo efformarent, quod non animadvertimus: nec globoſis, ſed oblongis conſtarent cuticulis, quæ aptæ fiſſioni eſſent, ut reliqua bivalvia, nec unquam molles inventæ ſunt Margaritæ novellæ, ut partus exigui reliquarum concharum. Rectius igitur ſentire mihi videntur, qui Margaritas non ſecus in conchiliis generari autumant, quam lapides in aliis animalibus, & ex eodem humore provenire, quo teſtæ ipſæ.

Naturæ congruè de iis diſſerit Anshelmus Boëtius. Humor ex terreo viſcoſo, ac exacte in minimâ, ab aqueo animalis humore reſoluto conſtans, ſiccceſſit paulatim & induratur, ac certo tantum tempore ab animali, pro teſtæ fabricâ, eructatur. Hinc fit Conchas multiplici conſtare cute, dum poſterior exſiccatur, priuſquam nova adjiciatur. Dum humor ille ab animali morboſo eructari & expelli non poteſt, ac in corpore hæret ac detinetur, ſi ibidem exſiccetur, rudimentum atque initium fit Margaritæ, quæ, adjecto ſæpius novo humore eoque exſiccato, cute ſubinde novâ augetur, ac in unionem abit, non ſecus ac in fellis veſiculâ & urinæ veſicâ lapides generantur, quorum materia, quæ per urinam excernitur, dum in corpore veſicæ detinetur, ibidem exſiccatur & in lapidem abit. Conchæ, quæ Margaritas habent, facile ab aliis diſcernuntur, cum tuberoſæ ſint & deformes, non verò æquales & benè formatæ, ut reliquæ.

Perſicæ Margaritæ omnibus præferuntur, Reperiuntur tamen etiam in multis aliis Indiæ locis, in primis ad promontorium Commorin & Inſulam Zeilan: Orientales

Occidentalibus, quæ variis in locis Europæ, etiam Daniâ, Norvegiâ, & Scotiâ inveniuntur, præferuntur.

Plerumque hæc lacteſcunt & argenteum ſplendorem, & ſuperficiei polituram tantam non habent, ut quis exacte, ſpeculi inſtar, propriam faciei formam in eâ intueri poſſit. Quamvis ex Norvegiâ & Scaniâ allatas habeam, quæ Orientalibus non cedant. Apud nos in Oſtreis maximâ ex parte, ut & Mytilis, (ſed impuriores ſunt) reperiuntur.

Apud Indos duo Concharum genera ſunt, è quibus petuntur, ſed alterum ſterile eſt. Prius Indi vocant Cheripo, læve & candidum, ex quo cochlearia & alia ejus generis parantur præſtantiſſima. Hinc petuntur Margaritæ. Alterum Chanquo dictum, nobis eſt mater perlarum, cum tamen perlas non ferat, ſed, ob lævorem & ſplendorem internum, Margaritas æmulantem, hoc nominis obtinuit, & ad incruſtationes variorum operum accommodatur. Invenitur quandoque Margarita, minoris piri magnitudine, qualis illa, quam in coronâ Imperatoris Rudolphi vidit Clariſſ. Vir D. Anshelmus Boëtius, triginta aureorum millibus empta. Sed major procul dubio fuit Cleopatræ, quæ æſtimata centies Seſtertium, ſeu ducentis quinquaginta millibus aureorum computante Budæo.

Margaritæ vitia contrahunt & ſeneſcunt quaſi, cum flavedinem induunt, ſed reſtituuntur detractâ ſuperiore cuticulâ ſpiritu vitrioli: verùm quia aliquid earum detrahit magnitudini & pretio, alii pulvere Alabaſtri, coralli albi, vitrioli albi & tartari albi eas mundant & reſtituunt. Quidam columbis devorandas præbent, quidam Orizâ & Sale fricant. Maculas tollunt rore Majali, in foliis lactucæ collecto, ſi in eo per diem macerentur.

Præterquam quod ornatui inſerviant Margaritæ, in Medicinâ uſum habent inſignem, cor & ſpiritus vitales roborant, venenis & putredini reſiſtunt, animum exhilarant, Melancholiam & mœrorem pellunt, Syncopi medentur, phtiſicis & tabeſcentibus conducunt, febrium ardorem & malignitatem compeſcunt, peſtis contagio reſiſtunt, ad ſanguinis profluvia, Dyſenteriam, Diarrhœam, magno cum emolumento exhibentur, facultati animali deſtinata, ejus organa conſervant, cerebrum roborant, oculos tuentur, ſpiritus animales firmant, lac muliebre augent & emendant.

In hoſce uſus varia ex iis præparantur. Extant in officinis pulveres compoſiti, Diamargariti calidi & frigidi, Aquæ perlatæ, manus Chriſti, ſeu Rotulæ perlatæ. Chymici Magiſteria, Salia, Tincturas, Olea, Arcana, Quintas eſſentias hinc præparant, & magnis extollunt præconiis. Quæcunque ex iis conficiuntur, inter cordialia laudem obtinent ſummam.

Hiſce ob virium præſtantiam & pretii magnitudinem annumeratur LAPIS BEZOAR, à Perſico Pazar, vel Pazan, quod hircum notat, ſecundum quoſdam, ſic dictus, vel potius ab Hebraico & Chaldaico Beluzaar, quod dominum veneni ſignificat, Bel enim dominum Chaldæis notat, Zaar venenum, quod præſtans ſit in venenis domandis. Lapis eſt mollis ex variis cruſtis coagmentatus, in animali capream referente genitus, figurâ variâ, oblongâ, orbiculari, modo compreſſâ, modo renem referente, colore nunc nigricante, nunc ſubcinereo, nunc flaveſcente; ut plurimum eſt pullus, ſpadiceus, ex viridi nigricans, magnitudine diverſâ, in ſuperficie lenis & blandus, in meditullio concavus, vel feſtucam, vel radicem, vel aliud quid continens. Sereniſſimus Rex noſter unum poſſidet magnitudine Ovum Struthiocameli æquantem.

Duo ejus genera conſtituunt, Orientalem & Occidentalem: ille ex Indiâ Orientali, Perſiâ, Ægypto, Chinâ, Cathajo, & vicinis regionibus adfertur. Generatur verò in ventriculo animalis Pazan dicti Perſis, quod Capræ Sylveſtris cornutæ ſpecies quædam eſt, figurâ cervi, cornua duo gerit, ex fuſco colore nigricantia, recta fermè, lata, nodoſa, in extremo mucronata, qualia delineat Cluſius ad librum 1. Garciæ cap. 45. pilo brevi, colore cinereo & rufo. Occidentalis ex Americâ & Peruviâ adfertur, ſed in alio, quamvis non diverſo, animali generatur, ruffi coloris magnâ ex parte, ita fugaci, ut ſolo tormentorum æneorum ictu id aſſequi detur, cornibus vero caret. Lapides reperiuntur in receptaculo ſeu marſupio quodam, faſciæ modo confecto, & villoſâ carne conſtante, duorum palmorum longitudine, trium unciarum latitudine, parte anteriore adhærente. In hoc Marſupio herbæ ſalutiferæ quas vocant recipiuntur, donec ruminatæ in ventriculum trajiciantur. In eo verò generantur lapides Bezoardici, eo ordine & modo diſpoſiti,

ſpoſiti, quo nodi in anteriore thoracis parte, ita ut ſemper alius alio major ſit. Materia unde generatur, eſt ſuccus ex herbis præſtantiſſimis elicitus, viſcoſus & terreſtris. Joh. Nirenbergius à Peruanis Vicanam vocari ſcribit, cornubus carere, ſimilem eſſe capræ ſilveſtri, gaudere montanis & rupibus, frigus & deſerta amare, gelu & nive recreari. Incolæ ea ad ſtragula tondent, lana vero eorum delicata eſt, & ſubtilis inſtar ſerici, nullâ opus habens tincturâ. Franciſcus Hernandus, citante eodem Nirenbergio, varia recenſet animalia, in quibus hi lapides in Americâ reperiuntur, quamvis ſolum efficaces eos ſtatuat, qui eruuntur ex animalibus quæ herbas ſalubres depaſcuntur. Sic namque concludit: Vix eſt cervorum caprarumve genus ullum, in cujus ventriculo, aliâve corporis parte internâ, ſuapte ſponte, ex ipſis alimoniæ excrementis lapis hic, qui etiam in tauris vacciſque ſolet offendi, non paulatim concreſcat & generetur, multis ſenſim additis & adhærentibus membranulis, quales ſunt cæparum; ideoque non niſi in vetuſtiſſimis, ac ſenio jam confectis reperiuntur, neque ubique, ſed certis ſtatiſque locis ea ſuppetit materia.

Lapis, qui in Canthis oculorum Cervi reperitur, etiam pro Bezoardico venditatur: ferunt ita generari ex Plinii ſententiâ lib. 29. cap. 9. Cervi ſpeluncas, in quibus colubri & ſerpentes verſantur, adire ſolent, quos ſuo anhelitu ubi elicuerint, vorant, vel ut ſe ab ægritudine quadam liberent, vel ut rejuveneſcant. Hiſce ſaturi, feſtinanter ad aquoſa loca contendunt, totoſque ſe in aquam mergunt; præter anteriorem capitis partem, ut calor, quem ex veneno contraxerunt, temperetur. Dum in aquâ hærent, in oculorum angulis generatur lapis; qui ex aquâ regreſſis decidens, in uſus medicos colligitur. Quidam hunc lapidem dari, & Bezoardicum eſſe negant. Mihi eo nomine fruſtum datum eſt ab amico, quod diverſum ab Orientali & Occidentali lapide Bezoardico apparet. Nec enim cruſtis conſtat aut tunicis ſe ſuccedentibus, medullam habens cineream, duram, cortice tectam albicante, exteriore ſuperficie ex fulvo nigricante, maculoſo.

Melioris lapidis Bezoardici notæ hæ ſtatuuntur: ſi ex capricervis Orientalibus, in montanis paſcua habentibus, ſit depromptus, unde Perſicus præfertur Malacenſi: qui ex nigro ſeu varo colore virideſcit, cujuſque pulvis ſubviridis eſt: qui, ablatâ cruſtâ ſuperiore, inferiorem ſplendentem habet, qui in meditullio concavus, aut arenam lapidis ſubſtantiæ ſimilem habet; qui in aquâ aut vino liqueſcit, nihil continens arenoſi: ſi calce vivâ, aquâ admiſtâ, ungatur lapis, ac illa paulo poſt flaveſcant. Quidam chartam cretâ fricant, deinde ſupra Cretam lapidem; ſi frictionis linea viridis appareat, legitimum cenſent. Quidam acu ignitâ lapidem perforant; ſi fumum de ſe ſpargat, adulteratum credunt. Certior tamen nota non datur, quam ſi venenum animali præbeatur, & oblato lapidis pulvere incolumis evadat.

Mire à multis ejus deprædicantur virtutes, adeò ut extiterint, Hernando teſte, qui nulli non morbo auxiliari crediderint; & ſolius hujus lapidis præſidio Medici, ſententiâ ſuâ, conſummati evaſerunt, pro talibuſque ſeſe impudenter venditarunt. Interim ejus vires in ſequentibus affectibus ſæpe ſunt exploratæ: Venenis peculiariter reſiſtit, ac cordi robur conciliat; ad Syncopen granorum quatuor pondere datur in aquâ aliquâ cordiali, felici ſucceſſu in ipſo paroxyſmo, vel paulo ante ad cordis Palpitationem, Melancholicos affectus, Quartanam, Lepram, Scabiem, valde commendatur. In Epilepſiâ cum aquâ liliorum convallium, Ad Lumbricos, cum aquâ graminis aut cardui benedicti, mira præſtat. Peſti, febribus peſtilentialibus, & contagioſis, variolis, morbillis, petechiis, papulis malignis, cum aquâ cardui benedicti adeò reſiſtit, ut non ſolum ab iis præſervet, ſi quotidie grana duo cum aquâ aliquâ cordiali exhibeantur, ſed etiam granorum octo vel decem pondere cum vino exhibitus, adverſus Napelli, Arſenici, animaliumque virus, præſentiſſimum eſt auxilium. Purgantium malignitatem retundit, Chronicis morbis ex humoribus aut flatibus ortis ſuccurrit. Imo ad juventutem conſervandam, vires reſtaurandas, membra roboranda, Indi ipſi eo utuntur, præmiſſâ purgatione, per quinque dies continuos ejus grana decem exhibendo.

Sed non intra modo ſumptus, ſed & extra adhibitus mira præſtat. Si alligetur lateris ſiniſtri brachio, ut cutim nudam tangat, venenis reſiſtit, & cor à malignitate tuetur. Ad morſus animalium venenatorum valet ſi ejus pulvis vulneri inſpergatur, item in vulneribus à telis intoxicatis inflictis, peſtilentibus Carbunculis apertis ſi inſpergatur, venenum omne exſugere creditur.

Mirum

Mirum quod oculis meis vidi: Lapidem Bezoardicum insignem, ovi Gallinacei magnitudine, manibus ab homine maligno gestatum, & leviter tactum saltem, ruptâ exteriore tunicâ in frusta dissiliisse, magnâ adstantium admiratione.

De modo exhibendi non omnium eadem est opinio: quidam aliis miscent Alexipharmacis, & mediis morbis appropriatis, ut efficacius vires suas exserat: alii solum & nullis nisi vehiculo suo mistum propinant, existimantes ejus vires ab aliis hebetari; nec sine ratione, quia rerum sæpe occultus & homini incognitus est dissensus, quo unum alterius vim refringere & impedire valet, quam exseruisset, si utrumque solum exhibitum fuisset. Quocirca recte suadent, qui vel ante, vel post ejus usum, ægris nihil præbendum censent, antequam vires suas exseruerit. Anshelmus Boëtius, tam nobile medicamentum, perpetuo solum exhibendum vult, si certum commodum inde sperandum. Quod & ipse experientiâ sæpe compertum habui.

De dosi legitimâ tenendum, Indos ad præservationem & puerulis sæpe duo saltem exhibere grana. Avenzoar tribus granis curasse quendam Icteritiâ ex veneno laborantem gloriatur. Serapio ad decem grana ascendit, Garcias ab Horto Indos ad vires conservandas decem grana sumere asserit. Sunt qui in parvâ dosi parum præstitisse ubi animadverterunt, eam auxerunt. Sed neminem vidi qui ad Drachmam unam ascenderit, excepto Zacuto Lusitano, qui lib. 1. Hist. Med. Princip. in commentario ad Historiam 36. Leonoræ cuidam febri malignâ laboranti Drachmam unam exhibuit, magno cum successu. Adulteratum procul dubio, aut deterioris notæ fuisse oportet. Nam ipsos Indos hos lapides adulterare docet Manardus, tractatu de lapide Bezoardico. Cujus generis ille est, qui in Museo Calceolarii extat Ovi Anserini magnitudine, In Brasiliâ elaboratus ex Resinâ, fructu Crumacino, Radice Drakenæ, Contrajervâ Lusitanis dictâ, qui in superficie flavescit, intus cinerei est coloris.

LIBRI

LIBRI PRIMI
SECTIO TERTIA,
DE
METALLICIS.

CAP. I.

Quid Metallum ?

EXPEDITIS Fossilium duobus primis generibus, mediis nempe Mineralibus & Lapidibus, ut tertii genera, quæ in Museo nostro servantur, pari brevitate expendamus restat. Hoc autem nomine METALLICORUM, complexi sumus, intelligentes tam ipsa Metalla proprie sic dicta, quam Metallis affinia: sive ea in fodinis propè Metalla, sive in Metallorum separationibus, fusionibus & præparationibus ab iis segregentur.

De METALLIS ἀπὸ τῆς μεταλλᾶν, quod inquirere notat, dictis, (vel ut Plinius vult ab ἄλλα μετὰ ἄλλα, unum post aliud, quod post alia commoda quærantur) ut primo agamus, tenendum Metalli vocem variè ab Autoribus sumi, vel pro fodinâ ipsâ ex quâ Metalla proprie dicta eruuntur; vel pro venâ ex quâ excoquuntur, vel pro fodinis aliarum rerum, quo pacto Onesicratus Metallum Rubricæ in Carmaniâ esse scribit, Salis in Lybiâ. Proprie verò est genus quoddam fossilium, quod Aurum, Argentum, & cætera ejus generis complectitur. Quod in hunc modum describi potest. Metallum est corpus perfecte mistum, non vivens, sed viventi æmulum, à Deo in venis creatum, ex terrâ subtilissimâ & halitibus pinguibus ex terrâ & aquâ, per calorem mistis, ut inde Sulphureum & Mercuriale semen fiat, ex quo Metalla generari possunt: quæ accedente salino principio concrescunt & indies incrementa capiunt, donec pura & perfecta reddantur, igne fusilia, ictuque in longum & latum ductilia.

De eorum generatione variè disputant Philosophi: rem breviter hisce complexi sumus. Exhalationes vaporosæ ab Aristotelicis allegatæ, non nisi remotæ causæ censeri possunt Materiales, utpote ex quibus Mercurius & Sulphur generetur, quæ Seminale principium à Deo iis inditum continent. Quod evincunt Metallorum coctiones, probationes, resolutiones, omnesque eorum proprietates. Locus est terra montana, lacustris, & aliud Metallum.

Metallorum proprietates & affectiones communes sunt: 1. Fundi à calore, & à frigore concrescere, quo plus continent Mercurii, eo facilius funduntur; quo plus Sulphuris, eo difficilius, quo plus Mercurii iis additur, eo molliora & ad fusionem aptiora reddunturur. 2. Duci & ad malleum extendi, eandem ob causam. In quibus exacta est mistura humiditatis Mercurialis cum Sulphure analogo, facilius ducuntur & malleo extenduntur, quam in quibus est vitriolati Sulphuris & Salis, aut terræ Metallicæ. 3. Mercurium imbibere, ob principii affinitatem. 4. Addunt alii transmutationem, de quâ multi dubitant, attamen experientiæ & oculari demonstrationi fides haud deroganda. Ferrum in cuprum multis in locis Natura ipsa mutare nititur, Mercurius in plumbum levi artificio redigitur; vide à Bartholino in hunc finem adducta libro de corporibus perfecte mixtis inanimatis cap. 2. quæ Florentiæ & Basileæ observavit, nos ipsi oculis nostris vidimus. Consule tractatum Deinhemii de Medicinâ Universali.

Dividimus Metalla in vera, quæ notas & proprietates omnes à nobis enumeratas habent: & sui generis, seu improprie dicta, quæ in aliquibus deficiunt. Vera sunt perfecta vel imperfecta. Perfecta, quæ substantiâ & accidentibus sunt absoluta, & ita suis principiis temperata, ut ignis examina sine ullo detrimento sustinere possint, late distendi, ac dilatari, & facile Mercurio jungi, quod in auro & argento videre licet. Imperfecta haben-

tur, quorum principia non ita matura, bene excocta, fixa aut pura ſunt: unde in ignis examine multum iis decedit, multum in ſcoreas, vitra, lapides aliaque impura corpora vertitur. Hæc rurſum vel dura ſunt, vel mollia. Illa prius igniuntur quàm funduntur, ut æs & ferrum; hæc funduntur antequam igniuntur, ut ſtannum & plumbum.

CAP. II.

De Auro.

AURUM Metallorum puriſſimum, quidam à veteri verbo aurâ, quod ſplendorem notat, derivant; unde illud Virgilii: —— *Auri per ramos aura refulſit.* Eſt verò Metallorum puriſſimum, perfectiſſimum, è Mercurio puriſſimo, perfectiſſimè excocto, & Sulphure rubro, præſtantiſſimo & fixiſſimo exacte miſtis & unitis conſtans. Omnia ignis & aquarum fortium examina ſuſtinens, ponderoſiſſimum, maxime ductile, fulvo colore rutilans.

Quamvis aurum fundi & liquefieri poſſit, tamen dum funditur nihil plane de ejus ſubſtantiâ decedit: imò quo ſæpius arſerit, eo præſtantius redditur, quo nomine etiam pretioſiſſimum cenſetur. Nullâ rubigine aut ærugine tentatur, etiamſi acribus rebus fricetur ac tractetur. Nullas ut reliqua Metalla lineas ſui aut alterius coloris poſt ſe relinquit niſi coticulâ atteratur, & tunc ſui ſimillimas ponit. Manibus tractatum non inficit, cum Mercurio facillimè unitur, cui reliqua Metalla, etiam plumbum ipſum innatat, ſolum aurum mergitur, quod ponderoſiſſimum illud eſſe arguit. Molle tamen eſt, ut facile à duriore corpore atteratur, adeò ductile & tenuium partium, ut, Cardano teſte, tertia pars grani extendi poſſit in filum longitudine centum triginta quatuor pedum, & unica auri uncia in eam ſubtilitatem & tenuitatem duci poſſit, ut decem terræ jugera tegat. Ex ſingulis ejus denariis quinquaginta fiunt bracteæ ſenum utrinque digitorum, quibus aurifices utuntur, triplo plures quibus pharmacopolæ & pictores. Ego Caſellis in Principis Mauritii theſauro rerum Naturalium, ex unicâ ejus Drachmâ equum fabricatum vidi, omnibus lineamentis vivum æmulantem, longitudine pedis Romani, altitudine ferme pari, qui præ tenuitate palpari manibus vix potuit.

Aurum aliud ſtatim ſuum, quod Græci vocant ἄπυρον, quod ignem expertum non eſt, alii obryzum vocant: aliud igne ab aliis ſeparatur. Illud aut è terrâ effoditur, aut lavatur in rivulis, aut in animalibus reperitur. Quod è terrâ effoditur, aut ſincerum & ſolidum eſt, aut ſcintillis lucentibus tinctum; quale eſt quod lapidi Lazuli adhæret, aut lapidi fiſſili. In venis propriis, vel ſaxis ſplendore candidis ineſt, vel pyriti proprio, vel pyriti ferri, quandoque in glebis, quandoque in arenis reperitur & colligitur. Quod lavatur ex rivulis & aquis, quandoque formam granorum & maſſularum habet, quandoque ex nigris lapillis excoquitur, in quibus modò ſcintillarum, modò bractearum inſtar micat. In Animalibus, piſcibus nempe, Trutis ſeu Forellis dictis, inveniri quoque volunt. Quod de aureo dente pueri Sileſiaci à multis jactitatum, impoſturam & fucum fuiſſe egregiè demonſtrat Clariſſ. Sennertus lib. 2. Praxeos parte 1. cap. 13.

Aliud aurum ab Argento ſeparatur, quod ἄπεφθον vocant, quidam volunt Obryzum dici, aliud Argentoſum ſeu λεύκον à colore candido appellatum, quod in Pannoniâ reperitur; quandoque in Pyrite ferri, quandoque in proprio ſaxo. Mirum quod refert Alexander Neapolitanus Genial. dierum lib. 4. ſe à fide dignis autoribus comperiſſe, in citeriore Germaniâ intra Danubium vites exiſtere, quæ claviculos & plerumque candicantia folia ex puro auro germinent, quæ Regibus & ſummis ducibus dono datæ ſunt.

Auri uſus in Medicinâ magnus, Antidotum Arſenici ſtatuitur, ſcobe vulgo utuntur ad variolarum & morbillorum eruptiones & expulſionem, cor & ventriculum roborat. Ad Lepram, Epilepſiam, Melancholiam, Syncopen commendatur, ſpiritus vitales roborat, mœrorem pellit, cardiacæ medetur. Hæc autem omnia efficacius præſtat, ſi artificiosè modo Chymicis noto fuerit elaboratum & in liquorem redactum. Alii artifices ex eo varia elaborant, nummos, monilia, annulos, bracteas, catenas, aliaque infinita.

Auro neto utuntur Phrygiones, aliaque opera ſubtilia fabricantes. Quæ apud Hiſtoricos reperiuntur mira, ex auro fabricata, recenſere non vacat: videatur Agricola & Georgius Fabricius.

Quia divina benignitas nobis etiam in hiſce Septentrionalibus Auri venas indulſerit,

ſerit, de iis pauca, quæ fide dignâ relatione & experientiâ comperta tenemus, addenda.

Anno MDCXLIV. Nobiliſſimus D. Joh. Sigfridus de Luticha w, Rei Metallicæ in Norvegiâ Præfectus Generalis, mineram auri invenit in tractu Necneſenſi prope portum Arindalenſem & Curiam Barló, nigram, talcoſam, frequentibus ſplendentem micis, in cujus bonitatem cum inquiſiviſſet, invenit pondo centenarium ejus mineræ præbere auri puri marcas triginta octo, cujus ſpecimen ad Regiam tranſmiſit Majeſtatem, & inſuper centum quadraginta ſex marcas argenti, cujus etiam portio tranſmiſſa eſt. In cujus fidem manum ejus cum mineræ portiunculâ Drachmarum trium pondere teneo.

Aliam alterius venæ maſſam Anno MDCXLVI. accepi, quæ ignibus depurata, ex librâ unâ, auri puri dedit Drachmas ſex, præſente Majeſtate Regiâ. Fruſtum, quod teneo, minutioribus ſplendet micis, & priori magis ad rubedinem vergit, pendet unciam unam & Drachmas duas.

Adductæ ſunt ex eodem loco mineræ, talcoſæ itidem & frequentibus granatis prægnantes, quas auro ſcatere multi exiſtimant. Hanc mineram Anno MDCXLVI. Regi ipſi detexit ruſticus quidam Gammel Grodevin dictus. Sita fodina eſt ad portum Marrede dictum.

Ex tractu Nidroſienſi lapis quidam arenoſus, aureis ſcatens ſcintillis & granulis minutis, mihi allatus, ut & talci aurei nigreſcentis ſquammulæ, ex quibus aurum erui volunt, cujus quoque mihi tranſmiſſa eſt portio, granum unum aut alterum pondere æquans. Quod tamen nec colore, nec bonitate prioris attingere puritatem videtur.

In argentifodinis Norvegiæ prope Regiomontum puteus, Brunſvigum dictus, aurum præbet, refert namque D. Normand, quod Anno 1630. 30. April. 7. Marcæ & 6. Unciæ cum dimidiâ, unciam ſemis auri obtinuerit.

Auri minerâ Cremnicenſi me donavit Nobiliſſ. Roſtrupius Giedde, cujus centum pondo dant auri puri Marcam unam.

CAP. III.

De Argento.

LATINAM Argenti vocem à Græco Ἀργύριον factam volunt, quod ἀπὸ τοῦ ἀργοῦ derivant, color enim ejus excellentiſſimus eſt candidus. Metallum hoc perfectum, auro proximum eſt, ex Mercurio & Sulphure fermè fixis conſtans, inſtar auri ductile, pondere tamen eo, ut & plumbo, levius, ignis vim ſentiens. Magis de Mercurio, quam Sulphure participare, tum ex colore, tum liquefactione colligunt: Sulphuris verò indicium, odoris Sulphuris vehementia, quando funditur & depuratur, naribus percepta.

Ad auri verò fixitatem non accedere, patet ex eo quod in Cæmento Regali, & Antimonio & Sulphure, aliquid de eo pereat & comburatur, cum illi fuſo admiſcentur. Quin & aquis fortibus tactum, aut earum vaporibus infectum, rubiginem cœrulei coloris emittit, Pictoribus utilem.

Argentum dividi poteſt in illud quod purgatum & excoctum eſt arte, Martiali puſtulatum dictum, cum Phialam ex Argento fabrefactam felicem puſtulam vocat: & Naturale, ſine artis operâ à Naturâ repurgatum. Hoc vel effoditur ex terrâ, vel in fluminibus reperitur, per fodinas & montes decurrentibus, ex quibus aliquid abradunt, quod deinde colligitur: ſed hoc raro & paucis admodum in locis.

Quod effoditur Argentum, vel purum putum eſt & ſtatim ſuum, ſine fornacum ope factum, ita in venis repertum, ſui coloris, cui quandoque aliquid adhæret lapidis ex quo abreptum. Germani gediegen Silber vocant. Vel Rude Metallis & aliis rebus permiſtum. Quod purum putum & ſtatim ſuum eſt, variis figuris præditum apparet, cujus exempla, quæ in Muſeo tenemus, hic enumerabimus; ſi prius monuerimus non in omnibus argenti fodinis hoc inveniri, adeò ut an tale detur dubitaſſe videatur Plinius aliique veteres. Non occurrit in Rhetiâ, Norico, Daciâ; ſed in quibuſdam Miſenæ fodinis, licet non omnibus, & in Norvegiâ in Regiomonte frequentiſſimè & in magnâ copiâ, ut exinde maſſæ quandoque exſcindantur, pondere aliquot centenarum librarum.

Grandis cujuſdam maſſæ argenti puri mentionem facit Agricola, lib. 8. de foſſil. cap. 5. è fodinâ cui Georgio nomen, Snebergi eruti, cujus videndæ gratiâ cum Alber-

tus Saxoniæ Princeps in fodinam descendisset, eâ, cum stipatoribus corporis, pro mensâ usus dicitur fuisse, ac dixisse: Fridericus Imperator potens ac dives est, hodie tamen ejusmodi mensam non habet. Multorum talentûm hanc massam fuisse arbitratur. Non minor fuit illa, quam Serenissimus Rex noster CHRISTIANUS IV. ex fodinis Norvegiæ erutam, tribus millibus Dalerorum, hoc est talentis quinque æstimatam, ex quâ etiam tot Daleros confici curavit, quos Scholæ Fridericiburgensi devotè legavit. In puteo BENEDICTIO DIVINA dicto inventa est massa argenti puri, Anno 1629. 7. Maj. pondere 130. Marcarum.

Mihi varia sunt specimina diversarum figurarum ex iisdem fodinis petita. Argenti statim sui elegans & præclara est massa pondere unciarum duodecim, dono Nobilissimi Viri D. Stenonis Beck Thesaurarii Regii; quæ vitem ramis suis variè diffusam æmulatur. Ex radice enim latiusculâ & fibratâ exsurgunt ramuli varii, qui juxta exortum crassiores truncos exhibent, qui variè distorquentur & se invicem amplectuntur, donec in tenues desinant ramos & fibras. Sed duos majores longius à se projectos truncos ostendit, quorum alter stipitem aut caulem plantæ angulosum refert, alter tenuior, sed longior, priori se implicat & ad radicem rursum descendit. Hinc inde, præsertim ubi spissius implicantur, argenti capillaris & lapidis Quartzi ostentat fragmenta jucundo spectaculo. Videtur Natura lusu suo vegetabilem vim hic exseruisse, quæ vitem sarmentis suis variè intricatam effingeret. Colore plumbeo inficitur, qui tamen leni affrictu perit, & nitidum relinquit Metallum. Longitudine est pedis unius, latitudine unciarum quatuor.

ALIUD tres uncias pondere æquat, quod tamen majus longe fuisse patet ex eo, quod ex duobus lateribus partes satis magnas deceptas fuisse, vestigia securis latera hæcce plana & æqualia reddentia doceant. Cum alioquin reliquum massæ corpus, quod ad triquetrum accedit, figurâ inæquale & asperum sit.

RAMOSUM, instar virgultorum & ramorum sese diffundens hisce adjacet, vitem quodammodo referens, frondium & surculorum miris plexibus luxurians, secum particulas lapidis specularis trahens, ex quibus emergit, suas radices mire implicatas ostentans. Exterior ejus superficies plumbei est coloris, qui levi affrictu perit & locum relinquit candido argentoso, quibusdam in locis ad aureum inclinanti; uncias ferme duas pondere æquat. Ex fodinis Norvagiæ attulit Vir Clariss. D.D. Nicolaus Fossius, cujus dono possideo.

Ejusdem rudimenta in alio lapide speculari habeo, ex eâdem procul dubio venâ, sed tantâ ubertate, ut prior massa, non luxuriat.

FURCATUM, cornu Cervini figuram æmulatur, purum putum, sine omni lapidis aut Venæ permistione, eleganter divaricatum, suisque ramulis & surculis juxta extremitates donatum. Drachmas sex æquat.

ACUMINATUM, hamum referens incurvum, apicibus acuminatis utrinque dotatum, colore albo argenteo, fulvi nonnihil, ochræ instar, in striis adhæret, planè alterâ suiparte simile est Dentiscalpro incurvo, quod arte ex auro aut argento fabricare solent aurifices; alterâ rostro corvino.

CRISPATUM Abrotani fruticem fermè æmulatur, densè stipatis ramusculis, sibi invicem incumbentibus.

Huic affine ASPERUM, variis extuberantiis præditum, ab alterâ parte Ochrâ quasi quadam infectum; alterâ sinu suo elegantissimos quosdam flores Amethystinos, instar gemmarum, fovens.

BRACTEATUM lapidi cui innascitur (marmori cinereo scilicet) instar laminæ aut bracteæ incumbit, eumque quandoque quasi perforat.

CAPILLARE mihi est duûm generum, Crispum & Contortum alterum; alterum ex spissioribus capillis, subtilissimis, planis, telis aranearum simillimis constans.

Præter enumeratas Argenti puri statim sui species, variæ particulæ elegantes, quas vulgo vocant Gaud-stein / ab amicis accepi; in quibusdam Amethysti visuntur, in quibusdam Crystalli; quædam Draconem cum Leone pugnantem, quædam capillorum Cirrhos intricatos, quædam arbores, frutices, & infinitos Naturæ lusus exhibent, quas minutius describere ac delineare nimis foret operosum, ac cum oculari inspectione melius dignoscantur, demonstratione reliqua supplebimus.

ARGENTUM RUDE non dicitur illud quod quidem purum est, sed nondum flatum

flatum ſignatumque, in quâ ſignificatione à Varrone ſumptum videtur, ſed quod terram vel lapides ſecum habet, qui ab eo ſeparari debent, antequam Metallum purum reddatur. Seu, ut Agricola in Bermanno illud definit, quod quidem argentum eſt, ſed colore diſtat, & ad hoc ut argenti colorem acquirat indiget excoctione. Ubi argentum in hiſce viſibile apparet, ein Gaud-ſtein vel Silbererz vocatur. Hoc autem argentum rude, quamvis externis coloribus differat, eſt enim plumbei coloris, cineraceum, nigrum, album, rubrum, purpureum, Jecoris colore, luteum, intus tamen ſuum genuinum habet colorem, qui, quando graviorem plagam lapis ſenſerit, emicat atque apparet. In hoc genere optimum cenſetur, ex cujus centum libris nonaginta & amplius puri conficiuntur, quale crebro in Regio monte Norvegiæ reperitur. Sed ut coloribus, ita & figuris differt argentum rude. Sæpe agnatum ſaxis lapidibuſque oculi figurâ extuberat. Sæpe uvæ ſpeciem præ ſe fert, nonnunquam globoſum & rotundum in lapide concluditur.

Aliquando in virgularum & rerum diverſarum figuràs formatum. Hic differentias quaſdam ratione colorum exhibebimus, quas ex monte Regio Norvegiæ, dono Nobiliſſimorum virorum D. Chriſtophori Urne de Aſmark, tum Regni Daniæ Senatoris & Norvegiæ Pro-regis Prudentiſſimi, nunc Regni Daniæ Cancellarii Magnifici, ut & Nobiliſſimi Jani Bielkii, Cancellarii Regni Norvegiæ meritiſſimi, maximâ ex parte tenemus. Quorum præclarum ſtudium literatorum conatus promovendi ſi plures imitarentur, rerum Naturalium theſaurum & Hiſtoriam, eorum ſummâ cum gloriâ, plurimum locupletatam haberemus.

Primas tribuimus ARGENTO RUDI FOSSILI SUI COLORIS, Gediegen Silbererz / ex cujus libris centum, plus quam nonaginta conficiuntur puri argenti. Hujus licet aliquot mihi ſint particulæ, propter terræ & Marmoris admiſtionem, coloribus aliquantulum variantes; attamen inter eas excellit una, libræ dimidiæ pondere, variis epiphyſibus & extuberantiis prædita, colore argenteo ſplendido, cui ab unâ parte argenti rudis purpurei quippiam admiſtum. Quam manu ſuâ è fodinis extraxit Sereniſſimus & Potentiſſimus Rex noſter CHRISTIANUS IV. cui Deus in æternum benedicat; mihi verò ab Experientiſſimo Viro D. D. Petro Paynk dono data, parum admodum Marmoris, ſeu Alabaſtri nivei admixtum habet, grumoſa alioquin & pro ratione magnitudinis ponderoſa ſatis.

Succedit ARGENTUM RUDE PLUMBEI COLORIS, Germanis Glas-erz / quam tamen appellationem non immerito carpit Agricola, cum nullam plane cum vitro habeat affinitatem, colore verò Plumbum vel Plumbaginem, quâ tamen obſcurius paulo eſt, adeo æmulatur, ut oculorum acie ea diſcernere nemo rerum Metallicarum imperitus queat, licet multum inter ſe naturâ diſcrepent.

Plumbago enim ſeu Galena ex Plumbo & lapide conflata eſt, cui nonnihil quandoque adjungitur argenti: ſed argentum rude Plumbei coloris ex paucâ terrâ & multo argento conſtat.

Plumbago in mortario piſtillo in pulverem redigitur. Rude hoc dilatatur. Plumbago malleo percuſſa, morſu compreſſa, cultro vulnerata diſſilit; argentum hoc dilatatur & diffinditur.

Quamvis quandoque & durum reperiatur, ejus generis quod ſolo cote probatur, & coloris dilutioris eſſe ſolet. Generatur variis figuris, quandoque Maſſæ ſatis grandes in canalibus occurrunt, quandoque inſtar arborum, virgarum, variorumque inſtrumentorum artificialium. Ligonem & malleum à Naturâ affabre elaboratum vidit Agricola: piſciculos, veſtigia Leonina & Lupi Encelius. Veteribus prorſus incognitum fuiſſe hoc genus argenti exiſtimat Agricola. Mihi duo ejus ſunt genera, durius & mollius. Durum, inæquale, & aſperum ad Galenæ naturam, vel potius colorem proxime accedit. Mollius plumbum æmulatur, & quibuſdam in locis luteo colore quaſi inductum: ſed ubi gravior iis inflicta fuerit plaga, argenteus & verus emicat color.

ARGENTUM RUDE NIGRUM, Swarz Silbererz / Lapis eſt nigricans, crebris ſcintillis argenti puri micans, ut griſeum potius quam nigrum colorem ſortitus eſſe videatur, hoc nomine mihi tranſmiſſus lapis. Encelius argentum nigrum deſcribit, in cujus nigrore interdum luceat Galena plumbei coloris, interdum ſcintilla rubri argenti rudis, interdum candidi. Accepi ab amico pulverem quendam fuſcum nigricantem, in quo micant ſcintillæ argenti candidi, qui an ad nigrum argentum rude ſit referen-

dus, dubito: hic ille pulvis est, qui à primis exploratoribus fodinæ primæ visus est, & ignis beneficio probatus.

Est mihi & aliud Argentum nigrum, cui bracteatim purum argentum miscetur, cum pyrite & argento rudi plumbei coloris conjunctum. Exterior superficies potius ad griseum, quam nigrum accedit Colorem, ob quatuor harum substantiarum permistionem; sed, attentè si inspiciantur singula, rite distingui possunt.

Magis nigricat alter lapis, argentum cum Galenâ permistum habens, sed in eo minor argenti copia reperitur.

ARGENTUM RUDE CINEREUM, Graw-ertz / hoc quandoque scatet multo argento puro, quandoque parum in se continet; minimorum granulorum instar ex lapide cinereo quandoque emicat, cujus generis duos teneo lapillos, qui igne admoto argentum desudare videntur, quocirca à quibusdam Luna vegetabilis vocatur. Matthesius Sermone 3. Sareptæ Auß-gesprossen Silber illud vocat, quod igni injectum argentum purum granulatum, instar seminum papaveris aut cannabis, de se fundit. Alter lapillorum meorum, argentum rubrum etiam continet, ad purpureum vergens. Est & qui Pyritem habet adjunctum.

ARGENTUM RUDE LUTEUM, terreæ & porosæ est substantiæ, cui Galenæ aliquid admixtum, Ochram colore referens, reliquis speciebus in lapidibus existentibus mollius.

Mitto purpureum, rubrum, aliisque præditum coloribus, quod etsi in aliis contineatur jam enumeratis, quia tamen separata nondum possideam, pluribus de iis non agam.

Rudis Argenti coloribus distincti species excipit illud quod aliis rebus permiscetur: quod quamvis etiam in iis reperiatur de quibus jam dictum, attamen cum in iis de quibus jam agendum plus contineatur rei alienæ, minus argenti, de iis separatim agendum erat. Primo autem cum aliis Metallis junctum videbimus.

Primo occurrit vena Æris, seu ÆS RUDE ARGENTUM continens: hoc colore aureo est, purpureas hinc inde argenti rudis maculas rubras ostentans, saxi quid admistum habens, figurâ massæ rudis Pyritis aurei. Vel colore dilutiore in saxo cinereo, nullas admistas habens maculas purpureas.

NIGRUM ÆS ARGENTUM IN SE CONTINENS, ponderosum, politum est, & ad albedinem vergit, eo hospitem suum sæpissime prodens.

FERRI MINERA ARGENTUM fovens, nigricat, quibusdam in locis obducta ferrugine, dum frangitur pulchre nitet argenteo ferme colore; figurâ est inæquali, variis protuberantiis gaudens.

GALENA argentum continens plumbei coloris, est splendens, friabilis, ut ferro tacta facile dissiliat. Quædam in se Argentum invisibiliter continet, quædam verò laminas & bracteas satis crassas obtinet.

MICÆ seu TALCO etiam jungitur Argentum, estque vel minutioribus granulis ei permistum, vel bractearum modo ei adhærens, ut patet in iis quæ ad manum sunt.

Fusiùs alias species cum variis lapidibus permistas persequi non est operæ pretium, breviter eas quas teneo recensebo.

1. Est Marmor album, cui argentum sui coloris & rubrum inhæret. 2. Est Marmor album, cui solum argentum sui coloris miscetur. 3. Est Marmor album, Galenam argentiferam fovens. 4. Est marmor cinereum, argentum continens. 5. Est & aliud ejusdem generis. 6. Est cœruleum, argentum tenens.

SILICIS quoque genus, quod Quartzum vocant, continet Argentum sui coloris & Plumbum.

FERRUGINEUS PYRITES, undique ab argento perfossus; qui licet veri Pyritis argentei colorem maximâ ex parte habeat, quibusdam tamen in locis ferrugine, aut Ochrâ quasi quadam inductus conspicitur, unde mihi ferrugineus.

Est MARMOR NIGRUM, quod politum coticulam aut Lapidem Lydium refert, cui etiam ferri quædam venæ innascuntur. Hoc Argento prægnans est, adeo ut, quando politur, striæ & lineæ argenteæ frequentes in eo conspiciantur.

Prope Aurifodinas Norvagiæ, MINERA quædam ARGENTI CINEREA reperitur, fertilis satis, quæ quadam sui parte luteo tingitur colore, & fermè ferrugineo, ut suspi-

ſuſpicio ſit de ferro aliquid participare. Alioquin argentum ipſum minutiſſimis granulis è minerâ emicat, & quandoque lamellis ubertatem ſuam prodit.

Oceanus Æthiopicus Regnum Congi in Indiâ Orientali alluit, ſecundo gradu ab Æquinoctiali diſtans. Hoc fertiliſſimum & montibus variis Metallis prægnantibus refertum eſt. Inter alios celebrantur montes Cabambe, argenti venis referti. Hinc allata eſt maſſa, quam dono Clariſſ. Viri D. Johan. de Laet teneo, mineram continens Argenti, Æris & Plumbi. Maſſa rudis eſt, inæqualis, ſtrumoſa, decem Drachmarum, colore Ochræ, cui viriditas ſplendens inſtar vitri aut fluoris alicujus eſt intermiſta, fragilis, utpote cui facile aliquid abradi poteſt.

Eſt mihi præterea minera Argenti ex Valliâ tranſlata, fertilis ſatis. Quod Germani vocant Rotgylden-erz ex Snebergâ habeo, quamvis in fodinis Norvagiæ etiam reperiatur.

Argentum præterquam quod vires eximias in Medicinâ habeat, ad Epilepſiam & morbos capitis, affectus Melancholicos alioſque, etiam fabris argentariis, cælatoribus, ſtatuariis, bractearis, netricibus, textoribus, phrygionibuſque inſervit. Præter numiſmata ex eo cuſa, annulos, armillas, torques, inaures, coronas, pocula, patinas, pelves, aliaque utenſilia ex eo elaborari poſſunt. Auguſto ſtatua argentea poſita. Argenteâ loricâ & ſpathis Argenteis uſus eſt Maximinus Junior. Turditani in Hiſpaniâ argentea præſepia & dolia habuerunt; Eſſedum Claudius Cæſar, ſoleas mularum Nero, menſas, capſas Heliogabalus. Sed quid juvat veterum luxum recenſere, cum non minor etiamnum vigeat.

CAP. IV.

De Argenti fodinis Norvagiæ.

QUAMVIS hactenus Germania divitibus Argenti fodinis, reliquis fermè Europæ plagis ſit prælata; attamen Arctois noſtris Regnis etiam hanc felicitatem haud invidit largiſſimus rerum bonarum diribitor Deus. Ante annos etenim haud multos, in Regno Norvagiæ, auſpiciis Laudatiſſ. Memoriæ Regis noſtri CHRISTIANI IV. fodinæ inventæ ſunt, quæ nullis totius Germaniæ fœcunditate cedunt, de quibus pauca hæc notanda duxi, tum quòd à nemine, quod quidem ſciam, ſint deſcriptæ, tum quòd maximam partem Mineralium & Metallorum, quâ gaudeo, iis acceptam feram.

Olim in Norvegiâ inter arcem Acherhuſanam & Aſlojam oppidum, argenti metalla effoſſa eſſe teſtatur Agricola de Veter. & Nov. Metallis lib. 2. cap. 8. ſed jam à multis annis deſertæ ſunt hæ fodinæ, quarum tamen rudera extare ferunt. De his autem nobis non erit ſermo; ſed de iis quæ jam florent, & magno dominorum commodo coluntur, de quibus hæc habeo.

In Norvegiâ Diœceſi Aſloënſi, Præfecturâ Tonsbergenſi, aſpera extant montium juga, quæ Telemarchiam à Numedaliâ & adjacentibus dirimunt regionibus. Huc tempore æſtivo, ii qui in Vicinâ Sadsver aliiſque pagis degunt, pecora pabulatum abigere ſolent, & tuguriolis erectis quandoque per integram æſtatem hic commorari, qui pecorum curam gerunt. Huc etiam Anno MDCXXIII. inter reliquos ſe contulerunt, quidam Chriſtophorus Loftſtueri, vel ut alii volunt Groſwald/ è Parochiâ Hejeſtat/ & Arnerus Werp/ eundem in finem, ſedeſque & tentoria fixerunt in Settermarken, loco Sölſbiergs aas dicto. Hoc in loco cum familiâ & armentis dum degunt per æſtatem, Chriſtophori filius & Arneri filia, quadam die curam pecorum agentes, in maſſas Metallicas, ſplendore micantes, inciderunt, quas cum ponderoſiores communi lapide & ſplendidiores animadvertiſſent, ſecum domum ferunt & matribus offerunt, illæ maritis ſuis. Inter quos Chriſtophorus, Metallum iis ineſſe agnoſcens, igni fuſionis eas commiſit, & purum elicuit argentum, quod deinde Aurifabro cuidam in Sacen vendidit pretio vili. Hinc aliquoties locum viſitarunt, jam argenti puri ſtatim ſui, jam rudis varia magmata invenientes. Quæ dum juſto minori pretio variis in locis diſtrahunt, illorum alter, Arnerus nempe, minus ſibi cavens, ob furti ſuſpicionem capitur, tandemque rem omnem Magiſtratui detegit, locumque monſtrat, venâ argenti tam divite prægnantem. Miſſi igitur à Magiſtratu ſunt, qui loci ſitum & circumſtantias diligentius explorarent & annotarent, ducibus Chriſtophoro & Arnero, qui reverſi hæc expoſuerunt.

A tem-

A templo Heerrestad tractus Sandsverensis, tribus circiter milliaris Norvagici quartis, distat montis cujusdam altissimi jugum, in cujus apice fermè, terræ quædam extat species, in quâ argenti micant scintillæ, modo majores, modo minores, tenuissimorum quoque capillorum formâ conspicuæ. Huic adjacet Argenti puri vena pedis latitudine, ex quâ securi frustum abscissum libræ pondere secum retulerunt. Demum re totâ ad Majestatem Regiam eodem Anno delatâ, ex Germaniâ aliisque locis, stipendiis amplis vocari jussit rerum Metallicarum peritos, qui, accuratius trutinatâ venæ bonitate, autores ipsi fuerunt, officinam Argentariam ibidem struendi, cuniculos & puteos fodiendi, reique Metallicæ hic operam dandi. Prosperè adeo in hunc usque diem res successit, ut non solum expensas solverit Metallum, sed & dominos quotannis lucro ditaverit eximio. Eò verò jam res deducta, ut nova ibi, auspicio Serenissimi Regis nostri, fundata sit colonia Kongsberg seu mons Regius dicta, templo, scholâ, & ædificiis privatis decora. Adeò fervet opus, ut ultra trecentos jam ibidem reperiri dicant operarios, partim Germanos, partim Norvagos, qui Metallis eruendis operam dent, præter pueros qui hisce à teneris assuescunt, septem aut octo annorum, venis purgandis, tundendis & cribrandis adhibiti, menstruo iis deputato salario duobus Daleris Imperialibus. Ubi adoleverint, ad majora promoventur, ac stipendii augmento, pro laboris proportione, gaudent, ut ita sensim à teneris assueti indigenæ, sine ope exterorum, suas venas excoquere valeant.

Christianæ pietatis strenue hic urgentur exercitia, tam linguâ vernaculâ, quam Teutonicâ. Dies Sabbathi publicis lithurgiis deputatus est; tum ab operibus Metallicis cessant omnes operarii, & in urbis templo sacris vacant, quæ linguâ Germanicâ peraguntur. Diei Dominicæ horæ antemeridianæ ordinariis sacris Teutonicis sunt destinatæ, pomeridianæ vernaculis: alioquin singulis diebus solemnes funduntur preces, tum summo mane, quando operarii diurni puteos ingrediuntur, metalla excisuri, tum vesperi, quando iidem exeunt, nocturnis locum concessuri, ita ut diu noctuque semper ferveat opus, exceptis diebus Sabbathi & Dominicis.

Putei seu specus, in quibus Anno MDCXXXVI. in Julio laborabatur, numero fuerunt quatuordecim, quorum nomina, ut accepi, addam. 1. Majestatis Regiæ. 2. Pauperum. 3. Trium fratrum. 4. Kelleri. 5. Principum. 6. Saxonum. 7. Samuelis. 8. Novus ductus sub domo Carbonum. 9. Novus ductus ad viam. 10. Commissariorum. 11. Principis Uldarici. 12. Benedictionis divinæ. 13. S. Jacobi. 14. Novus ductus prope montem. Plures indies inveniri & elaborari constat, cum locus sit argenti fertilissimus, adeò ut non tam metalla, quam operarios desiderari putent. Ultima quarta Anni MDCXXXVI. subtractis omnibus sumptibus, lucrum erat octo millium Dalerorum Imperialium, qui proportionaliter cesserunt Dominis, qui numero decem tum fuerunt. Inter quos Regia Majestas primus decimæ partis possessor.

Hæc Obiter de Argenti fodinis Montis Regii Norvegiæ ex communicatis amicorum relationibus & documentis fide dignis hic inserere placuit. Interim multis aliis in locis ejusdem Regni non minus divites extare Argenti & aliorum Metallorum venas, omnibus persuasissimum, quæ tamen nondum excoluntur, partim operariorum penuriâ, partim incolarum invidiâ, qui eas dominis detegere nolunt, veriti ne oneribus in iis graventur extraordinariis. Deus porrò benedictione suâ paternâ inventa fœcundet, omniaque dirigat in sui nominis gloriam, Regnorum horum commodum & utilitatem. Vide tractatum D. Normanni de hisce fodinis accuratius differentem, linguâ Germanicâ.

CAP. V.

De Ære.

PERFECTA hactenus vidimus Metalla, imperfecta sequuntur, quæ in dura & mollia dispescimus. Dura sunt æs & Ferrum, de illo hoc capite.

Æs Græcis χαλκὸν, Latinis quibusdam Cuprum, à nobilibus ejus venis in Cypro olim inventis, Metallum est imperfectum, durum, ex plurimo Sulphure rubeo, impuro, & pauco Mercurio, nondum maturis & fixis genitum, colore rubicundo. Magnam cum Argento affinitatem habet, cui ut plurimum conjungitur, ut ab eo separari possit arte.

Dividi-

Dividitur Æs, in Nativum & Arte depuratum; illud in purum putum, Germanis Gediegen-kuffer/ & Rude, in Pyrite aut minerâ suâ existens. Prius sine excoctione purum est, & in Metallis ærariis & argentariis reperitur, quod tamen veteres, imo ipse Albertus Magnus ignorasse videtur, quod enim ipse Goslariæ reperiri ait cum totâ substantiâ lapidis permistum, non est purum putum & statim suum, sed excoctione indiget, ut à lapide liberetur. Invenitur verò quandoque bractearum modo lapidem amplectens. Effoditur etiam, Agricolâ teste, variâ figurâ; stiriarum scilicet, virgularum, globulorum, massulæ. Quod ego ex Osterdalensibus Norvegiæ fodinis teneo; massularum, seu laminarum planarum ex minutissimis quasi granulis conflatarum figuram obtinet: colore rubicundo & verè æroso, admodum fragile.

Huic valde affine quod Musei Calceolarii autor Andreas Chiocus Æris florem verum vocat, ac his describit: Æris flos verus ac legitimus, gravis, friabilis & saporis adstringentis, colore modicè splendente ruffescens, ex propriâ æris minerâ, in minutissima granula, semina papaveris erratici magnitudine exprimentia, efflorescens. Sed quod ego teneo, titulo Gediegen-kuffer/ laminæ figurâ mihi exhibitum, licet ex minutissimis granulis constare videatur, unde valde fragile & friabile, cohæret tamen & in minoribus frustis difficulter separabile est. Est & frustum cui Talci laminæ adhuc admistæ. Bracteatum ex Osterdalensium fodinis mihi dono dedit Magnif. D. Cancellarius Christianus Friis de Kragerup.

Æs RUDE, ratione coloris, consistentiæ, bonitatis & cocturæ, differentias varias sortitur. E Pyrite enim ut plurimum eruitur, aut lapide scissili. Quas teneo differentias breviter enumerabo.

Inter tredecim peculiares species ex Pyrite granulato ortas ratione bonitatis & fertilitatis discrimen maximum reperio. Unum enim genus hujus Pyritis aurei, plane sterile est, nihil æris suppeditans quando coquitur: duo sunt quorum centumpondo unam æris præbet libram, aliud libram unam semis; aliud libras quatuor cum dimidiâ, aliud libras quatuor cum tribus quartis, aliud sex cum dimidiâ, aliud novem semis, aliud novem cum tribus quartis, aliud decem, aliud quatuordecim cum dimidiâ, aliud quindecim; denique aliud sedecim libras, quod summum est.

Ratione cocturæ Æris sex mihi sunt differentiæ, quarum prima est ipse Pyrites aureus crudus, ut è mineris eruitur ære prægnans. Secunda est mineræ, per quatuordecim dies, aut tres septimanas ustæ. Tum enim massa redditur æroſa, nigricans, ex quâ viride æs efflorescit. Tertia ita cocta minera fusa & in crassas laminas reducta, quas Germani Kuffer-stein vocant. Quarta, laminæ hæ in alias fornaces transportatæ, sexies vel octies uruntur, & ex unâ fornace in aliam transferuntur, donec rubicundum acquirant colorem. Hoc Kobber-werck vocant. Quinta, rursum coquitur in spongiosam ac levem materiam, nigram, porosam, quod Æs crudum vocant Rae-kobber. Sexta, funditur denique rursum ac Æs purum evadit, usibus aptum. Tot mutationes oportet ut æris minera subeat, antequam in æs purum evadere possit.

Ratione ipsius Mineræ, primò occurrit flavescens, cui laminæ integræ insitæ, in saxo cinereo ad nigredinem tendente, fertilis admodum, silicis albicantis quibusdam in locis particulas adjunctas habens.

Minera Æris purpurea, seu violacea ad cœruleum tendens, Braun-ertz Metallicis dicta, micas aurei coloris Pyritis permistas habens, ab alterâ parte Æs purpureum splendidum, permisto saxo, grisei coloris refert, ab alterâ plus cœrulei habet, corpore intermedio albicantis æris scintillæ aureis permistæ micant.

Minera æris Anglica ex lapide constat nigro, & duro, cui hinc inde aureus intermicat color, quibusdam in locis variâ nigri, cœrulei, & aurei misturâ splendet. Massa parvula est, ʒvij. pondere non superans.

Pyrites aureus friabilis quibusdam in locis Tessellatus, purpureas & hyacinthinas quasdam maculas admistas habens. Ex Osterdaliâ Norvegiæ ad me delatus, cum aliis quibusdam sine tessulis, & variis coloribus radiantibus.

Vilioris Æris minera subnigricans, cui hinc inde venæ aureæ interspersæ, inæqualiter corpus lapidis pererrantes. Cinericius lapis sequitur, aureas micas alternatim insperſas habens, ære prægnans, in superficie unâ, ochrâ quâdam infectus.

Minera æris ferruginea, in quâ emicat vena Pyritis aurei tessellati, & hinc inde ferri rubiginosi portiones.

Plumbei coloris vena, cui permiſtus Pyrites aureus obſoleti magmatis.

Argento permiſtum eſt Æs in lapide quodam ex Pyrite aureo, & cinereâ minerâ mixto ac compoſito, qui coloris varietate mire ludit, nunc aureo, nunc cinereo, nunc luteo, intermicantibus utriuſque venæ granulis & teſſellis. Lapis eſt exiguus, unciæ unius cum dimidiâ longitudine, pondere Drachmarum ſex.

De lapide fiſſili Iſlebiano ſupra inter lapides diximus, hic etiam in ſe Æs fovet, & ille quem teneo aurei coloris Pyrites, exactè piſcem barbatum, cum ſquammis, capite, caudâ, pinnis & omnibus lineamentis refert.

Nomine mineræ Æris Japonici, maſſam à quopiam ex Indiâ Orientali reduce accepi, quæ tamen non tam minera eſt, quam Æs depuratum. Superficie exteriore Orichalcum refert, ſed ad colorem argenteum inclinans, interiori verò ſubſtantiâ rubicundum & æroſi coloris. Maſſula eſt quadrata, Drachmarum undecim.

Æs quod ARTE DEPURATUM & ex his mineris elicitum, eſt vel ſimplex, vel miſtum ſeu alteratum.

Simplex eſt æs depuratum ſui coloris, Garkuffer Metallicis dictum, hoc artis operâ ab argento, & ſcoriis omnibus liberatum, coloris eſt purpurei, & ſanguinei ad flavedinem tendentis, in laminas fuſum.

Æs NIGRUM, Swartz-kuffer/ etiam arte depuratum, à priori non differt, niſi ſolo colore, quod in ſuperficie nigricet, nec ad alios uſus adhibetur.

Hæ ſunt ſpecies Æris arte depurati ſimplices, quas & Regulares vocare ſolent, & ſunt non fuſiles tantum, ſed & ductiles, à quibus differt aliud quod Æs CALDARIUM vocant, Dani Gryde-kobber/ quod funditur tantum & malleis tractatum finditur vel frangitur; cui cum ſtannum miſcetur fragilius adhuc redditur. Sed ad ſtatuas, campanas & tormenta bellica conficienda aptius, eo quod facilius in igne fluat.

Compoſitum Æs duplex eſt, flavum & album. Flavum quod aurei etiam coloris Ὀρείχαλκον dictum, nobis Meßing/ olim Plinio teſte effodiebatur, & præcipuam bonitatem & admirationem diu obtinuit. Jam verò nuſpiam naturale reperitur, ſed arte conficitur, additâ Cadmiâ, quam imbibit. Variis modis conficitur, quos vide apud Agricolam lib. 9. cap. 1. Hic vulgatior. Æris optimi, & Cadmiæ fragmenta alterna in oblongas ollas imponuntur, quæ ſic ære & cadmiâ repletæ, in fornaces ſubtus excavatas mittuntur, igniſque accenditur in quibuſdam quaſi cuniculis, cum ſimul liquefacta fuerint, æs auri colore tinctum mutatur in Orichalcum. Durum eſt, malleo tractabile, & in tenues laminas ductile, quæ fellæ tinctæ aurum referunt, & à Plinio Coronarium vocatur, quia hiſtriones in coronis eo utebantur.

ALBUM Æs, quod argentum ita æmulatur, ut flavum aurum à Græcis ψευδαργύριον dictum, ſimili modo conficitur, niſi quod loco Cadmiæ ſumant Magnetem, ſeu Talcum, alii cum Arſenico & nitro hoc præſtant.

Ex Ære facta opera, vi frigoris quandoque rumpuntur, quod tamen pauci credunt; id tamen expertus Eratoſtenes & noſtras Johan. Munckius in difficillimo ſuo itinere, quo per fretum Chriſtianeum tranſitum in mare Auſtrale invenire moliebatur. In maſſâ mergitur, ſed dilatatum fluitat; aliquid argenti in ſe continere ſolet, vitio tentatur, quod æruginem vocant. Olim arma ex Ære fabricabant, jam ſtatuas & utenſilia. In Medicinâ uſum nullum habet niſi præparatum. Chymici vitriolum, crocum, aliaque ex ære conficiunt. Uſtum Emplaſtris & unguentis ingreditur, habet enim vim quandam adſtringentem, cum acrimoniâ conjunctam, unde ulcera eorum, quibus caro mollis eſt, ad cicatricem perducit, oculis conducit; hinc affirmat Macrobius oculorum ſanitate ſemper pollere eos, qui æratia metalla fodiunt. Ex ſcoriis balnea conficiuntur appetitum reſtaurantia, & articulos confortantia, ſcabiem & ulcera maligna curantia.

CAP. VI.

De Ferro.

ALTERUM imperfectum Metallum duritie inſigne FERRUM eſt, Græcis σίδηρος, ex pauco Mercurio & plurimo Sulphure conſtans fixo, diu ignitionem ſuſtinens & tardè fuſile, rubiginem contrahens facile, colore livido albicante. Chymici Marti tribuunt, & ferrum ipſum Martem vocant. A Græca appellatione eſt Syderites, quo nomine quidam Magnetem, quidam Adamantem, quidam ſcoriam ferri indigitant.

Ferrum

Ferrum duûm eſt generum, Nativum & excoctum; Nativum purum, Gediegen Eiſen Germanis, in fodinis reperitur, vel granorum, vel maſſæ inſtar. Maſſæ inſtar in Norvegiâ multis in locis reperitur. Unum genus aſperum, ſcabrum, poroſum admodum, rubigine tinctum exterius, cum verò frangitur color genuinus ferri enitet, qui tamen etiam brevi rubigine obducitur. Tales glebas etiam nuper ex Iſlandiâ accepi.

Alia mihi eſt minera, cujus pars tertia optimum & purum eſt ferrum, ejus portionem exiguam quadratam, unciæ unius longitudine & pondere, teneo. Nigra eſt, poroſa, ex minutis compoſita lamellis inæqualiter, talci inſtar diſpoſitis, dum ad Solem rotatur, violaceum quid exhibet.

Plures aliæ ejus generis ſunt mineræ ferrum optimum ſuppeditantes, colore ut plurimum nigræ, & ponderoſæ, quæ longiore non indigent deſcriptione.

Huc enim etiam ſpectat illa minera, quam ſupra inter Argenti ſpecies produximus, quia argentum quoque in ſe continet.

Excoctum illud eſt quod in officinis ferrariis è minerâ conficitur, idque vario modo pro diverſitate ipſius mineræ: vel enim è lapidibus ferreis elicitur, cujus generis ego aliquot teneo, inter reliqua unum levi rubigine tinctum & galenâ permiſtum, adeò ferro prægnans, ut ejus centum pondo ſexaginta ferri puri libras in ſe contineat, è Norvegiæ fodinis depromptum, cujuſmodi lapides ſæpe Magnetem adjunctum habent.

Excoquitur etiam ferrum è terrâ rubrâ ferrugine quaſi tinctâ, qualis illa quæ in Blekingiâ colligitur.

Tacitus refert Gotthones coluiſſe ferri fodinas, quod etiamnum verum, imo in Blekingiâ & Norvegiâ ejus fodinæ extant ditiſſimæ. Agricola eas celebrat quæ inter Sognedaliam & Oſterdaliam ſunt. Ut & in Telemarchiâ ad tertium à Seidâ oppido lapidem eruuntur, quibus in locis etiamnum vigent.

Venæ ferri cum excoquuntur, liqueſcunt ut fundi poſſint, detractis recrementis ubi refrixit, igni accenditur & molleſcit adeo, ut malleo tractari & in bracteas extendi ſe patiatur. Sed ferrum ita confectum & depuratum, non omne ejuſdem eſt generis. Quoddam enim eſt tenax & lentum, quod optimum habetur: aliud fragile & æroſum, ex quo globos tormentarios & fornaces fundunt, quod dilatari malleo commode nequit, ſed rumpitur & ignobilius habetur. Aliud medio modo ſe habet, & ex parte malleo tractari in majoribus operibus poteſt, ex parte non niſi fuſile eſt.

Ex ferro ſæpius liquefacto & purgato fit χόμωμα Græcis, Latinis Acies, Staal / quod etiam quibuſdam in locis à Naturâ procreatur. Alibi aquis certis crebro extinguitur ferrum, ut durum admodum reddatur, ſed ſemper multum de pondere ſuo perdit.

Ferrum vitium contrahit, quod Ferruginem ſeu Rubiginem dicimus, præſertim ſi humectetur; ſi item ignibus accendatur & ictibus non duretur; humanus ſanguis ei vim confert maximam. Ab hoc malo præſervatur ſi obducatur minio, gypſo, bitumine, pice liquidâ.

Utiliſſimum Metallum ferrum eſt, quo carere vita humana non poteſt. Conficiuntur enim ex eo varia inſtrumenta, quibus ſecamus, ſcindimus, aliaque artificialia conficimus, arma quoque, ſtatuæ, aliaque innumera. Gronlandi certe auro & argento illud præferunt.

In Medicinâ etiam uſus ſuos habet, nam candens ferrum lacte reſtinctum Diarrhæam ſiſtit, vino aut cereviſiâ eandem concitat. Squamma ejus exſiccat, unde calceis impoſita fœtorem eorundem abigit. Ex ſcoriis balnea conficiuntur, quæ vim habent adſtringendi, incraſſandi, menſes ſuperfluos ſiſtendi, articulos roborandi, vomitum & Diarrhæam curandi, tumores Oedematoſos reſolvendi. Chymici in eoſdem uſus ex eo Crocum conficiunt & oleum. Sed hic in præparatione multum ſitum eſt. Crocus enim ſolâ calcinatione præparatus, adſtringit valide & Hæmorrhagias ſiſtit, ſed cum Sulphure aperit obſtructiones & vitiis Lienis medetur.

Ferri florem Elegantiſſimum, totum niveum, corallorum inſtar in ramulos ex maſſâ emergentem, obtulit D. D. Henricus Kuſterus, cui adjuncta erat alia etiam nivea, in quâ ramuli lati inſtar foliorum quercus diſperſi cernebantur. Hos flores ex Stiriâ adferri refert Ulyſſes Aldrovandus, Muſei Metal. l. 1. p. 135. ubi de hiſce ita diſſerit: ex Stiriâ adfertur flos ferri candidiſſimus, & levis, cum ramulis corallo ſimilibus, & interdum filo ſubtilioribus. Levitatem in iis tantam non deprehendo, quantam deprædicat ille.

Cap. VII.

De Plumbo.

METALLA imperfecta dura vidimus, molle eſt PLUMBUM, quod quidam in duas dividunt ſpecies, Candidum, & nigrum, quæ magnam in mollitie & duritie obtinent diverſitatem: Sunt qui album Stannum vocent & ſpecie à Plumbo differre exiſtiment, in quâ opinione eſt Cæſalpinus & Bartholinus noſter.

Sed veterum Stannum à Moderno, quod improprie Stannum dici volunt, multum differre ex eorum ſcriptis conſtat.

Serapio libro Agreg. Femezeg, Stannum effodi dicit ex mineris Terræ, & in fruſtis inveniri; Plumbum Candidum nunquam per ſe purum reperitur; ſed fit ex Galenâ, Pyrite aut lapillis. Plinius lib. 35. cap. 16. ait Plumbum album conflari ex lapillis nigris candore variatis; Sed Stannum eſſe Plumbi nigri liquorem, qui primo fluit in fornacibus. Capite ſequenti Stannum adulterari dicit Plumbo albo ſeu Caſſitere. Aliud igitur veterum Stannum quam Plumbum candidum, & forſan illud quod nos Plumbum Cinereum ſeu Biſmutum jam vocamus.

Nos de hiſce diſtincte agemus ac primum de PLUMBO CANDIDO, quod & Stannum aliàs vocatur; licet ante oſtenſum, veteribus aliud fuiſſe Stannum, aliud Plumbum Candidum, uſus tamen obtinuit ut hoc nomine vulgò donetur Καζίτερον. Eſt verò Metallum imperfectum, molle, album, ex Mercurio copioſo, minus fixo, & Sulphure albo impuro conſtans, Plumbo difficilius fuſionem admittens, rubiginem vix contrahens, tinniens. Cum primo efficitur, album aut candidum non eſt, ſed poſtquam ignem experitur, & excoquitur.

Quanquam ſui coloris in fodinis non reperiatur, purum tamen lapillis quibuſdam, quos Germani Zwitter vocant, adhæret, hique lapilli, modo nigri, modo flavi, modo candidi ſunt, quandoque pellucidi; ſed raro admodum. Purum hoc quandoque angulos habet quatuor, quinque, ſex, quandoque favaginem refert, quandoque botrum. Impurum & mixtum quandoque lapidi candidiſſimo adhæret, permiſtis fluoribus coloris argentei. Hic verò lapis vel durior eſt vel mollior & friabilior. Quandoque lapidi nigro adhæret, aut permiſtum eſt, quandoque durus adeò lapis cui adhæret, ut igne exſcindendus ſit, & ſic non ſine magno periculo magna montium fruſta excutiuntur. Ex lapidibus nigris, ut & cinereis, in quibus plumbum album inveniri ſolet, quidam ſteriles ſunt & nihil continent, quocirca quidam SPUMAM LUPI vocant.

Ex eo fiunt vaſa domeſtica majora & minora, Lances, patinæ, Lagenæ, aliaque quibus in menſis utimur, ob puritatem & ſplendorem. Cum in laminas ducitur, ita tingi poteſt, ut colorem auri aut æris nativum referat, ex quo varia fiunt ornamenta. Ei Plumbum nigrum miſcetur ut fiat tractabilius & ductilius, alioquin ob duritiem diſſilit. Plumbum cinereum ei quandoque additur, quod ſplendorem & levitatem ei conciliat. Quarta pars Orichalci ſi addatur & ſimul fundantur, vaſa quæ ex iis fiunt ſimillima ſunt argenteis.

In Medicinâ uſus ejus rarior eſt, quibuſdam ſiccandi & refrigerandi vim ei tribuentibus, quibuſdam calefaciendi & humectandi. Hepati dicatum quidam volunt. Sunt qui ejus pulverem in potu exhibeant, contra Ictus Scorpionum. Chymici Salem & alia ex eo conficiunt.

PLUMBUM NIGRUM ſimpliciter etiam plumbum vocatur, Græcis μόλιβδος. Eſt imperfectum Metallum, molle, lividum, ponderoſum, ignem diu non ſuſtinens, tractantium manus nigredine inficiens, ex multo Mercurio crudo & Sulphure impuro & fœtido genitum, pondere & gravitate proxime ad aurum accedens. Sunt qui velint in humidis locis ſepultum creſcere, & pondere augeri, ut & imbribus in tectis Plumbeis. Mirum quod in fornace uſtum pulvis ejus pondere augeatur, ſed rurſum fuſum & in Plumbum redactum minuatur.

Vel Nativum effoditur, vel ex lapide coquitur. Quod nativum, vel durius eſt, ut Polonicum, vel mollius, ut Germanicum. Colore etiam & hoc differt; eſt enim vel album, vel rubicundum, vel obſcurum, vel ad cœruleum tendens. Quod excoquitur, vel ex propriâ venâ eruitur, vel ex lapide Plumbario, qui quandoque lapidi arenario ſimilis eſt, quandoque fluoribus albis, flavis & ad viride tendentibus.

Mi-

Mineram in quâ Plumbum, argentum & Galena ſimul inveniuntur ex Friburgo Miſniæ ab amico delatam habeo.

Ex Sclaccovaldiâ Bohemiæ mineram ſtanni mihi attulit Nobiliſſ. Roſtrupius Giede.

Lapillos nigros ſplendentes vitri inſtar, ponderoſos, Germanis Zwitter dictos, mihi dedit amicus, ex quo Plumbum candidum, ſeu Stannum coquere ſolent. Primo aſpectu Succinum nigrum ſeu Gagatem refert politum, ſed quibuſdam in locis ſtriis præditum, ac ubi maxime æqualis eſt, politura illa apparet, maculæ quædam rubicundæ intercurſant. Lapis pondere eſt Drachmarum quinque.

Ex Biſcajâ fruſtulum mineræ plumbi petitum tranſmiſit Clariſſ. Vir D. Joh. de Laet, trium diverſorum colorum lapillis conſtans, albo nempe, purpureo & cinereo, micis argenteis referto. Tota maſſa vix ſcrupulos æquat quatuor.

Aliam plumbi nigri mineram, in fluore ſubviridi eleganti, ex Angliâ mihi attulit D. Chriſtianus Stougardius, friabilis eſt, Crocei quidpiam permiſtum habens.

Uſum magnum habet Plumbum nigrum, ex eo tecta fiunt, tubi aquæductuum, Globi bombardici, Sarcophagi, Lebetes in quibus Sal excoquitur. Ad gemmas, item aurum & Argentum à ſcoriis liberandum etiam utuntur, colores quoque ex eo fiunt, qui Pictoribus inſerviunt. Medici in quibuſdam affectibus etiam ejus vires ſunt experti præſertim externis, ſiſtit fluxiones, cicatricem inducit, lotum Emplaſtris miſcetur, Laminæ ejus lumbis alligantur ad renes calidiores & Venerem refrænandam. Quo fine ex eo Saccharum, quod Saturni Chymici vocant, præparant; Garigliis impoſita lamina, ea diſſipat. Intus vix admittitur.

CAP. VIII.

De ſui generis, ſeu improprie dictis Metallis, Plumbo cinereo, Antimonio & Argento vivo.

SUI generis & impropriè dicta Metalla dicimus ea quæ magnam habent cum veris Metallis affinitatem, ſi ortum & generationis modum ac locum attendas: quibuſdam tamen proprietatibus veri dicti Metalli competentibus differunt, non enim ductilia aut malleabilia, ſed frangibilia, friabilia aut fluida ſunt. Cujus generis ſunt Plumbum cinereum, Stybium & Argentum vivum.

PLUMBI CINEREI nomenclatio Agricolæ tribuitur, BISMUTUM enim vocant Metallici, Marcaſitam Argenteam Cæſalpinus, Germani Wiſmut / Mythin / & Conterfeit. Quidam veteribus ignotum fuiſſe putant, alii à Plinio ſub nomine Plumbi Argentarii deſcriptum. Potius ſui generis Metallum eſſe puto, quam ut ad Plumbum referatur. Differt namque ab utroque Plumbo colore & duritie. Nitet quandoque Argenti colore, interdum purpureo diluto, ſimile Stybio ſeu Antimonio, quoad figuram, ſed colore præſtantius, Stellatum Antimonii Regulum referens.

Metallum ſeu minera, unde conflatur, ſimilis eſt Galenæ, ſed manus inficit, quod Galena non facit; Reperitur & ſolidum, quod ſectionem admittit, & non diſſilit, ut Galena. Eſt etiam & nigrius, Plumbei coloris, quod quandoque Argentum in ſe continet, unde in locis, ubi effoditur, Argentum ſubeſſe colligunt. Maſſæ ejus lapidi adhærere ſolent, qui duriſſimus eſt, niſi fluores contineat, aut nitrum in ſe habeat, quod ſaxa friabilia reddere ſolet. In Angliâ & Miſniâ invenitur in venis Argentariis.

Plumbo candido admiſcere ſolent, ut ſplendorem & duritiem ei concilient, utque liquefactum facilius decurrat.

Conficiunt quoque ex eo varii generis vaſa, quæ argentum colore æmulentur. In Medicinâ uſum, quod ſciam, habet nullum, niſi quod Beguinus in ſuo Tyrocinio, ex eo fucum elaboret, cuti dealbandæ deſtinatum.

ANTIMONIUM, quibuſdam Stimmi, Stibium, Dioſcoride teſte etiam Platyophthalmon, & Larbaſſon juxta Plinium, Alabaſtrum etiam olim vocatum fuit, ſui etiam generis videtur Metallum, quamvis Paracelſus in cenſum Marcaſitarum reponat lib. 6. Archidox. ubi Plumbi Marcaſitam vocat, conſtat ſubſtantiâ minerali combuſtibili, & Mercurio fuliginoſo, ex terreſtri quadam materiâ coagulato.

Ejus minera in montibus reperitur, ut aliorum Metallorum, ac inde variis operationibus extrahitur. In Italiâ in tractu Senenſi fodinæ ejus ſunt, in Ungariâ optimum eruitur,

tur, in Germaniâ quoque Hoensteni & in Bohemiâ. Olim fossile vendebatur, & à Dioscoride probatur, quod maxime radiat, & cum frangitur in crustas dividitur; friabile, terrâ & sordibus carens; quod Plinio fœmina dicitur. Jam à Mercatoribus in panes & metas quasi fusum venditur, exterius Crustosum & Plumbei coloris, digitos ut plurimum inficiens, interius refertum venis capillaceis, micantibus, splendentibus, ut ferrum politum, ruptu & fractu facile: pulverisatum ubi fuerit, splendorem amittit, & colorem plumbi usti assumit. Fusum in crucibulo in liquorem solvitur, odorem sulphureum emittens & fuliginem albam, Pompholygis instar, parietibus adhærentem spargens.

Plinius lib. 33. cap. 6. ejus genera duo constituit, marem & fœminam, marem esse horridiorem & scabriorem minus, ponderosum minus, radiantem & arenosiorem. Fœminam (quæ magis probatur) friabilem, nitentem, fissuris, non globis, dehiscentem.

Usus ejus magnus est apud stanni fusores; speculorum Chalybeorum confectores, campanarum, globorum bellicorum, nec non typorum Typographicorum fusores. Quin & Medici, præsertim Chymici, magnis laudibus ejus vires in corpore humano extollunt. Dioscorides lib. 5. cap. 59. ait vim habere adstringentem, meatus obstruentem, refrigerantem, excrescentias cohibentem, ulcera ad cicatricem perducentem, sordes & ulcera oculorum expurgantem, sanguinem sistentem, igni ambusta sanantem, ulcerationes ad cicatricem perducentem. Paracelsus mirifice ejus vires extollit, inter reliqua de vitâ longâ cap. 6. hoc habet: sicut Antimonium finit aurum, sic eâdem ratione & formâ corpus humanum purum reddit; in illo enim est essentia, quæ nihil impuri cum puro confundi finit.

Alibi dicit Antimonium habere vim conservandi corpus à corruptione, & inter maximè efficacia remedia ad Elephantiasin commendat. Conficiunt ex eo varia Medicamenta: Vitrum, Regulum, Sulphur, Flores, Tincturam, Olea, pulveres & infinita de quibus alii.

Minera Antimonii Ungarici pulcherrima est, tota constans Cylindris, seu columnulis crassitie aciculæ, sed mirè invicem nexis, conspiciuntur enim rectæ, parallelæ, obliquæ, transversæ, &c. quia porosa est hæc materia, & colore cœruleo splendido instar politi ferri. Hinc inde Sulphurea quædam & flava exsudat materia, massam variegatam reddens, donum D. Custeri.

Argentum vivum etiam hujus classis est, à Chymicis Mercurius dictus, Græcis ὑδράργυρος, Theophrasto Ἄργυρον χυτὸν Aristoteli 4. Meteor. 8. Ἄργυρον κινητὸν; Metallum enim proprie loquendo dici nequit, cum ei definitio non competat, igni non fundatur, durum, solidum, ductile & malleabile non sit.

Est autem liquor mineralis, ex aquâ Metallicâ viscidâ & terrâ sulphureâ constans, spirituosus, volatilis, ad contactum frigidus, sed vi calidâ præditus, ponderosus, coloris argentei, instar aquæ fluidi, sed manus non madefaciens. Materiam ejus arguunt proprietates ei familiares. Viscidâ autem constare materiâ Metallicâ, vel inde constat, quod ignis vim eludat, licet enim igne in fumum redigatur, ille tamen collectus in pristinum redit statum. Ob Sulphur admixtum, subito in fumum resolvitur. Penetrat eximie ob spirituosam suam naturam, & Metalla ipsa corrodit, frangit & in minima redigit, corpus etiam humanum subito pervadit. Pondus quoque ingens habet, ei enim omnia reliqua Metalla innatant, Auro excepto; cui multis proprietatibus affine est. Difficulter enim exuritur & in partes minutissimas dividitur, adeò ut corium densum penetrare valeat, interim variis & contrariis præditum facultatibus.

Est vero Argentum vivum vel Nativum & fossile, quod in propriis venis ita reperitur, aut etiam in venâ Schisti, seu Hæmatitidis: vel Factitium.

Factitium ex minio seu cinnabari nativo præparari solet.

Hoc autem minium, vel lapidibus permistum est, vel purum.

Quod lapidibus permiscetur, quandoque in lapide scissili cinereo, bractearum modo concretum invenitur, quandoque in lapide Metallico candidissimo, ut Hartensteini.

Puri minii, seu Cinnabaris nativi duæ mihi sunt species. Una Rubicunda instar Argenti rubri rudis, ponderosa, colore eleganter rubicundo tingens, in Hassiâ prope Marpurgum reperta.

Altera nigrior est jecoris colore, etiam ponderosa, Schistum aut Hæmatitidem referens,

ferens, cui argenti vivi micæ, aut guttulæ inclusæ quasi apparent, duriore affrictu rubicundo tingens colore, Commendatur à multis in Epilepticis insultibus.

Cæterum argenti vivi usus apud Artifices magnus est, eo aurifices ad vasa deauranda, & aurum ab argento separandum utuntur, ad speculorum confectionem, ad Aurum molendum, pisces capiendos & infinita alia.

Medici, præsertim Chymici, eo etiam carere nequeunt; in luis Gallicæ curatione crudo utuntur, tam internè quam externè.

In Peste Amuletum præbet, pediculos & vermes necat, partum difficilem promovet, tumores duros resolvit, scabiem & ulcera curat, inter fucos locum quoque invenit; sed Chymici, ut hos effectus felicius assequantur, variis modis eum præparant, præcipitando, calcinando, sublimando, in oleum, aquam, spiritum & nescio quid non eum redigendo.

CAP. IX.

De Metallis Affinibus.

VERA Metalla, & quæ naturâ proximè ad ea accedunt, vidimus: jam de iis quæ magnam affinitatem cum Metallis habent, vel quod in venis Metallicis inveniantur, & quandoque in se quidpiam veri Metalli contineant; vel quod ex Metallis impuris, dum purgantur, aut etiam puris ipsis, dum corrumpuntur, fiant.

Duûm igitur generum sunt: unum Naturale, quod in fodinis inveniatur, sine artis ope à Naturâ fabricatum: alterum quod arte perficitur. Ad Naturalia Metallis affinia, referimus Galenam, Cadmiam Nativam, Chrysocollam, Spodum subterraneam, Pyritem, Saxa metallaria, Micam, Talcum. Hæc enim in fodinis juxta metalla inveniuntur, & magnam cum iis habent affinitatem: definitio tamen metalli iis non competit, licet in iis & cum iis Metalla generentur.

Artificialia sunt, quæ artis operâ è Metallis egrediuntur, dum depurantur, aut aliis modis elaborantur. Atque horum quædam extra fornaces elaborantur, & Rubigines vocari possunt; Cujus generis sunt, ex argento cœruleum, ex ære Ærugo, ex ferro ferrugo, ex plumbo cerussa & minium, ex stanno Biacca Hispanica dicta. Vel formam squammarum obtinent: quo referimus squammam Æris, florem æris, & stomoma, seu squammam ferri.

In fornacibus quæ elaborantur, vel crassam, terrestrem & ponderosam habent substantiam; ut sunt Scoriæ, Diphriges, Lithargyros; vel levem & aëream, ut Cadmia fornacum, Tuthia Alexandrina, Pompholix, Spodos; de quibus jam ordine agendum.

CAP. X.

De Galenâ, Cadmiâ nativâ, Chrysocollâ, Spodo subterraneâ.

GALENA an idem sit cum Plumbagine & Molybdenâ veterum, dubitant quidam. Encelius de re Metallicâ lib. 1. cap. 34. rationibus haud levibus id adstruere allaborat, &, ut videtur, non sine causâ & successu. Plinius lib. 34. cap. 18. ex Molybdenâ & Galenâ Plumbum nigrum & Argentum coqui ait: quod etiam Friburgi & Misniæ & Goselariæ fit ex Plumbagine. Deinde nominis conformitas non abludit; quod enim Plinius Galenam vocat, Germani Glanz / quod latine vertunt Plumbaginem. Adhæc colorem eundem habet Plumbago cum Galenâ, plumbeum scilicet. Plura vide apud dictum Encelium loco citato. Nec obstat quod Dioscorides Molybdenam suam flavam & splendentem statuat, quod à diversis vaporibus in terrâ eam inficientibus fieri potuit; cum & aliquando inveniatur apud nos variis, etiam flavo obducta colore. Si aliquod statuendum inter Galenam & Plumbaginem discrimen: Plumbago erit, cum solum continet Plumbum, Galena, cum & Plumbum & argentum.

Alii autumant Galenam, Plumbaginem & Molybdenam tria esse diversa corpora Metallica, attestante oculari demonstratione, variisque proprietatibus, quibus invicem differunt, ut de colore & consistentiâ nihil dicam.

Est autem Galena duplex: Nativa seu fossilis, & factitia.

Nativa

Nativa fossilis iterum dividitur, ut sit vel frugifera, ex quâ Metalla coquuntur, vel Plumbum solum, vel Plumbum & Argentum. Colore etiam differt, ut sit vel Plumbi resplendescentis, vel ad flavedinem tendens, quæ rarior est & in calidioribus regionibus invenitur; à Dioscoride inventa ad Sebastiam & Coricum.

Ex nostris officinis Norvagicis, frugiferæ Galenæ tria genera accepi, unum quod Plumbum refert, & manus plumbeo colore inficit, quo etiam ad lineas ducendas utimur, vulgo Plumbago Bley-erz/ nobis Bleyas/ vulgaris pictoribus usus.

Secundum reperitur juxta argentum purum putum, quod statim suum est, magis splendet, friabile, in fibras scissile, quod etiam argentum continet, & quia purpureum obscure mixtum habet colorem, illud esse arbitror, quod Leberfarb glanz vocant, seu colore Jecinoris.

Tertium Cinereum, Graver-glanz / magis albicat & laminis seu fibris est minoribus, in se quoque Argentum & Plumbum fovens.

STERILIS, quæ nullius est momenti & Metalli nihil continet, ab igne consumitur, colore magis lurido est, cujus, quam ego teneo, massula Pyritem habet adjunctum, sub titulo Blende ad me missa.

Factitia Galena fit fornacum ope: nam Auri & Argenti fornacibus adhærere solet, à Germanis Test oder herdt fleyen dicta, & hoc differt à Nativâ, quod hæc in pulverem etiam comminuta, emplastris addita fundi & liquari nequeat; illa verò facile.

Usum habet in Metallis fundendis; Dioscorides Emplastris minime mordentibus miscet. Galenus dicit habere vim similem Lythargyro, ad frigidum paululum declinantem, non abstergit: quod liquari ait, de factitiâ intelligendum.

CADMIÆ tres sunt diversæ species, quarum duæ effodiuntur, tertia in fornacibus metallariis conficitur arte.

Ex prioribus duabus una metalli expers est, & lapidis aut terræ species solidior: altera metalli ferax. Hinc nominantur, Cadmia fossilis, metallaris & fornacum.

CADMIA FOSSILIS, aliàs lapis Calaminaris, Galmei / Sublutei est coloris, lapidis mollioris, aut terræ durioris naturam referens; unde Festus Pompejus inter terras locat. Cremata fumum luteum præbet. Eo utuntur ad Æs colore Aureo tingendum, ut fiat Orichalcum. Reperitur in inferiori Germaniâ, inter Coloniam Agrippinam & Aquisgranum; item in ferrariis Saverlandiæ & alibi.

Mihi trium generum sunt Massulæ, una coloris cinerei, altera rubicundi, tertia sublutei.

CADMIA METALLICA, à Plinio etiam Lapis Ærosus dictus, quod ex eo fiat Æs, quamvis non solum Æs, sed & Argentum, imo utrumque quandoque in eo reperitur, Germanis Kobelt. Variis figuris concrescit, est enim alia uvæ similis, alia testæ, alia crustacea, colore nigro, fusco aut cinereo.

Vi erodendi tam validâ pollet, ut sæpe nudas fossorum manus & pedes erodat, omni animantium generi venenum est lethale, vulgo eâ glires, mures, & muscas interficiunt. Chymici ex eâ corpus nigrum, fuscum aut cinereum sublimant, quod sublimatam vocant Cadmiam. Cum Pyrite magnam habet affinitatem, sed differt colore & viribus. Pyrites enim aurei aut argentei est coloris, nisi sit atramentosus: sed Cadmia nigra, fusca, aut cinerea. Pyrites vi pollet digerendi & discutiendi: Cadmia erodendi. De Cadmiâ fornacum suo loco dicendum.

De CHRYSOCOLLA sectione primâ cap. 8. quædam diximus, sed de eâ saltem quæ ex Nitro conficitur, albidi coloris, quâ etiam Aurifices utuntur, hic de viridi tractandum. Dicitur verò Chrysocolla Græco nomine, quasi Auri gluten, quod ad Aurum glutinandum ejus sit usus. Germanis Stein-gum / Skiffer-gum / Berch-gum.

Estque duplex, Nativa & factitia. Nativam gignit Natura in fibris & cavernis, & reperitur quandoque arenæ similis, quandoque materia Metallica ei adhæret. Effoditur jam in Hungariâ, Bohemiâ, Goldbergæ in Silesiâ & alibi. Olim primas occupavit Armeniaca, secundas Macedonica, tertias Cypria.

Factitia duplex est: una fit ex durâ, Nativâ, tingiturque Luteâ herbâ, ob id Herbacea & ὀροβίτις dicta, quæ nativâ preciosior habetur, cujus præparationem vide apud Plinium lib. 33. cap. 5. In usum Pictorum potissimum cedit. Alterâ factitiâ utuntur Aurifices & aliis SANTERNA dicta, constans ex Cypriâ ærugine, urinâ pueri impubis, & nitro.

Nativa

Nativa tantum in ærariis Metallis invenitur & tantum ex Ære fit; si quandoque in Aurariis, Argentariis aut Plumbariis invenitur, venæ eorum cum ære miscentur. Bonitatem ejus ex colore & viribus æstimant. Nam nativa omnis viridis est; alia ad satietatem, &, quo magis ad Smaragdi accedit viriditatem, eo melior æstimatur: alia dilute viret, quæ vilissima; alia medio modo se habet.

Chrysocollâ potissimum utuntur pictores, aurifices eâ solâ quæ Aurum glutinat. Medicis etiam fossilis cedit. Digerit, exsiccat, & sine morsu carnem liquefacit. Ulceribus, quæ consolidationem respuunt cum fructu accommodatur, modice pota vomitus movet.

SPODOS, quam aliqui Spodium nominant, duplex est, fossilis & factitia. Hic de priori agendum, quæ Græcis ignota fuit, sed à Mauris, Serapione nempe descripta, dicitur ad differentiam alterius SPODOS SUBTERRANEA ab Agricolâ, qui eam fieri ait, cum ignis quo Metallici duritiem saxorum rumpunt in Cryptis, cuniculis, puteis, aut occulta terræ incendia urunt, vel Cadmiam, vel Pyritem, vel Plumbarium lapidem, vel aliud quid simile.

Sed ex Cadmiâ potissimum fit Spodos nigra, fusca, cinerea; ex Pyrite cinerea tantum, ex plumbario lapide, lutea vel cinerea, ex lapide æroso candida, quæ tandem virescit.

Serapio tres species proponit, albam, viridem, luteam rubore aspersam. In Indiâ in littoribus maris fodi ait (forsan ubi fodinæ metallicæ) albam præ cæteris commendat, post luteam, viridem asperiorem esse ait.

Lutea mihi transmissa è fodinis Norvagiæ, quæ prope Nidrosiam in Osterdaliâ extant, cupro prægnantes, levis est, tenuis, luteo colore manus inficiens. Cinerea quibusdam dicitur, à proprietate quam habet, cineribus affinem.

Exsiccat, abstergit quandoque sine morsu, quandoque verò adeo exedit, ut, si in cutem scabiosam, aut exulceratam incidat, ad ossa usque carnes erodat, sine aliquo insigni dolore, quod de Albergiâ refert Agricola. Alioquin viribus cum Pompholige convenit, nisi quod imbecillior aliquanto.

CAP. XI.

De Pyrite, Saxis Metallaribus, Micâ, Talco.

INTER Lapides de Pyrite supra à nobis actum est, ejusque species aliquot adductæ: quia verò species aliqua Metallis se jungit, eaque quandoque sinu suo fovet, huc ejus species aliquot adducendæ supra omissæ, ubi de sterilibus actum.

Quod Græci Pyritem vocant, id ita dictum, vel quod ex eo ignis excutiatur, vel quod igni sit coloris, Arabes Marcasitam vocant & Zeg nigrum, à quibusdam lapis luminis & Marcasita cuperosa, item lapis ærarius, quod in æris fodinis copiose inveniatur. Germanis Fewer-stein/ Kyß/ Kupfer-stein/ Kupfer-erz. Putant quidam esse Aristotelis & Theophrasti πυρίμαχον, quod igni repugnet, & in ardentibus fornacibus conjectus fluat, &, ubi defluxerit, rursum concrescat. Purus lapis non est, sed aut Metalli, aut alterius cujusdam materiæ quippiam in se continet. Nos hic species quasdam, supra non propositas, enumerabimus, ne actum agamus.

Pyrites ARGENTEI coloris. Ejus rudis quædam mihi massa est, quæ in nigricante lapide micas Argenti spissè junctas ostendit, quibusdam in locis aurei Pyritis venas intercursantes obtinens: quia ponderosior Argentum & Æs in se continet, ex Argentifodinis Norvegiæ ad me delatus.

Pyrites AUREI COLORIS, majoribus constans granis, Grobspiesiger-kieß dictus Metallariis, auri massam ferme refert, intermicantibus trigonis quibusdam granis politissimis, cœruleum quid intermistum habens, in ærariis fodinis frequens.

PYRITES AUREUS TESSELLATUS, ex variarum figurarum politis constat tessulis, nunc majoribus, nunc minoribus, maximâ ex parte quadratis.

PYRITES AUREUS GRANULATUS, constat granis inæqualibus, angularibus, aureis, quibus quiddam cœrulei & viriditatis est admixtum. Colorum enim varietate caudam Pavonis æmulatur, friabilis est, ut facili attritu in grana sua resolvatur.

EX AUREO ET ARGENTEO Mistus, granis majoribus, sub titulo Grobspiesiger-

kieß ad me transmissus, massa est magna, ponderosa satis, quâdam sui parte flavo prædita colore albicante, quo nomine & mistam voco.

CINEREUS etiam misturam quandam sapit flavescentium & albicantium granorum, cum marmoris albi & grisei frustulis interspersis, quæ ad cinereum hunc colorem constituendum in primis faciunt.

Hujus census est alius ex granis minoribus constans, nomine Kleinspeisiger-kieß ex Norvegiâ allatus, sed granula minuta, ex quibus constat, magis ad flavedinem vergunt, licet ipsa lapidis substantia grisei sit coloris.

PYRITES VARIUS solidiori constat materiâ, in corpore nigricante mineras Pyritis obtinens variorum colorum eleganti spectaculo, cernere hic licet flavedinem auri, candorem Argenti, rubedinem æris, nigredinem ferri, purpureum præterea, cœlestinum aliosque colores tantâ varietate inter se mistos, ut lusum Naturæ in coloribus miscendis mirari satis non queamus.

De viribus supra à nobis dictum, quocirca plura hic non addimus.

SAXA METALLARIA, sunt lapidum varia genera Metallis adnata, ex quibus etiam Metalla coquuntur, inter quæ primo occurrit saxum FISSILE der Skiffer / coloris cœrulei, quod aliquando nigrius, aliquando albidius esse solet, hoc quidam ad Pyritem, quidam ad Lithantraces referunt.

Secundum genus QUARTZUM vocant Germani, quod interdum candidissimum est, interdum subluteum, interdum subcæsium. Huic quandoque auri scintillæ adhærent. Sed de his supra.

Tertium SPATUM politius & durius est cæteris, quibusdam MARMOR METALLARE. Hujus varia mihi sunt genera ex fodinis Norvagiæ argentiferis allata. Est namque primo STERILE, nihil Metalli, aut alterius mineræ continens, album, in frustula concisum. Est cum Pyrite mixtum, est cum Galenâ sterili; est cum Galenâ, Pyrite & argento. Ex quibus cernere licet quam varias misturas in mineris exerceat Natura. Singula separanda sunt, ut Metallis puris potiamur.

Quartum saxum CORNEUM seu Silex Hornstein / quod durissimum colorem cornu ostentat, cujus partes quandoque adeo sunt continuatæ, ut unam ab alterâ discernere quis nequeat, quandoque intersectione aliquâ conspicuæ.

Ultimum ARENOSUM, quasi ex arenis compositum, vulgo Sandt-stein/ ex quibus, ubi conspicuæ sunt magnitudinis, molæ fiunt, de quibus supra.

MICA corpus est metallicum, argento splendore simile, quod in Marmoribus & arenis lucet, ut & lapidibus, sed ex iis separari nequit, Germani argentum felium vocant, quod noctu luceat instar oculorum felium. Fixum non est, sed igne consumitur & nullius ferme est usus, Katzen-silber & Glimmer Germanis dicitur. Ejus mihi duæ sunt species, una solitaria, alia admista non habens, altera in lapide cum Pyrite, tertia in arenis.

TALCUM Agricolæ MAGNETIS, de quo cum supra inter lapides actum sit, ut & de plerisque, hoc capite contentis, plura addere non licet. Hoc saltem monentes eorum hic fieri mentionem, quòd respectum ad Metalla habeant, juxta metalla inveniantur, iisque sint affinia.

CAP. XII.

De Arte elaboratis, cum Metallis, Rubiginibus.

HACTENUS ea vidimus Metallica, quæ Natura ipsa in terræ visceribus elaboravit sine artis ope: Nunc ea pertractanda, quæ ex enumeratis Ars elicit, dum priora tractat & perficit. Hæc duûm cum sint generum, unum extra fornaces operariorum confectum, alterum in iis; de illo primo tractandum, quæ redigimus iterum in duas classes, unam Rubiginum, alteram Squammarum. Rubigines verò vocamus Metallorum quasi putredines & sordes, quæ illis adnasci solent cum in humido servantur, aut vaporibus liquorum acrium eroduntur. Sunt autem de quibus hoc in loco potissimum agendum: Cœruleum, ærugo, ferrugo, cerussa, minium, Biacca Hispanica.

Ex Argento conficitur Cœruleum duobus modis. Primo lamina Argenti in vase quodam, supra acetum acerrimum, sale Ammoniaco imprægnatum, suspenditur, & per viginti dies fimo obruendo, usque dum aceti Vapor ex argento cœruleum colorem eliciat,

eliciat, qui demum abraditur. Secundo, ex argenti vivi partibus tribus, Sulphuris partibus duabus, salis Ammoniaci parte unâ, de quibus uberius consulendus Agricola de Nat. Foss. lib. 9. cap. 17.

Ex Ære fit Ærugo, cujus licet variæ apud Autores fuerint species, tres tamen primariæ sunt; Rasilis scilicet, vermicularis, santerna.

Rasilis multis modis fit. Primo supra acetum, æreum vas ita locatur, ut nullum habeat spiraculum, post decem dies ablato operculo, ærugo collecta abraditur. Secundo Lamellæ super acetum totidem dies suspenduntur, ne tangant acetum. Tertio, vinaceis acescentibus, æris massa aut lamellæ obruuntur. Quarto delimatam æris scobem, aut lamellas aceto aspersas, versant Spathis, donec æruginem contraxerint. Quinto alii in mortariis æneis ex aceto terunt. Vocatur alias VIRIDE ÆRIS, Græcis ἰὸν ξυρόν.

SOLECIA seu VERMICULARIS, quia ad similitudinem vermiculorum coacta est, vel fossilis, quæ sponte nascitur, ex lapide ærario ex quo Æs conficitur: vel Artificialis, quæ fit ex Ære, aceto acerrimo, alumine, & sale, additâ quandoque urinâ, modum pluribus declarat Agricola.

SANTERNA quibusdam Chrysocolla factitia, quod ad aurum glutinandum eâ olim usi sint. Fit cum in mortariis ex Ære Cyprio, infunditur urina pueri, & pistillo ex eodem ære facto circumagitur, quidam addunt nitrum & Cypriam æruginem. Ex his Æruginis speciebus, sola RASILIS jam in usu est, præter usum quem Pictoribus præbet, in arte Medicâ locum æris usti supplet, sed acrior & efficacior est, digerit, mordet, carnem liquat, cum cerato cicatricem inducit, ulceribus putridis & fistulis maximè accommodatum medicamentum.

FERRUGO est rubigo ferri rufsa & crocea ad fuscum vergens. Variis modis fit. Scobs Chalybis purissimi, aceto acerrimo mergitur, ut acetum superemineat quatuor digitis, tum flos ejus ascendit & olei modo aceto innatat, hic per intervalla colligitur & exsiccatur.

Vim habet siccandi & adstringendi, sistit profluvia fœminarum & sanguinem undequaque fluentem, ad obstructiones viscerum tollendas & Ictericos curandos quidam ferri scobem irrorant aceto in vase mundo, operculo superimposito, & post dies septem invenitur colore rubiginis, quam siccant, terunt, abluunt, exhibent. Hujus census est CROCUS MARTIS Chymicis dictus, qui variis fit modis, vel per Reverberationem; vel per vaporum ex rebus & liquoribus erodentibus exhalationem, de quibus consule Institutiones Medicas Sennerti lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 15.

CERUSSA, Græcis ψιμμύθιον, nostratibus Bleghuit / est Plumbi rubigo, colore candido, paratur eodem modo fermè quo ærugo, laminis plumbi nigri super vaporem aceti appensis, donec plane fuerint corrosæ, tum liquore puro colato, quod in fundo residet, siccatur, teritur, cribratur & abluitur, quod primâ vice non resolvitur, iteratâ perficitur, primum quod exit, præstantius habetur, & pro medicamentis oculorum eligitur. Vim habet refrigerandi & illinendi, exterius usurpata, candorem etiam faciei conciliat: sed hausta lethalis est; nam occludendo & refrigerando vias spirituum intercludit & siccando exasperat. Hanc ob causam vituperantur aquæ per plumbeas fistulas currentes, cum aliquid Cerussæ à Plumbo abradant; unde per Organa plumbea minus commodè aquæ destillantur, præsertim quæ acrimoniam aliquam habent.

Est & CERUSSA CINEREA, quam quidam cinerem plumbarium vocant; quæ fit cum cerussa trita in ollam novam conjicitur, & rudiculis continenter movetur, donec cineris colorem acquisiverit, tum exempta refrigeratur.

MINIUM antiquorum hodie Cinabrium vocatur, & illud quod jam Minium vocamus, Græci σανδυκα, Plinius Sandicem, alii φύκον quasi fucum; Vitruvius Sandaracham vocat. Ex cerussâ fit in patinâ super ignem locatâ & ustâ, quæ rudiculâ continue agitatur, donec colorem Minii acquisiverit. Pictores ad colorem rubrum inducendum eo utuntur. In Medicinâ quoque ejus usus est haud rarus.

Tenuior est cerussa, ad fluxiones reprimendas, ex ulceribus & partibus contusis, illitum ex Cerato, quod Unguentum album vocant, prodest. Est & peculiare unguentum de minio ad cicatricem in partibus mollibus inducendam utile.

BIACCA ALEXANDRINA seu ALBUM HISPANIÆ, ita ex Plumbo albo, seu Stanno conficitur, ut Cerussa ex Plumbo nigro. Vel in urinâ destillatâ laminas

Plumbi candidi ponunt, quæ ubi corrosæ, urina colatur, glutinosum, quôd in fundo est, colligitur, siccatur, comminuitur, cribratur. Usus potissimum est ad fucos, cutim enim fœminarum dealbat, & candidam reddit.

Cap. XIII.

De Squammis Metallicis.

ALTERUM genus corporum Metallicorum, quæ exra fornaces conficiuntur, ad squammas referimus, quæ ex durioribus corporibus, cum aut ignita exstinguuntur, aut malleis percutiuntur, è superficie adustâ à corpore reliquo abscedere solent. Perfecta Metalla, ut Aurum & Argentum, hisce ob naturam incombustibilem destituuntur, ut & mollia, qualia Plumbum & Stannum: quia mollius est quod ab iis abscedit, idcirco ex Ære & ferro potissimum hæc eliciuntur: ex Ære flos & Squamma; ex Ferro Stomoma.

FLOS ÆRIS, Græcis ἄνθος χαλκοῦ, sunt minuta æris granula, Milii specie, à reliquo ejus corpore resultantia, cum fervens Æs aquâ exstinguitur. Cum enim Æs, detractis recrementis, candens adhuc aquâ frigidâ perfunditur, repente densatur & concrescit, atque hunc florem exspuit quasi, & in labris, ubi æs refrigeratur, colligitur effusâ aquâ. Optimus censetur, qui facile teri potest, & cum in pulverem teritur rufescit, & modice splendet.

Cum adstrictione acrimoniam quandam habet, & tenuium est partium, unde collyriis mistus palpebrarum asperitates, & ficus abstergit.

SQUAMMA ÆRIS, Græcis λεπὶς, malleorum Ictibus decutitur, ubi æs elaboratur, optima censetur crassa, æris modo rubens, quæ cum aceto aspergitur, æruginem ducit: deterioris notæ est tenuis, infirma, candida aut nigra.

Viribus cum flore convenit, facultatem enim habet adstringendi, attenuandi & erodendi, cum aquâ mulsâ pota, aquosos humores educit, carnes purgat & liquefacit. Hodie Medici ærugine sunt contenti, & reliqua raro in usum trahunt.

SQUAMMA FERRI & Chalybis, pari modo Ictibus excutitur, in officinis ubi hæc elaborantur. Plinius στόμωμα vocat lib. 34. cap. 11. ubi ait: Squammæ est alterum genus subtilius, ex summâ scilicet lanugine decussum, quod vocant Stomoma.

Sed ipsum Chalybem vocat Stomoma Dioscorides, contra quam sentit Cæsalpinus, ut & Galenus 9. simpl. & plerique alii veterum, unde hoc in loco hallucinatum esse Plinium putant.

Majorem obtinet adstrictionem quam Squamma æris, & ad contumacia ulcera vim habet insignem; præfertur illa quæ ex Chalybe provenit; æris plus habet acrimoniæ.

Cap. XIV.

De Scoriâ, Lapide, Diphryge, Vitro.

ALTERUM genus Metallicorum factorum illud est, quod in fornacibus conficitur, vel cum venæ Metallicæ excoquuntur, vel cum Metallum à Metallo secernitur, vel cum Æs liquefactum in fornacibus tingitur. Trium igitur generum sunt hæc corpora. Ad primum genus, cum Metallica coquuntur in primis fornacibus, referimus, Scoriam, Lapidem, Diphrygem, Vitrum, Cadmiam, Pompholigem, Spodum, de quibus hoc capite & sequenti. Ad secundum, ubi Metallum à Metallo secernitur in secundis fornacibus, Lythargyrum, Plumbaginem, Spodon. Ad tertium, cum Æs tingitur aut perficitur, Pompholigem aut Spodon.

Corpora, quæ in primis reperiuntur fornacibus, dividi possunt in Terrestria, quæ in fornacum fundo reperiuntur, qualia sunt Scoria, Lapis, Diphryges: & Aërea, quæ partem leviorem constituunt, quæ sublimatur & parietum partibus superioribus adhærent; ut Cadmia, Pompholix, Spodos.

Quod Græci σκωρίαν vocant, Latini Recrementum, Germani Slachen/ purgamentum est venæ Metallicæ, excoctæ in fornace, quod, cum Metallum in Catinum defluxerit, de eo detrahitur. Unde Plinius, quæ è Catino jactatur spurcitia, in omni Metallo vocatur Scoria. Supernatat hæc Metallo olei modo, tenax & lenta quamdiu fusa est: frigefacta autem congelatur, fragilisque redditur ut vitrum. Dum aliquid retinet humoris

moris Metallici, gravis eſt, ſed ab igne evacuato omni humore levis redditur, liquidior & pura, cujus humiditas ob viſcoſitatem non evaporat, nec comburitur, licet ob humorem lentum fundatur.

Scoriæ fiunt ex venis, Auri, Argenti, æris, ferri, plumbi candidi, plumbi nigri: In officinis ubi Argentum ab ære ſeparatur color plerumque varius, interdum niger. Plumbi nigri ſubluteus; magnâ ex parte nitere ſolent & plumbi nigri ſi tenues fuerint, interdum vitri luteo colore tincti modo pellucent.

Artifices quandoque iis utuntur ad venas agreſtiores fundendas, admiſcent ei tritas, ut cum iis citiùs fundantur.

Defendunt Metallum ab igne ne extenuetur in vapores, innatantes metallo fiunt quaſi operculum, quod pro ſui denſitate nihil tranſmittit, ut vitrea vaſa faciunt. In Medicinâ exſiccandi vi pollent, maxime ferri, quæ cum aceto exhibitæ, Aconito adverſantur.

LAPIDIS ORBES poſt ſcorias extrahuntur ex catino, ſive ſub ipſis ſit Metallum, ſive non, plerumque aliquid Metalli habent admixtum. Hujus variæ mihi ex Norvagiæ fodinis Argenteis tranſmiſſæ ſpecies, quarum nomina ſaltem recenſebo.

Primum genus Geſtein vocant, coloris atropurpurei, friabile eſt & æs redolens.

Secundum Rohen-ſtein vocant, cujus rurſum quædam ſpecies. 1. Silberhaltig Rohen-ſtein / ſeu Lapis argentum continens, atrocœruleus eſt, digitum craſſus, poroſus, interſperſis cinereis maſſulis argenti. 2. Vngeroſten Rehenſtein coloris nigri, in fruſtula comminutus, poroſus & friabilis. 3. Silberhaltig Bley-ſtein / Lapis plumbeus argentum fovens, lamellis duabus conſtat atropurpureis.

Tertium Spur-ſtein ex ærifodinis allatus lapis, cujus primum genus hoc titulo exhibitus: Spur-ſtein welcher albereit ein fewer bekommen / id eſt, Lapis qui unicum ignis impetum ſuſtinuit, atrocœrulei eſt coloris, ex parte ſcabroſus, poroſus, craſſitie dorſi cultri duplicati. 2. Silber vnd Kupferhaltig Spur-ſtein / Argentum & Æs continens Lapis, tenuis valde eſt, ſonorus, è cœruleo purpuraſcens, cultri dorſum craſſitie non ſuperans, quamvis & alius aliquanto craſſior aliunde ad me ſit delatus.

Lapidis præterea genus quoddam mihi tranſmiſſum titulo Silberhaltig Rohen-ſtein / Argentum continens lapis; qui tamen à ſecundo genere & aliis multum differt, colore partim eſt cinereo, partim flaveſcente, ex tribus quaſi conflatus ſubſtantiis, unâ terreâ, friabili, cineritiâ, alterâ flavâ rufeſcente, tertiâ quaſi ex Lythargyrio conſtaret, metallo permiſto, gravis eſt, ponderoſus, duorum pollicum Craſſitie.

Lapidem excipit & quandoque ex eo fit DIPHRYGES, quaſi bis toſtum corpus Metallicum. Germanis Vnter-ofenbruch / quoniam in fundo fornacum reperiri ſolet.

Quatuor ejus conſtituunt genera, quæ omnia conſtant lapide æroſo torrefacto, cremato aut excocto.

Prima olim in ſolâ Cypro fiebat, teſte Dioſcoride, ex luto quod ex ſpecu quodam Cypri ſublatum, primo in ſole ſiccabatur, mox ſarmentis circumdatum urebatur, atque eo nomine Diphrygis, id eſt, bis Cremati, nempe ſolis calore & ignis ardore, apud Græcos innotuit.

Alterum eſt quaſi ſedimentum quoddam, & fæx æris excocti, quod, poſtquam æs effluxit in catinum, remanet in fornace in ejus fundum incumbens. Galenus in Cypro tanquam inutile projectum vidit. Hujus generis eſt illud quod nos oſtendimus, nigrum, venis rubicundis præditum, poroſum, inæquale, ſcoriis intermiſtis.

Tertium ex Pyrite æroſo, in calcem redacto, donec rufeſcat.

Quartum fit ex lapidum orbibus, & Pyrite excocto, ſi bis aut ter torreantur; ſed ſi ex lapide fiſſili conficiendum, etiamſi fuerit in areâ toſtus, & mox in fornace excoctus quinquies aut ſexies, demum cremandus ut Diphryges fiat; cujus generis præſtantius habetur, quod ad purpureum inclinat.

Vim habet adſtringendi, perpurgandi, abſtergendi, ſiccandi, excreſcentias conſumendi, ulcera ad cicatrices perducendi, ulceribus rebellibus accommodatum medicamentum.

Ad Scorias quidam referunt VITRUM, tum quia ſubſtantiâ ſimile Scoriæ, fuſione quoque, & cum fuſum eſt & trahatur inſtar viſci, refrigeratum autem fragile reddatur.

Quin & olim, ante Vitri inventionem, ex ſcoriis Metallorum vaſa formabant, vitreis æmula, qualia fuerunt Obſidiana. Plinius vitri confectionem caſu repertam ait: Nam

cum Mercatores nitri, nave appulsâ, in littore pararent escas in Syriæ Phœniciâ, & pro lapidibus, quorum non erat copia, glebas nitri foco subdidissent ad ignem parandum; liquato nitro & cum arenis commisto, visi sunt rivi fluxisse translucentes nobilis liquoris, & hanc fuisse tradunt originem vitri.

Ex lapidibus quibusdam arenis & cineribus, addito nitro, conficere solent vitra Indi, teste Plinio. Ex Crystallo vulgo & cinere salsæ cujusdam herbæ Kali dictæ Arabibus, additâ Magnesiâ ut clarius reddatur. Cum vitri materia jam liquescit, agit spumam; quæ de eo verriculo, tanquam recrementum de Argento detrahitur; mox verò concreta in panes cogitur candidos, quibus est sapor mistus, magis salsus quam amarus. Hanc materiam artifices ad Argenti scobem, cum ex eâ conflare volunt massam, addunt, ut citius igne liquescat, vulgo FEL VITRI, Glas-galle vocant.

Plinius testatur, sub Principe Tiberio, excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile esset, & totam ejus officinam abolitam, ne Auro, Argento, reliquisque metallis precia detraherentur. Sed eam famam diu crebriorem quam certiorem fuisse. Existimem haud possibilem esse hanc confectionem, nisi Metallica restituatur vitro humiditas, quæ flexibilitatem conciliat; quæ tamen jungi nequit.

Usus vitri in vasis est, & quidem commodissime, nullum enim odorem, nullum saporem liquoribus communicat, à nullo liquore vincitur, nihil transpirat, nihil eo aptius ad liquores continendos. Repentino frigore aut calore frangitur, & Ictu. Crystallini vitri usus ad vasa potoria pepulit auri & Argenti metalla. In Medicinâ etiam suos usus obtinuit. Temperamento esse volunt calido in primo, sicco in secundo gradu, excipi in multis collyriis, tollere porriginem & furfures, lenes capillos & barbam efficere. Assumptum cum vino tenui, calculos vesicæ valenter confringere, conferre Pulmoni & casui capillorum. Sed Avicenna ad hos usus comburi & præparari vult. Ustionis modus difficilis, cum facile fundatur.

Quidam hoc modo id præstant: Illinunt pice liquidâ, dein inter carbones urunt, donec ignitum appareat, postea exemptum exstinguunt in aquâ & abluunt, quod opus septies repetunt, sic in cineres facile comminuitur, ex quibus fit Electuarium de cineribus.

CAP. XV.

De Cadmiâ, Pompholige & Spodo factitiâ.

IAM de corporibus Metallicis in fornacibus elaboratis levioribus & aëreæ naturæ agendum, quæ parietibus & summitatibus adhærere solent, inter quæ primo occurrit CADMIA, quam duplicem esse supra innuimus, Fossilem, de quâ suo loco actum est, & fornacum, de quâ jam sermo erit.

CADMIA FORNACUM, Mittel vnd obenofen-bruch/ in primis oritur fornacibus, in quibus venæ Æris aut Argenti coquuntur, estque substantia lapidosa, agglutinata secundum crustas aut racematim, quæ, dum venæ coquuntur, flammarum ac flatuum vi ad parietes & tectum elevatur. Optima censetur, quæ in ærariis fit officinis, ex Pyrite & Cadmiâ Metallicâ fossili.

Ejus quatuor inveniuntur species; prima πλακίτες, quæ fit quando crassior materiæ pars egreditur, & post Diphrygen parietibus fornacum insidens, in corpus concrescit; pars egesta multa si fuerit, crusta fit Crassior, sin pauca, tenuior. Quot autem vicibus fit excoctio, tot oriuntur crustæ; illam esse puto quæ Germanis Mittel ofen-bruch dicitur. Secunda illa est in quibus Zonæ apparent, ῥωπίτες: Tertia quibus venæ Onychis, ὀνυχίτες. Quarta ὀστρακίτες, quæ nomen à testâ mutuatur, è crassâ materiâ orta, tenuis plerumque est & nigra. Hanc esse puto quam titulo Vber ofen-bruch ex Norvegiâ accepi. Plerumque in iis fornacibus reperitur, in quibus Pyrites ærosus non excoquitur. Hæ species crassiori constant substantiâ.

Tenuior materiæ pars egesta, propter levitatem magis in sublime fertur, & altioribus fornacum locis insidet, ibique in corpus concrescit, cujus superficies, quoniam uvarum speciem gerit, βοτρυίτης vocatur, tenuis hæc materiæ pars ferreis hastis in summo fornacum adhærere solet, ibidemque hanc speciem Cadmiæ efficere, quam alii vocare solent Tuthiam ALEXANDRINAM, similis est corticibus arborum, intus lenis, sublutea, exterius granulosa instar racemi, admodum minutis granulis, Cinerei coloris, aliquantum

tum ad Cœruleum vergentis, gravis & ſonora, facile ex formâ dignoſcitur, ferreis haſtis adhæſiſſe.

POMPHOLYX differt à Cadmiâ, quòd non in ſolidum corpus condenſetur, ſed tenuis farinæ modo parietibus adhæreat. Fit ex eâdem materiâ, cum Æs ex lapidis partibus coquitur torrefactis, aut cum ſeparatum ab Argento in ſui generis formam perficitur, tum favilla ſurſum fertur & evolat in ſuperiorem domicilii ærarii partem, adhærens ejus parietibus & tecti laqueario, quæ primum in bullas ut aqua tumet, mox majore accedente incremento, lanarum penicillis aſſimilatur, quandoque ærei coloris, quandoque in candido cinerea, qualis noſtra. Germani Weiſer Hutten-rauch vberm Smelzofen vocant. Hoc pacto ſponte fit; ſed cum curâ quomodo præparetur fuſius vide apud Agricolam. Et hæc præſtantior habetur, utpote candidiſſima & leviſſima, à quibus oritur NIL ALBUM dictum; communior præparandi modus eſt hic. Æs & Cadmiam foſſilem alternis in ollas ponunt, ut ex iis fiat Orichalcum, favilla, quæ ex ære reſoluta, fertur ſurſum in operculi cavitatem, eamque implet Pompholige. Si operculo tecta non fuerit Olla, & favilla cum ligno aut cinere in ſublime ſublata, parietibus fornacum adhæreat, SPODON conſtituit.

Pompholyx tenuium eſt partium, quæ ſi lavetur, teſte Galeno, fit Medicina omnium præſtantiſſima, citrà morſum exſiccandi vim habens; quocirca in cancroſis & malignis ulceribus ejus uſus eſt. Additur Collyriis, quæ oculorum fluxionibus, puſtulis φλυκταίναις dictis adhibentur, ad ani & pudendorum ulcera etiam commendatur.

SPODON factitiam quidam Cinerulam vocant, Germani Hutten-rauch / genere non differt à Pompholige, quia æquè favilla eſt ex eâdem materiâ orta; ſed ſpecie. Pompholyx enim levis eſt & candida, præſertim ea quæ cum curâ præparatur. Spodos gravior, cinerea aut lutea, partim adhærens ad exteriora fornacum latera, partim decidens in ſolum; unde aut de lateribus abraditur, aut in terrâ converritur. Ea autem duplex eſt ratione coloris, cinerea & Lutea.

SPODOS CINEREA, Weiß grawer Hutten-rauch / fit in fornacibus, in quibus venæ auri, argenti, Plumbi nigri coquuntur.

Species Spodos, quæ Pompholigis locum occupare poteſt, ea ſolum eſt. Sed in quibus venæ æris, Æs, Cadmia, Pyrites elaboratur, cinerea Spodos vera colligitur.

SPODOS LUTEA, Gelber Hutten-rauch / fit ſuper ſecundas fornaces, in quibus Argentum è Plumbo ſeparatur; Plumbi enim pars vi ignis exuſta in ſublime fertur, efficitque hanc ſpeciem.

Spodos omnis lota & à ſordibus, Carbonibus, terrâ, pilis purgata, eaſdem quas Pompholyx vires obtinet, ſed non adeò tenuium eſt partium.

CAP. XVI.

De Lithargyro & Molybdenâ.

METALLICA factitia in primis fornacibus elaborari ſolita jam vidimus; ſequuntur quæ in ſecundis fiunt, & à quibuſdam etiam ad ſcorias referuntur. Ejus generis ſunt Lithargyrum & Molybdena.

LITHARGYROS lapis argenti, Latinis ſpuma Argenti, rectiùs, Agricolâ teſte, ſpuma aut Lapis Plumbi, quia ex eo, non verò Argento fit, Germanis Glett aut Silber-glett. Fit ex Plumbo diutius in fornacibus cocto, donec convertatur in ſubſtantiam quandam, olei modo liquidam, quæ frigefacta concreſcit in ſimilitudinem ſpumæ. Hoc autem contingit, cum Argentum, Plumbo miſtum, purgatur in ſecundis fornacibus. Hinc fit argenti appellationem quod contraxerit, quamvis ſine Argento ex ſolo Plumbo, aut venâ Plumbi fieri poſſit. Modi autem, quibus fiat, plurimi ſunt.

Primo ex arenâ Plumbariâ, ſecundo ex lapide Plumbario, tertio ex Plumbeis laminis, quæ in catino coquuntur, dum partim vertantur in Lithargyrium, partim in Plumbaginem. Quarto ex miſturâ Plumbi & Argenti. Quinto ex miſturâ Plumbi & Auri & Argenti, ubi Metalla illa nobilia pura redduntur & ſegregantur, Plumbum verò totum vertitur in Lithargyrum & Plumbaginem.

Duûm generum eſt, coloribus ſaltem differentiam conſtituentibus: una Chryſitis, quæ fulva eſt, aurei quaſi coloris: altera Argyritis, candida ad Argenti colorem accedens, ſed utraque in eâdem maſſâ & tabulato ſimul ſæpè invenitur; Argyrites Silber-glet

præfer-

præfertur Chrysiti. In modo concretionis, etiam differentia quædam observatur, aut enim solida est, Græcis Stereotida, aut inflata, Pneomene dicta, atque illa plerumque in Massas cogitur, hæc in tubulos.

Insigni pollet vi exsiccandi, quamvis Galenus, nec calefacere, nec refrigerare dicat; modice abstergit & adstringit, commendatur sola ad intertrigines, exsiccando enim cuticulam restituit.

PLUMBAGO, Græcis μολίβδαινα, Bley-ertz / à Plumbo appellatione sumptâ; fit ex Plumbo, modo quo supra dictum: sed non unius est coloris. Suprema enim ejus pars ad Lithargyrium accedit, infima cinerem, mediæ ex utrisque mista. Suprema reliquis præfertur, splendet, ut & media, & cum in pulverem teritur rutila fit, in oleo cocta jecoris colorem contrahit.

Ea quæ Plumbei est coloris, cruda adhuc est, quocirca præfertur flavæ, argenteæ spumæ similis, modice splendens.

Vim habet spumæ Argenti, aut recremento Plumbi similem, uritur & lavatur eodem modo, miscetur Emplastris quæ nullam corrodendi vim habent, ulcera ad cicatricem perducit. Si deficiat, Lithargyros ejus loco sumi potest. E Plumbaginis parte cinereâ contusâ faciunt pulverem, quem CINEREUM PLUMBARIUM vocant. Vide quæ supra cap. II. de Galenâ factitiâ & Plumbagine diximus.

MUSEI

MUSEI WORMIANI HISTORIÆ DE VEGETABILIBUS RARIORIBUS LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Instituti rationem edocens.

EXPEDITIS libro primo fossilibus, quibus jam gaudet Museum nostrum, ut pedem promoveamus ad ea quæ supra terram proveniunt, instituti nostri postulat ratio.

Inter ea verò VEGETABILIA nobis primo loco offert Natura, ab imperfectioribus ad perfectiora adscendens; quæ vivunt, augentur, & sibi similia procreare apta nata sunt.

Hic verò animus non est, ad ea nos diffundere, quæ de Vegetabilibus in genere dici possunt, aut integram eorum Historiam proponere, quod operis foret immensi, in quo etiam desudarunt cum laude alii Viri Clarissimi. Nec Plantas omnes, quas vel siccas in Museo tenemus, vel virides in Horto colimus, hic enumerare studebimus: sed rariores saltem quasdam, quas vel nostrum solum non gignit; vel si gignat, aut observationibus quibusdam necessariis earum historiæ sunt locupletandæ, aut raritatis nomine celebrandæ. De aliis, præsertim iis quibus in officinis Daniæ utimur, aliàs disseruimus. Ita verò Stylum temperabimus, ut primo Plantas rariores, quas vel integras, vel maximâ ex parte tenemus, proponamus; hinc aliarum partes, quibus maximè ob usum sunt nobilitatæ, exhibebimus. Radices, folia, ligna, cortices, fructus, Semina, Gummata, Succos, suâ raritate commendatos. Sed ab imperfectioribus, quæ non omnes partes, quibus planta perfecta gaudet, habent, ut sunt fungi & Musci, ad perfectiores paulatim progrediemur.

CAP. II.

De fungis, Agarico, fungo Sambucino, fungo Rosæ caninæ, Boleto cervino, Pilâ Stagnali.

PLANTÆ quas jam describemus, non tam Plantarum, quam excrementorum Vegetabilium nomine ab aliis insigniuntur, cum partibus Plantarum destituantur, & in aliis Vegetabilibus nascantur ac proveniant.

AGARICUS, vel AGARICUM, ut quidam volunt, fungus est, Abieti, Piceæ Silvestri, Tedæ & Larici adnascens, sed Lariceus reliquis præfertur, albus, levis, friabilis,

pituitoso in corpore humori expurgando destinatus. Dividunt veteres in Marem, & Fœminam. Mas dicitur qui longus, durus, densus, gravis & in fragmentis ceu villos nervorum ostendit. Sed hic ob suam malignitatem improbatur, tanquam inutilis. Fœminam vocant Rotundam, Porosam, raram valde, fragilem, levem, primo gustu dulcem, mox amaram & stypticam; hic solus in usum venit.

Calidus statuitur in gradu primo, siccus tertio; pituitam crassam, lentam, putridam, bilem flavam & atram purgat, è cerebro, nervis, spinæ medullâ, thorace, ventriculo, Hepate, Liene, Renibus, utero, juncturis. Urinam & menses quoque. Cutis colorem floridum reddit, Lumbricos necat, articulorum doloribus confert, febribus diuturnis medetur. Dosis à ʒj. ad ʒij. In infusione à ʒij. ad quinque corrigitur tertiâ parte Zinziberis aut salis Gemmæ.

Fungus Sambucinus, vulgo AURICULA JUDÆ, Clusio primum genus fungorum pernitiosorum, membraneâ constat cute implicatâ & sinuosâ, coloris ex cineraceo nigricantis, brevissimo aut nullo fermè pediculo Sambuci caudici adhæret aut singularis, aut geminus. Quia Cartilaginea aut Membranacea quâ constat substantia est instar auris, vulgo Auriculam Judæ vocant, cum primum folia protrudit Sambucus, ejus caudici adnasci solet.

Ejus usus in cibis quamvis pernitiosus sit, nihilominus sunt qui exsiccatum in aceto macerant, & in gutturis tumoribus exhibeant ad gargarisandum & guttur abluendum. Aquis mersus mollescit, inquit Lobelius in Adversariis, Spongiæque ritu tumet, Anginis certissimo experimento utilissimus, & tumoribus intus forisque nunquam satis laudatus, gustu plane insipido, cutis elixæ, aut corii instar.

Rosæ caninæ adhærere solet excrementum quoddam, quod nos FUNGUM ROSÆ CANINÆ vocamus, quia ei non secus ac fungus aliis arboribus adhæret. Officinæ perperam BEDEGUAR. Lobelius Spongiam Bedeguaris, Dodoneus, Spongiolam Silvestris Rosæ. Plinius de Cynosbato agens pillulam Castaneæ similem; alibi Spongiolam. Villosus est, rubicundus, muscidus, floccis velleris sericei quasi ornatus: qui tamen Muscus, diutius si asservetur, decidit, & corpus tuberosum relinquit, puniceum, fungosum & durum. Calculosis præcipuum remedium esse asserit Plinius libr. 14.

BOLETUS CERVI vel fungus cervinus Matthiolo, Tubera cervina Lobelio. Fungi cervini, Boleti officinarum Cordo. Sic dicti fungi hi, quod reperiantur iis in locis, ubi cervi libidinem suam exercent: quamvis Cordus invenerit etiam in præruptissimis montium Silvis, quò nec Damæ aut rupicapræ pervenire possint, ne dum cervi, testante Bauhino in Pinace.

Egregiè eum describit Matthiolus lib. 3. Epist. in hunc modum: Fungus hic tuberum vulgarium modo sub terrâ nascitur, ubi Cervino semine inficitur solum. Id quod plerumque fieri solet exempto è vulvâ genitali, adhuc seminis aliquid continente, maris impetum fugiente fœminâ. Hunc fortasse invenire nemo posset, ni Cervi ipsi locum quodam statuto anni tempore ostenderent. Scalpunt enim, naturali quodam instinctu ducti, anterioribus pedibus locum, ubi globosus fungus sub terrâ delitescit, quod olfactu percipere eos affirmant. Spirat enim fungus gravi odore, præsertim recenter effossus.

Qui secreta hæc norunt Venatores & Rustici, qui Silvas frequentant, loca diligenter observant cervinis pedibus diducta, effossâque scrobe fungos eximunt, & Pharmacopœis vendunt, qui dissectos in particulas & filo trajectos siccant postea in umbrâ, servantque in Medicum usum. His eadem ferè facies inest, quam in cæteris spectamus tuberibus, globosa tamen in omnibus & inæqualis. Extima cuticula subnigricat, carnosa verò & ipsa fungosa substantia albicat. Sunt etiam qui genus aliquod reperiri dicant, erectæ virilis mentulæ formâ, adeo ut in alterâ parte detecta glans, in alterâ globuli quidam testiculos referentes conspiciantur. Hic fungus in ciborum usum hactenus non venit, nec eo vescuntur; sed iis in Medicamentis utuntur, quæ Venerem movent. Siquidem ad hoc plurimum valere putant, & præsertim qui humani genitalis faciem refert.

In quem usum sicci pulverem ex dulci vino propinant, Drachmæ vel Sesquidrachmæ pondere. Valerius Cordus Notis in Dioscoridem cap. 83. id verum esse negat. Nec verisimile est, ait, eos Venerem stimulare, cum frigidum, pituitosum, crudum, & malignum succum in humano corpore gignant. Quæ enim Venerem accendere debent, contrarias facultates & qualitates habere necesse est. Lactis ubertatem hunc etiam afferre

ferre ajunt ex Ptisanâ, vel muliebri lacte potum; sed valentius id agere, si longi piperis aliquid addatur. Suffitu occlusos fœminarum locos reserare tradunt, & vulvæ strangulatus avertere. Non desunt superstitiosæ mulierculæ, quæ iis abutantur in amatoriis poculis, quibusdam prius admurmuratis incantationibus. Affirmant præterea valere Cervinum fungum ad epota venena ex mero haustum, quin etiam ad venenosorum omnium morsum, non modo potum, sed etiam illitum. Excalfacere hunc, ex odoris graveolentiâ, quispiam facile judicabit, inquit Matthiolus. Cordus tamen in aliâ est opinione, ut supra innuimus.

Pila stagnalis à me vocatur, corpus Sphæricum, pilæ majoris palmariæ magnitudine & figurâ, in stagno prope Soram Sælandiæ inventum, ex minutissimis quasi pilis aut villis, in exquisitissimam rotunditatem redactis, constans. Dum recens erat, colore conspiciebatur viridi, herbaceo; jam exsiccatæ exterior superficies ad flavedinem inclinat, interius villi adhuc virides apparent. Corpus, magnitudinis habitâ ratione, leve valde est. Cum enim pugnum aut magnam pilam palmariam æquet magnitudine, pondere tamen non superat Drachmam unam. Ex muscosis & herbidis plantarum aquaticarum villis, crebro aquæ jactu & rotatu sic concrevisse videtur. An Conferva Plinii de quâ libr. 27. ita disserit. Peculiaris est Alpinis maxime fluminibus Conferva appellata à ferruminando; spongia aquarum dulcium verius quam Muscus, aut herba villosæ densitatis & fistulosæ.

Curatum eâ scio omnibus ossibus confractis, prolapsum ex arbore altâ putatorem, circumdatâ universo corpori, aquam suam inspergentibus quoties inarescceret, &c. Matthiolus viridi colore, & serici staminis ferè modo villosam dicit.

Cap. III.

De Byssо arboreo, Telâ arboreâ, Musco terrestri, Coralloide, Pyxioide.

Quia Byssum in arbore nasci scribat Philostratus, hic de eo agendum duxi, licet quibusdam, potius fructus arboris, quam excrementum statuatur. Marinus certe hujus census videtur. Byssus igitur, Græcis βύσσος à Buz Hebraico, jam etiam in sacris sæpe occurrit Bibliis. Terrenus est vel Marinus. De Terreno quid sit, non consentiunt autores.

Quidam Lini speciem constituunt, ut Julius Pollux & Cardanus, Pausanias & alii; quidam lanam esse dicunt; sed prior sententia veritati magis litat. In arbore nasci maxima pars statuit: sic enim Philostratus. Homines, qui secundum Indum flumen habitant, lineis amiciuntur vestibus, etenim linum in agris plurimum nascitur, calceamenta gestant ex Papyro; nobiliores Byssо induuntur. Byssum verò ex arbore nasci ferunt, quæ basi quidem populo sit persimilis, foliis verò salici. Plinius lib. 9. cap. 1. cum Gossipio confundit. Julius Pollux de Byssо ita disserit: Byssina & Byssus, lini quædam species est apud Indos. Apud Ægyptios ex arbore quadam lana fit, ex quâ vestem confectam lino maximè similem esse quispiam dixerit, solâ densitate exceptâ; densior enim arbore fructus enascitur, duplici munitus cortice, quo dirempto, postquam instar nucis floruerit, interius hoc quod lanam refert, eximitur, unde subtegmen efficitur, stamen autem illi subtendunt lineum.

Byssum igitur terrestrem in arbore instar bombacis nasci, hinc colligere licet, unde à quibusdam cum bombace confunditur. Colore quidam candido esse ferunt, quidam glauco, quidam flavo, ut Scaliger, & certè talis est noster, ex flavo & glauco mistus quasi, filis constans tenuioribus, capillamentis simillimis, unciæ circiter longitudine, splendentibus, bombace horridioribus paulo.

Marinus byssus in conchiliis quibusdam reperitur, præsertim in Pinnâ, delicatissimus enim & mollissimus est, sericæ lanæ comparandus, colore fusco splendente, à similitudine Byssi Græci aut Judaici sic nominatus. Prius enim, inquit Rondeletius, cognitæ sunt divitiæ terrenæ, quam Marinæ: tunc pretiosarum vestium textu additum terreno existimat idem. Mytili quoque Byssum gignunt, si modo seta illa, quæ ex iis dependere solet, byssi nomen mereri dicatur.

Sed tam differt à Pinnarum byssо, quantum stupa Cannabina, à tenuissimo & delicatis-

ſimo ſerico. Longitudo & magnitudo byſſi hujus, reſpondet pinnarum magnitudini. Mihi unus eſt trium unciarum longitudine; maximum pedem longitudine æquare volunt.

Ex Byſſo veſtes olim pretioſæ conficiebantur, potiſſimum arboreo. Philoſtratus moris apud Indos fuiſſe refert, ut nobiles tantùm induerentur byſſo; unde pro ſigno nobilitatis habebatur. Nominatim ex byſſo conficiebatur pileus rotundus, quo ſacerdotes capita tegebant, Græcis Tiara dictus.

Byſſinis telis ſubtilior eſt Arborea illa, quæ Anno 1639. reperta in arboribus Norvegiæ, ubi integræ Silvæ arbores hiſce ornatas oſtentabant. Quidam in iis natas putabant; at ego in campis ejuſmodi telas ſtipitibus ſegetum exciſarum adhærentes ſæpius vidi: eodemque Anno in Auguſto maximam copiam per aërem volitare conſpexi. Credo à vermibus, erucis, araneis, & aliis id genus inſectis elaborari, deinde circa Brumam ventorum vi abrumpi, per aërem ferri, atque ſi in ſilvam impegerint, arborum procerarum comis adglutinari, atque adhærere. Subtilitate plane aranearum telis reſpondent; ſed candorem niveum ab aëris per quem feruntur humiditate & ſolis calore acquirunt.

Ejuſmodi telas jam aliquot annis in horto meo conſpexi, ſed in unicâ ſaltem arbore Evonymi; verum vermibus ſcatebat, qui has telas elaborabant, tenuiſſimas, longiſſimas, candidiſſimas, cujus adhuc ſpecimina ſervo. Vermes hoſce è genere Bombycum eſſe exiſtimavi, ſed non eam habebant figuram, nec ad tantam magnitudinem perveniebant, ut ad Erucas citius referendos putem.

Sed hoc mirum quod nullam arborem totius horti præterquam unicam hanc, quam Been-ved noſtrâ linguâ dicimus, unquam tangerent.

Muscus pyxioides terreſtris Bauhini, à Lobelio nomine Muſci terreſtris Pyxidatos alabaſtriculos imitantis, propoſitus; à me inventus eſt Anno MDCXLVII. in arenoſis agris pagi Tyſewelde, cum fontes medicatos D. Helenæ in Selandiâ viſitarem. Elegans Muſcus ex compluribus conſtans Pyxidibus, inæqualis magnitudinis. Major vero granum hordei vix ſuperat; radices habet minutiſſimas, quæ terram iſtam arenoſam firmiter etiamnum exſiccatæ retinent; ex anguſto caule deſinit in calices, quorum oræ fimbriatæ & miniato colore pulchrè ſpectantur depictæ.



Muscus terrestris coralloides incanus à Bauhino in prodromo Theatri Botanici lib. 10. cap. 4. ita deſcribitur. Muſcus hic pedalis eſt, incanus, ramis pluri-

pluribus craſſioribus erectis, uſque compactis, qui in plurimos ramulos cornuum Cervinorum inſtar, eoſque acutos dividuntur. Hic ad Wieſam in ſilvis occurrit. Sed meus, quem teneo, paulo minor eſt. Longitudine enim quatuor uncias vix ſuperat, radice caret, utpote avulſâ, ſed à quatuor oritur ramulis, cavis, incanis, varie ſe diſpergentibus in minores cornubus cervinis ſimiles, variè intricatos, ad ſummum fermè ubi pervenerunt, principales rami, majores ſcilicet craſſiores evadunt, ut pennam columbinam majorem craſſitie æquent, ac denſiores magiſque intricatos ramuſculos de ſe fundant, ſpongiam fermè æmulantes & colore ad viridem aliquantum inclinantes. Ego ex Norvegiâ accepi; is qui obtulit, nuſpiam niſi juxta fodinas argenteas reperiri affirmavit.

CAP. IV.

De Arundinibus.

AD perfectas plantas ut tranſeamus, quia paucæ ſunt de quibus agere decrevimus, nullâ affinitatis habitâ ratione, Alphabeticum ordinem ſequi conſtituimus, tam in plantis ipſis integris, quam in earum partibus, quas ſingulas ad ſuas claſſes referemus. Arundines igitur hoc jure primas hic obtineant.

ARUNDO INDICA MAXIMA. Bauhinus in Pinace vocat Arundinem arborem, in quâ humor lacteus gignitur, qui Tabaxir Avicennæ & Arabibus dicitur. MAMBU Indorum, in cujus Arundinibus Tabaxir ſeu Saccar Mambu, Garcias; Harundo Indica Cluſii. In hiſtoriâ Indicâ quandoque Bambus, ſeu juncus Indicus dicitur, quandoque Bambu Manibu ex quâ Tabaxir.

Aſpectu eſt gratiſſima, altiſſima, nigra, rotunda, craſſa, ita ut utrâque manu quandoque vix includi poſſit, quandoque fœmoris craſſitie. Internodia tanta habet, ut quodlibet ultra menſuram liquoris capere poſſit. Cluſius bina deſcribit fragmenta, quæ in Horti Leidenſis aſſervantur porticu, quorum minus viginti ſex pedes Romanos longum eſt, ac decem ac novem internodiis conſtat, craſſitudo infimâ parte decem & ſeptem uncias ambitu comprehendit, ſupernâ quatuordecim. Majus illud ſeſquipede ſuperat, & tribus unciis craſſitudine, ſingulorum internodiorum longitudo in utroque circumferentiæ partis inferioris ut plurimum reſpondet, nonnunquam longior aut brevior, materiæ ſpiſſitudo triens unciæ. Naſcitur in toto Malabarenſi marino tractu, præſertim circa Coromandel; ab incolis Mambu dicitur.

Cum adhuc tenella & viridis, inflecti ſolet, ut magis apta reddatur ad geſtandum pendentes ex eâ lectulos, ipſis Pallekins dictos, quibus inſident tum viri, tum mulieres, dum aliquo transferri cupiunt. Forſan eadem eſt cum eâ quæ in Indiâ Occidentali provenit craſſitie cruris humani, quæ viridis adeo tenera eſt, ut ſtans uno Ictu gladii ſecetur: arida verò tantâ duritie, ut fiſſa & in modum Chirurgicorum ſcalpellorum formata, ſagittas ſuas ita eâ acuant Barbari in Braſiliâ, ut uno Ictu feras humi ſternant.

Ex eâ Saccharum de Mambu conficiunt, quod, propter inſignem vim Medicamentoſam, magni fit ab Arabibus & Perſis, ab Æthiopibus Tabaxir vocatur. Eſt enim in internodiis liquor concretus, interdum nigricans & cinereus, præſertim ſi diutius ligno adhæſerit; interdum albus, ex quo ſaccharum elaboratur. Indi ex eâ domos ſuas ædificant in Terenate; findunt enim & ſingulari induſtriâ intorquent. In Civitate Bantam cuncta ædium ſublicia ex hiſce arundinibus aſſulatim diſſectis conſtant. Quibuſdam in locis naviculas, duobus viris capiendis aptas, ex iis conficiunt.

Mihi duo ejus ſunt fruſta: alterum unico conſtans internodio eodemque non ſatis integro, cujus cortex exterior niger forſan abraſus, unde aliquid ejus deceſſit amplitudini. Hoc à noſtris adminiſtratoribus ſocietatis Indicæ accepi, qui plura ejuſmodi habebant, ferri fragmentis referta, quibus tormenta bellica onerabant, ut plurimos uno Ictu læderent. Longitudine eſt pedis Romani circiter, in Diametro quatuor continens pollices.

Alterum ex duobus conſtat internodiis, trium pedum longitudine, quodvis enim pedem unum cum ſemiſſe obtinet; amplitudo pedem ſuperat unciâ dimidiâ, Diameter unciarum quatuor, craſſities materiæ trientem unciæ æquat.

In medio ubi junguntur interſtitium eſt in cavitate ipſâ, durum & ſolidum, exterius internodii junctura circulariter protuberat atque uno in loco abſciſſi folii remanent in junturâ veſtigia poroſa pollicis amplitudine, alioquin tota ſuperficies externa lævis eſt,

& lubrica, colore flavo ab uno latere, ab altero obscuriore & luteo, non nigro, ut ferunt autores. Interior vero superficies strigosa striis per longitudinem excurrentibus, coloris albicantis.

ARUNDO SACCHARINA à Lobelio eleganter ita describitur: Septenum octonumque pedum calamos, pollice crassiores, densis geniculis; fungosa, perquam dulci, succulentâque medullâ obfarcta albida, promit. Folia binos cubitos æquant, angustiora Donaci, scabra & secundum longitudinem striata, numerosa, stolones arundinibus concolores complures amplectentia, comoso flore, ut Sorgi, Radix ad cannæ radicem accedit, sed dulciore, succulentiore, minusque lignosa, unde germinula erumpunt, sationi idonea, resecta. Panguntur etiam taleæ, imæ radici abscissæ. Ex eâ saccharum conficitur.

Olim pro Saccharo saltem agnoscebant succum illum, qui sponte exsudabat ex hisce arundinibus, & calore solis concrescebat; sed jam arte conficitur. Arundines enim hasce stato tempore, ubi succo hoc dulci maturo maximè prægnantes conspiciuntur, legunt, in frusta secant, contundunt & prælo succum exprimunt, qui colligitur & ad Syrupi consistentiam coquitur; hinc inspissatur, ac rude Saccharum ex eo conficitur, quod deinde per varios gradus depuratur. Vel calamos incidunt, & coquunt eo usque dum omnis succus extrahatur, qui ulterius igne urgetur, donec in fundo condensatus, in formam Sacchari concrescat. Canarium & Madarense Saccharum omnibus reliquis præfertur, suavitate & candore. Quod lixivio ex calce vivâ depuratur, dulcedinis amittit gratiam & acrimoniam acquirit, unde bilis gignitur, sanguis uritur, caput gravatur.

Contusarum arundinum saccharinarum, & ex quibus expressus jam succus est, mihi quædam sunt fragmenta, ut & arundo trium pedum.

ARUNDO SATIVA, quæ Δόνας Dioscoridi & Theophrasto, Arundo magna Gesnero. In aquoso & pingui solo provenit è radicibus geniculatis & obliquis crassisque, rectis, calamos geniculatos ferens, secundo anno è singulis geniculis novos calamos protrudens. Folia totos cingunt geniculos, nervosa, longa; jubam in summo fert, villosam, & mollem seminibus non conspicuis. Calamus ipse ad hastæ militaris longitudinem excrescit, decem cubitorum quandoque, robustâ ac firmâ materie, intus inanis, compactis per intervalla geniculis. Seritur ad vitium palos quotannis; humo tenus secari solet, sectæque illico regerminant, crescuntque anno toto ad priorem altitudinem crassitiemque.

Radix arundinis pota, urinam movet & menses, recens tusa scorpionum Ictibus medetur. Vim trahendi ei quoque tribuunt aculeos, aliaque corpori infixa. Calami ipsi variis inserviunt opificibus, Hortulanis, textoribus, aliisque. Quos ego teneo calamos, longitudine pedes sedecim æquant, internodiis inæqualibus, pollicum ut plurimum septem vel octo, crassitie communis hastæ.

ARUNDO INDICA VERSICOLOR FLEXILIS, Bauhino quarta est inter Arundines, eandemque prorsus esse autumo cum quintâ quam arundinem Indicam puniceam mollem, & cum sextâ quam arundinem Indicam volubilem vocat, imo eâ quæ inter Juncos læves primo loco ponitur, titulo Junci seu scirpi Indici, & Juncus porosus Clusii. Notæ enim allatæ omnes uni huic competunt, & saltem ratione magnitudinis differunt, imò partes diversæ ejusdem plantæ esse videntur majores & minores. In Bengalâ Rotta vocari ait Bauhinus: Mercatores nostri Rottings appellant, est enim gracilis & succincta viminis instar, ac licet sit punica, maculas tamen quasdam obtinet, ob quas etiam versicolor dici possit, mollis est, & se contorqueri patitur, imò in Insulâ Sumatrâ, ut & alibi, varie se circa arbores vincit, centum, ducentarum, imo trecentarum orgiarum, ut vix ejus origo, finisque inveniri possit. Quin, arbores ubi non sunt, per montium cacumina repit per aliquot jugera, referentibus Mercatoribus nostris, qui addunt poros ejus adhuc viridis, aquâ & liquore grato refertos, ut, ubi exscinditur in aquæ defectu, ejus amphoras aliquot pro siti sedandâ colligere ex eâ possint. Iis enim in locis, ubi crescit, aquæ magna esse solet penuria, hisce ad se aquam & humiditatem omnem trahentibus & exsugentibus, quâ gaudere si velint, hanc arundinem secare coguntur.

In Caroli Clusii curis posterioribus, hæc de eâ extant: Ex Orientali Indiâ, aut illis adjacentibus Insulis, adferri in has regiones solet, mirum quoddam junci aut viminis genus, quod nondum descriptum, quia à nemine veram & accuratam ejus historiam nancisci potuerunt, &c. videtur autem hic juncus, viminis usum in locis ubi crescit habere,

bere, adeo tenax, lentus & flexilis eſt. Color autem ejus pallidus aut ſubluteus eſt, longitudo trium, quatuor, aut plurium interdum pedum, (quod de fruſtulis, tenuioribus, adferri ſolitis intelligendum; alioquin integer juncus multarum orgiarum eſt longitudine.) Deſcribitur ſub nomine Arundinis Indicæ in excerptis ex Deſcriptione Navigationum Stephani vander Hagen, in hunc modum: In Inſulâ Sumatrâ inveniebatur Arundinis Indicæ admodum mirabile genus, varie ſe circum arbores vinciens, & contortiplicatim creſcens, centum, ducentarum, imò trecentarum & plurium orgiarum longitudine, ita ut ejus origo & finis deprehendi vix poſſit, quod valde accommodum erat circulis vaſariis conficiendis, quibus vaſa revinciebant ſocii navales. Craſſitudo qualis communis Aſparagi, ſine ullo nodo aut geniculo (& hoc ſaltem intelligendum eſt de minoribus fruſtis unius aut duorum pedum, nam quæ ego poſſideo, internodia habent poſt pedis unius cum dimidio intervalla, & quidem pro ratione longitudinis, frequentia, adeò ut juncum hac in parte magis referat quam arundinem) ſubſtantia interior adeo poroſa eſt, ut ſi quis ori admoveat unam extremitatem hujus viminis, eique vel leviter tantum inflet, flatus ex alterâ extremitate erumpat; quod facilius & melius patebit, ſi quis extremitati ulteriori ſalivæ aut liquoris quidpiam illinat, ſimul ac quis uni extremitati inſufflaturus eſt, dicto citius bullæ ex alterâ ſubſilient, pulcherrimo & propemodum ſtupendo ſpectaculo. Addere & hoc licet, quod quamvis ejus ſubſtantia interior poroſa ac mollis ſit, in quamcunque partem flexilis, exterior tamen ejus ſuperficies lævis & lubrica, imò dura adeò, ut ſi duæ ejus virgæ ſimul violenter invicem collidantur, ſcintillas cœruleas, vel flammulas excutiant, quales illæ quæ ex accenſo ſulphure emicant, odorem etiam ſulphureum ſimul exhalant.

Mihi ejus fruſta ſunt decem & duodecim pedum longa, internodiis pedis unius cum ſemiſſe circiter diſtincta, colore & craſſitie deſcriptioni reſpondentia. Culei ex ſtoreis foliorum arundinaceorum confecti, in quibus Gariophylli ex Indiâ ad nos advecti, hiſce viminibus erant cincti, & anſis ex iiſdem confectis dotati; quandoq; integris & teretibus uti ſolent ad majora vincienda, quandoque per medium diſſectis, ut minores plicaturas recipiant. Aves, quæ ex Inſulis Canariis ad nos adferuntur, in caveis aſſervantur ex hiſce confectis. Magnus earum ubivis ferme in Indiâ uſus, quocirca negotiationes quoque iiſdem exercent. Naſcitur in Regno Congiano, Bengalâ, ad Gangem fluvium, & Sumatra.

Ad hanc claſſem ſpectare arbitror genus illud SCIPIONIS, quo ex Indiâ allato utuntur nobiles, colore luteo albicante, geniculis frequentibus conſtans, materiâ junceâ. Radicem arundinis cujuſdam Indicæ, & forſan hujus de quâ jam egimus, arbitror. Quod ut melius pateat, ejus, cujus mihi eſt copia, deſcriptionem apponam. Longitudine eſt pedum trium, figurâ penè tereti, colore buxeo, paulatim in acumen deſinens, intus materiâ poroſâ farctus, geniculis triginta duobus conſtans, ſingula internodia parte craſſiore pollicis longitudine, quo verò magis gracileſcit ſcipio, eo ſunt longiora. Geniculum quodvis ſinu ſeu acetabulo conſtat uno majore, & multis parvulis, quà gracilior eſt pluribus, quandoque duodecim: quà craſſior paucioribus, ſeptem vel octo. His verò acetabulis fibras tum majores, tum minores inſertas fuiſſe conſtat. Majora illa acetabula ita ſunt diſpoſita, ut alternatim in geniculis ſibi oppoſita appareant. Suſpicor, ut dixi, radicem eſſe jam deſcriptæ arundinis flexilis, quia ſubſtantia & materia plane cum eâ convenit.

CAP. V.

De Arachidne, & Calamo Aromatico.

DE ARACHIDNE Theophraſti & Plinii multum inter Botanicos diſputatum, quod integrè Plantam hanc non deſcripſerint, ſed notis paucioribus eam delineaverint. Plerique tamen pro Arachidne elegantem illam habent plantam, quam ex ſiccâ deſcripſit Cluſius Exot. lib. 4. cap. 16. ſub titulo; an Theophraſto Araco ὅμοιον. Bauhinus viciæ ſimilem vocat, ſupra infraque terram fructum edens. Arachidna Cretica Belli. Nos quia eam aliquot jam annis in horto aluimus, ad Cluſii deſcriptionem, noſtram accommodabimus.

Mox à radice in ramulos dividitur ſemipedales, aut dodrantales, tenues, triangulares, quos alternis ambiunt exigua folia ita diſpoſita, ut primo exiguæ à caule prodeant alæ,

alæ, quas insequitur pediculus angulosus, cui bina folia conjuncta insident, oblonga, acuta, tribus nervulis dotata juxta petiolum ubi junguntur, calcaribus quasi dotantur, quæ in foliis inferioribus minora, in superioribus majora & longiora capreolorum more se quandoque contorquent. Nequaquam verò folia eam obtinent figuram, quam Clusius pinxit, nec cordis figuram æmulantur. Flos illi purpureus Araci flori similis, qui supra terram in petiolis extremitatum caulium emergit, ex calice in quinque lacinias acutas diviso, quos sequuntur siliquæ latiusculæ, unciam longæ, aut paulo ampliores, compressæ, alatæ, mucrone hamato præditæ, bina aut terna semina, purpurascentia, rotunda continentes, quæ maturæ dehiscunt. Radicem habet exilem, lenticulæ aut Araco similem, è cujus capite juxta telluris superficiem emergunt plures parvæ, tenues, albæ fibræ, hinc inde sparsæ, è quarum singulis dependent siliquulæ breves & rotundæ, extimâ parte in mucronem desinentes, tenellæ & candicantes, unicum aut duo continentes semina rotunda, illis quoad figuram simillima, quæ in ramis nascuntur, sed albicantis & subfusci coloris. Tam ex semine infra terram nato, quam supra provenire solet, nullâ plane in plantâ observatâ differentiâ, nisi quod fertilior sit & plures fructus producat illa quæ ex semine supra terram collecto crescit, quam quæ in subterraneo. Quod jam aliquot annis in Horto meo expertus sum. Observavi quoque quod cum semina in caulibus existentia maturuerint in Augusto aut Septembri, planta juxta radicem novos flores protrudat, mox supra terram, adeò ut bis floreat ac fructum producere tentet.



De vero & legitimo CALAMO AROMATICO diu multumque inter Botanicos disputatum, siquidem radix illa, quam pro Calamo Aromatico ostentant officinæ, non calami, sed Acori est. At verum & legitimum calamum aromaticum refert Clusius se habere ex D. Bernhardo Paludano ex Syriâ & Ægypto reduce, qui plane cum Dioscoridis conveniat descriptione. Eum vero ita delineat, ut statuat potius umbelliferam esse plantam, quam arundinaceam, rectum habere caulem, multis nodis, seu geniculis cinctum, lævem alioquin, concavum intus & membranulâ ut arundines præditum, qui assulose, ut Dioscorides scribit, frangitur, estque satis odoratus gratique saporis, amari tamen, & nonnullæ adstrictionis particeps, folia bina ex adverso singulis geniculis sita, caulem amplecti videntur.

Radix summo capite extuberans nonnihil, dein in fibras desinit. Mihi olim Anno videlicet MDCX. Enchusæ dum ejusdem Clariss. D. D. Paludani lustrarem Pinacothecam, plantulam veri calami Aromatici dedit, quam periisse doleo; sed jam frustulo alio & radice, quam ex Horto Doncelli habuit Romæ Clariss. Vir D. Thomas Bartholinus, donatus, non potui non quædam hisce addere, quibus nostra radix differre videtur ab eâ quam Clusius proponit. Geniculata enim vel nodosa potius mea est, per summam tellurem repens, calami scriptorii crassitie, colore puniceo, summâ parte, quâ caulem protrudit, purpureum & villosum quid habens, per reliquum corporis fibras plurimas, longas, tenues, coloris cinerei, de se spargens parte inferiore, ut in radicibus Iridis fieri consuevit; sapore est acri aromatico.

Vires Calami Aromatici persequitur Galenus lib. 8. simpl. Medic. Calamus odoratus, inquit, leviculam quandam adstrictionem, ac minimam acrimoniam possidet, magnâ ex parte essentia ejus terrena est & aërea, in caliditatis & frigiditatis conjugatione tem-

temperata. Quamobrem moderate urinam movet, & iis, quæ jecori & ſtomacho imponuntur, miſceri poteſt, tum in fomenta quoque uteri, quæ Phlegmonis gratiâ, aut irritandis menſibus aſſumuntur, utiliter admiſcetur. Non eſt adeo tenuium partium ut cætera aromatica.

CAP. VI.

De Doronico.

PLANTAM vix eſſe arbitror, de quâ controverſia major & periculoſior mota ſit, quam de DORONICO vulgi, de viribus ejus magnopere diſſidentibus Botanicorum Principibus, quibuſdam venenum, quibuſdam alexipharmacum eſſe ſtatuentibus, quâ de cauſâ ejus hic etiam habenda ratio.

DORONICI vox ab Arabibus petita videtur, qui Doronigi ſeu Durungi hanc plantam vocant, Bauhino Doronicum radice Scorpii; Matthiolo Aconitum Pardalianches minus. Doronicum Romanum Geſnero. Doronicum latifolium Cluſio. Folia habet mollia, oblonga nonnihil, ex viridi flaveſcentia, conſpicue hirſuta piloſellæ modo, vel cucumeris agreſtis, ſed attrectanti lævia, ambitu rotunda, nonnihil laciniosa & ſuperne anguſta, terna vel quaterna pediculis cauli adhærent. Radicem exiguam, teretem, orbiculatam, inferne in anguſtum ſenſim adductam ſubtus, & tranſverſis quaſi ſquammularum torulis articulatam, apprime ſcorpionis cadaverulum & caudam exprimens; pluſculis donatam fibris, colore candido, ſapore dulci amaricante, lentorem multum pauxillâ comitante adſtrictione præfert, caulis ſeſquipalmum altus, floribus in ſummo luteolis aut pallidis radiatis, Buphtalmi aut conſolidæ mediæ inſtar. Naſcitur in altiſſimis montibus, ubi capreæ habitant, & in hortis paſſim jam colitur.

Ab omnibus pro Doronico habita hæc planta, & vim antidotalem habere creditum, unde etiam varias in officinis uſitatas compoſitiones, quæ vim cor corroborandi, & venenis reſiſtendi habent, ingreditur. Primus quod ſciam Marantha è numero Antidotorum expunxit, ac inter Aconita ac venena retulit, ut videre licet in Epiſtolis Matthioli, libr. 4. pag. mihi 171. Cui licet in eâdem Epiſtolâ acriter ſe oppoſuerit Matthiolus, attamen commentariis ſuis in librum quartum Dioſcoridis cap. 71. victas Maranthæ dat manus, in ejuſque deſcendit ſententiam, eo quod cani quatuor ejus exhibuerit Drachmas, quæ ipſi interitum attulerint. Hinc occaſionem ſumit acriter in hanc plantam invehendi, ejuſque uſum commendantes diris devovendi. Inter reliqua hæc habens: Erit ergo Doronicum poſthæc Dæmoniacum, non Doronicum appellandum, quod Diabolus in hujus locum Theliphori genus hoc intruſerit. Et paulo poſt: Expellant illud Pharmacopœi ſuis è Myropoliis, & interdicant pii & optimi Principes, qui Rempublicam gubernant, ne poſthac venenum hoc præſentiſſimum veneant.

Huic tamen refragatur tum Geſnerus, tum alii Medici præſtantiſſimi, quorum paucos adducemus, ut veritatis vis eo ſit manifeſtior. Geſnerus quidem peculiari tractatu de Aconito Matthioli, fuſe hac de re diſſeruit, quem conſulere poſſunt, qui hanc controverſiam planè diſcuſſam cupiunt. Sed ex libr. 2. Epiſt. 20. Adolpho Occoni inſcriptâ hæc excerpere juvat. Vult Matthiolus Doronicum noſtrum & Romanum omnino venenoſam eſſe herbam, & ex officinis ejiciendam hoc argumento, quod Canis, qui Drachmas ejus quatuor devoravit, brevi interierit. Quaſi non alia multa Canibus ſint venena, quæ homini ſalubria ſunt, ut de Aſparago fertur. Ego Doronici tamen herbam ſæpè in montibus copioſe edi magnâ cum voluptate (nam & aromatica & ſuaviter acris herba eſt & tenera, ſuccoque abundat) & ſine ullâ noxâ ſecutâ. Radices quoque recentes, ſiccas, integras, melle conditas, in pollinem tritas ſæpe ingeſſi, & hodie, ut manifeſtiſſime Matthioli & aliorum ſententiam redarguerem, ex aquâ calidâ Drachmas duas radicum contritarum hauſi, nec inde ullam prorſus in me mutationem ſenſi. Ægrotis quidem ſæpè illam & per ſe & cum aliis mixtam utiliſſime conſului, in vertigine præſertim & Epilepſiâ.

Miſceo interdum Gentianam, viſci Scobem & Aſtrantiam, ſic mire prodeſt Epilepticis, ſi continuetur uſus remedii. Plura alia nunc omitto, quibus oſtendere liquido poſſem, nec Doronicum noſtrum, nec Aconitum ullo modo eſſe venenum homini, canibus autem lethiferum eſſe ſcio, non ſolum ſi Drachmarum quatuor, ſed etiam ſi unius pondere ſumant. Scribo hæc horâ octavâ poſt, quam Drachmas duas ejus ſumpſi, &

optime habeo Dei gratiâ. Hæc ibidem Gesnerus, experimentis liquidis ostendens homini venenum non esse Doronicum nostrum.

At objicit rursus Matthiolus, Gesnerum in aliâ quadam Epistolâ fateri, se ex ejus usu in magnum vitæ discrimen incidisse, nisi sudatoriis, Laconicis & Antidotis nonnullis sibi opem tulisset. Verba ipsa referam: qui aliter sibi persuadent, rem ipsam ita esse intelligent, ubi à nobilissimo Cortuso impetrare poterunt, ut is quasdam Gesneri literas sibi legendas concedat, siquidem iis apertissime fatetur, cum hæc fabulosa putaret, & Doronicum vorasset, in se ipso facto periculo, incidisse profecto in magnum vitæ discrimen; nisi sudatoriis, Laconicis & aliis antidotis nonnullis, sibi opem tulisset. Nam quæ Canes occidunt & Lupos, facile adducor ut credam eadem homines quoque necare, vel (si non necent) plurimum lædere.

Epistola, cujus hic à Matthiolo fit mentio, procul dubio illa est, quam scripsit Adolpho Occoni, quæ numero 24. est in eodem libr. 2. Epistolarum Gesneri. In eâ inter reliqua hæc leguntur: Doronici Drachmas quatuor Cani datas eum occidere scribit Matthiolus: ego Cani unicam dari jussi & periisse audivi; quia tamen memineram, me sæpe in montibus herbam illam aromaticam cum voluptate edisse, & inde recreatum esse, sæpe etiam radices aliquot, nulla molestiâ; volui nuper Drachmas duas radicum illarum aridarum ex aquâ calidâ sumere, unde nihil incommodi sensi horis aliquot, quo tempore hoc ipsum etiam ad te scripsi; horis verò octo elapsis ventrem & stomachum inflari sensi, & circa ventriculi os imbecillitatem quandam, ac corpus totum infirmius, ita ferè ut aliàs semel atque iterum ex nimio aquæ frigidæ potu perceperam (inde curatus sum vini alicujus generosi potu per accidens, nam commune fastidiebam) sic biduo duravit in me hic affectus, & cum non videretur sponte discessurus, ingressus in aquæ calidæ solium curatus sum. Hæc procul dubio illa sunt, quæ ex Epistolâ Gesneri allegat Matthiolus in suæ opinionis confirmationem. Sed si ea quæ sequuntur in eâdem Epistolâ quis perpenderit, videbit Gesneri mentem non esse, se ita affectum fuisse ob venenatam aliquam ejus qualitatem, sed ob humiditatem nimiam, quâ ita offendi solitus est ab aliis quoque. Hæc namque subnectit: Prius etiam aliquando, nescio quâ de causâ, similiter affectus, Antidoto Saxonica sumpta sudatorium ingressus, in lecto etiam sudavi, & melius habui. Hæc de Doronico te scire volui, cui vim nullam malignam, aut homini venenosam inesse puto, sed radices nimium humidas esse puto (ut quæ nunquam fere exsiccentur totæ, utcunque longissimo tempore servatæ) & flatibus excitatis ventriculum offendere, nec facile ex eo descendere. Superficiem verò omnino salubrem & utilem esse puto, cum odorata, imo aromatica, foliis, caule & floribus sit, & tenuiorum quam radix partium. Hæc partim sensu & experimentis, partim ratione motus affirmo.

Ex quibus liquet Gesnerum inflationem istam non malignitati, sed humiditati Doronici adscribere, simul etiam non recte Matthiolo affirmari, quod antidotis nonnullis se in hoc casu curaverit Gesnerus. Solo enim aquæ calidæ solio se restitutum ait; sed in alio casu antidotis & balneis usus restitutus est.

Tantæ inter tantos viros controversiæ arbitros si consuluerimus, videbimus plures magnæ autoritatis viros à partibus Gesneri, quam Matthioli stare. Quia res est magni momenti, aliquos adducere lubet.

Agmen ducant Petrus Pona & Matthias Lobelius, qui in stirpium adversariis capite de Doronico, inquirentes in decreta Matthioli, hæc habent. Historiæ fides. Temeratæ audaciæ est, ut qui nullo periculo facto (nec enim potuit) illico decreverit Pardalianchen. Quo fastu, æstu & palpo magni nominis eruditis inculcet illud: Palpate & videte, quoniam Matthiolus non scribit mendacia (dicent stirpium exploratores indefessi) videre & mirari, fore tamen jam ut senior eoque moderatior factus, fateatur se lapsum, lugeatque Doronici, sibi ignotum antea, quod sceleste nefas illi Æsculapio Cortuso primum innotuerit, & per illum mortalium generi sit retectum. Quod maleficium cum nostræ memoriæ plerisque notum esset, scivissemus, & Cortuso in hortulo suo Patavino inter colloquendum respondissemus, id verum quidem esse, cæterum minime mirum, ut qui experimento certum haberemus Aloë saluberrimâ interfici vulpes, easdemque enectas amygdalis amaris ex Plutarcho meminissemus, annuit ille Italice cuidam compatri suo Pharmacopœo, qui vulgatum exemplum de nuce vomicâ subdidit, eâ nempe feles, canes, avesque interimi, quæ tamen tuto, & magno commodo adversus letifera & Epidemicos

micos morbos in Electuario Liberantis datur homini. Immerito proinde Doronicum è republicâ Medicorum exigere nititur. Tantillam rem, tam valde vulgatam, captum superasse tanti commentatoris, stupet vulgus, quæ Philomelis, Alaudis, Hirundinibus, aliisque delicatioribus aviculis, non solum non noceat, sed interdum cibus, sæpissime remedium unicum & Panchrestum sit. Quam multis tu Principibus, nos pauperibus Doronici ignoratione exitio fuissemus, quantam stragem plus quingentis abhinc annis dedissent Medici, freti Electuariis de Gemmis & aromatibus & aliis cordi amicis, quibus frequentissime usi sunt, teque monere possunt, Doronico ne tantopere convitieris, sed potius desine. Metiaris alioqui Croci, moschi similiumque dato quaternum Drachmarum demensum homini & comperies Dæmonium tuum. Quin etiam thus multo quibusdam minore mole meminimus perniciem attulisse, &c.

Nec ab hac sententiâ abhorret ipsius Matthioli abbreviator Joachimus Camerarius, qui in Epitome Matthioli, capite de Aconito Pardalianchis minore, hanc subnectit censuram. Venenum esse illud & hominibus lethale, nondum comprobavit experientia, licet canes interimat. Venatores certe multis in locis apud nos, præsertim ubi sunt venationes Rupicaprarum, comedunt contra vertiginem & vocant Schwindelkraut.

Ne nimius sim, claudat agmen eruditissimus Ludovicus Septalius, qui libr. 9. cautionum Medicarum Aphorismo 54. de Doronico hæc profert. Hunc cum Aconitum Pardalianches censuisset Matthiolus, ineptè admodum (ut longâ oratione demonstraverunt Doctissimi Petrus Pona & Matthias de Lobet, in stirpium accuratissimis adversariis, & post eos Renodæus, Oviedus & plerique alii) ab omnibus iis cardiacis confectionibus excludendum censuit: quod ut malignitatis & venenosæ ejus naturæ periculum facerent, radicibus iis pulverisatis, cani cum carnibus exhibitis, misere periisse observaverunt. At plerique alii contrariam adferunt experientiam, quod canes plures & in multâ quantitate exhibitas, innoxie eas esitasse cognoverint. Tantum abest ut adeò noxium sit venenum, ut quotidie, & ab antiquis datas radices hasce, & ab omnibus Medicis passim dari videamus, in Electuario de Gemmis, Diambrâ & Cardiacis aliis confectionibus non periculose, sed felicissime. Quin clarissimi viri editis scriptis retulerunt, se Doronici radices melle conditas sæpe esitasse, atque harum contritarum Drachmas duas ex aquâ bibisse, & ægrotis sæpe radicem illam & per se, & aliis mixtam medicamentis utilissimè dedisse, &c.

Et mox Aphorismo sequenti 55. Sed demus Matthiolo Doronicum Canes & Lupos occidere, an inde colligendum erit, homini lethale venenum esse? Differt natura à naturâ, alimentum ab alimento, dicebat Hippocrates de flatibus. Aloë enecat Vulpem, non hominem. Nux vomica, feles, mures, & aves: nobis est salutaris Medicina; sturnis cicuta est cibus, nobis venenum. Non igitur rejiciemus nos Doronicum, sed utemur moderate, si non ut aromate, saltem liceat nobis ut Alexiterio, ut Antidoto & Theriacâ. Cum in eo etiam Avicenna Theriacalem agnoscat facultatem; qualem cognoscens Mesve, videmus eum Electuario de gemmis, Aromatico, Diambræ & aliis indidisse; sicque non adeo facile celebres Medicos inscitiæ & sceleris reos facere oportebit.

Quod verò subdit Matthiolus, fortasse nec antiquos cognovisse nocumenta Doronici in Cardiacis Medicamentis, quod in modicâ admodum quantitate illis inderetur, & compluribus admixtum, quæ malitiam ejus infringere possent; non tollit usum illius. Admittimus enim in mixtione antidotorum & medicamentorum haud pauca, quæ manifeste habere scimus noxias qualitates, lapidem Armenum, Lazuli, Scammonium, Colocinthidem, Veratrum; sed mensuram adhibemus convenientem, corrigimus, multa addimus malitiam infringentia, ut cæteroqui utilitatibus eorum frui possimus. Intrepide igitur communibus nostris radicibus Doronici nostrates utuntur, & illas cæteris misceamus, ut securius in usum veniant, cum Serapio libro Simplicium cap. 335. Doronicum morsibus venenosorum animalium maxime conferre fateatur. Et etiamsi Matthiolo & Maranthæ concedamus, Doronicum esse Aconitum Pardalianches, quod nunquam concedendum esse, ex comparatione eorum quæ de Doronico scripserunt Arabes, & quæ de Aconito Pardalianche, Græci doctissimi viri collegerunt, nunquam colligent hominibus venenum esse; sed Pantheris, Porcis, Lupis aliisque feris animalibus. Quinimo Theophrastus bibitum dicit conferre commorsis. Hæc aliaque supra adducta erro-

rem Matthioli abunde arguunt, & Doronicum nostrum ad classem venenatorum nequaquam referendum esse evincunt.

Verum alia hinc oritur controversia, an nostrum hoc Doronicum Arabum sit Durungi? Quod negare plerosque video. Gesnerus, Epistolâ supra citatâ, mentem suam perspicuis his explicat. Doronicum nostrum vulgare, non esse Doronicum Arabum, ex meâ ad Guilandinum Epistolâ jam olim impressâ discere potuit. Ego Pharmacopolas nostros jussi Doronicum vulgare non quidem abjicere cum Matthiolo, sed Pseudodoronici titulum ei tribuere, pro Doronico autem in veterum compositionibus, Galangâ vel Zedoariâ uti, cum aliquotâ parte corticum citri. Durungi enim Arabum Doronicum est, & à citro nomen habet. In eâdem planè opinione est Camerarius in Epitome Matthioli. Arabum Doronicum non esse hoc nostrarum officinarum Doronicum, facile assentior Autori, pro eâ radicem Galangæ vel Zedoariæ, cum pauco cortice citri substituendum esse cum aliis peritis Medicis censeo. Septalius etsi non dubitet pro vero agnoscere, hanc tamen cautionem subnectit: si quis tamen in dubiis nolit ullo modo periclitari, neque eo uti, cum Avicennâ lib. 2. cap. 209. illius loco indere poterit duas tertias partes Gariophyllorum, aut secundum alios dimidium sui ponderis Galangæ. Hæc fusius, quam pro instituti nostri ratione, de Doronici viribus ut dissereremus, effecit rei gravitas, & controversiæ tanti momenti necessitas; in reliquis breviores futuri.

CAP. VII.

De Ficu Indicâ, Hordeo fertilissimo, Hermaphroditico, Hypojasmino, Monstro Linariæ cœruleæ.

FICUS INDICA, Tunal quibusdam, Opuntia Theophrasti quorundam, mirabilis planta est, nam ex uno folio, quod crassum, pingue, & spinis horridum, humi ad medium usque sepulto, radices protrudit, quibus innixa planta paulo post folia plura edit. Adeo ut hac serie foliis è foliis prodeuntibus in arboris speciem assurgat, sine caudice, sine ramis germinibusque. Foliorum summitati fructus inhærent ficubus nostratibus simillimi, sed crassiores, anteriore parte in coronæ speciem desinentes, colore ex viridi purpurascente. Interior pulpa similis nostratium, verum succosa valde & rubicunda, gustu minus suavi.

Ejus usu urinam cruentam reddi asserunt, usum alioquin in Medicinâ habet nullum. Differt enim ab eâ arbor ferruminatrix dicta, ob vim eximiam quam habet artus fractos & luxatos restituendi, licet folia obtineat fermè eadem, ut ex Adversariis Penæ & Lobelii pag. 454. constat.

Duûm generum observatur, major & minor, foliorum magnitudine differentiam constituente. Minor jam aliquot annis in horto meo crevit, sed fructus non produxit.

Quoniam Vir Clarissimus & Excellentissimus D. D. Aurelius Severinus, Anatomes & Chirurgiæ in Gymnasio Neapolitano Professor eximius, novam non solum Dendrotomen in parte primâ suæ Zootomiæ cap. 6. proposuit, sed & exempli loco folium Ficus Indicæ, è suâ carne nudatum & vasorum quasi Sceleton exhibuit, mihique ejusdem Sceleti exemplum per Clariss. Virum D. Thomam Bartholinum transmisit, non possum non illud hic inserere, iisdem quibus illud ipse loco dicto describit verbis.

Folium ficus Opuntiæ, ait, vasa habet, quorum contextus & dispositio sic implicata est, ut cum aliorum foliorum omnium continuo ductu dirimantur in ulteriores ramos, qui semper anterius procedunt, & liberi sunt à complexu: hi quos describo, sic sunt innexi, ut cum ab exortu folii processerint, relicto inani spacio, circumcurrant, flectanturque in se ipsos, extantibus in orbis ambitu exteriore aliquot quasi radiis, qui surculi sunt venarum. Dubius profecto sis num hi de orbitâ surgant, vel ad hanc proxime veniant de vicinis surculis, qui cum primum viam in anteriora visi fuerint tenuisse, mox apparent in posteriora revehi, quanquam itu fibrarum acutius perspecto decreverim.

Ad

Ad extremum, ſurculos venarum, quarum triplex ordo eſt, & ea diſpoſitio, ut minimi omnium majoribus, & hi à maximis comprehendantur, aſſurgere binos, qui deinde deducti primum, mox relictâ plateâ rurſum coëant, & coaliti aliquantiſper procedant, ut rurſum divaricentur. Sic plateam ſimiliter procedentes relinquunt & coëunt, quemadmodum ante dictum eſt. Quam texturam etiam intus retinent minores ſurculi, & ſub his minimi. Illâ tamen unâ re peculiariter explicatâ, quod intra ſpacia majora illa adſcendit certis locis ramuſculus, qui facto circuitu, foruloque relicto, in ſeſe reflectitur, mittens ab extimo ſui clivo ramos, qui cum aliis ſecus diſcurrentibus coëunt, & ſe invicem amplectuntur.

Interim hiſce utriſque ſurculis, quos binos aſcendere depinxi, aſſurgentes inferius alii, æquâ magnitudine ſimiles, in viâ plateas tranſcurrendo conformant, atque inter hos alii minores, eum quem dixi contextum conficiunt. Talis univerſi folii ſuâ carne reſoluti textura eſt.

Hæc ille.

Mihi folii dimidii ſaltem obtigit ſceleton ſeptem uncias longum, unam cum dimidio latam, cujus vaſa dura ſunt & lignea, non teretia, ſed quadrangula, quorum majora ex fibris multis invicem junctis, & non tam continuis quam contiguis, conſtant; quæ ſe-

paratæ minores formant ſurculos, quod ab unâ parte melius, quam ab alterâ conſpicitur. Eadem enim hæc pars planior eſt alterâ, ſurculis eminentioribus, & majorum protuberantias ampliores oſtentans. Summa: in hujus folii Sceleto Naturæ artificium conſpicitur mirandum.

HORDEUM FERTILISSIMUM mihi dono dedit Socer Venerandus D. D. Matthias Jani, quondam Epiſcopus Scaniæ vigilantiſſimus, ex cujus grano unico ſeptem Culmi & Spicæ emerſerunt, longitudine virum, quantumvis proceræ ſtaturæ, excedentes, pedes enim Romanos ſeptem maximus ſuperabat, ſex conſtans internodiis, quorum infimum minimum, & tres ſaltem pollices longum, ſupremum duorum erat pedum. Culmus minimus ſex pedes longus, totidem conſtat internodiis, eâ proportione, ut ſummum maximum, infimum minimum ſit; ſpicis nudati erant hi Culmi, quocirca earum proportionem delineare haud licuit. Interim ſi ex grano uno ſeptem ſpicas enatas conſideraveris, & unamquamque ſpicam quatuor verſibus conſtantem, verſum vero quemvis duodecim ad minimum granis, non miraberis me hordeum hoc vocaſſe fertiliſſimum. Unicum enim granum de ſe ad minimum trecenta triginta ſex produxiſſe apparebit. Sed ſoli bonitati, non verò certæ hordei ſpeciei, hoc poſt divinam benedictionem adſcribendum puto.

HERMAPHRODITICUM voco HORDEUM, quod in unicâ ſpicâ & hordeum & ſecale continet. Talem ſpicam mihi obtulit Vir Reverendus, D. Michaël Butrup, Parochiæ Greffue & Kildebrönd Paſtor & Præpoſitus vigilantiſſimus, qui forte in agro ſuo inter ſegetes reliquas unicam hanc offendit. Spica eſt exigua pollicis longitudinem non ſuperans, primo aſpectu hordeum præ ſe ferens; quatuor conſtans verſibus, quorum ſinguli quinque granis. Ita verò diſpoſiti ſunt verſus, ut alternatim verſus unus ſit hordei, alter ſecalis. Grana præterea ipſa in glumis ita ſunt conſtituta, ut hordei ariſtis prædita firmis, longis, & acutis ſint: Secalis vero iis deſtituantur. Intercurrunt etiam glumi quidam ſteriles, granis deſtituti. Simile diverſorum frumentorum in unâ ſpicâ conjugium, ab aliis animadverſum non legi, quocirca hic minime prætereundum duxi.

Spicam ORIZÆ, quæ in Indiâ Orientali crevit, attulerunt naves Belgicæ inde ad nos venientes, coloris ſpicei, longitudine quinque unciarum, quæ mox aut culmo in ſeptem aut octo dividitur partes æquales, quarum quælibet jam plura, jam pauciora, pro ratione proportionis, continebant grana tenui cortice veſtita, eſui aptiſſima.

HYPOJASMINUM ſub plantâ aut frutice Jaſmini excrevit ut Hypociſtis ſub Ciſto plantâ, monſtroſum quid eſt, trium unciarum altitudine, latum duas, planum, inferiore ſui parte fibras quaſi radices de ſe ſpargit, licet ipſi ſtirpi adhæſerit, & in medio ejus corpore tales etiam apparent. Hinc paulatim magis magiſque dilatatur, ac in lobos divaricatur, ut figuram alæ tripartitæ non ineptè referat. Per totum verò corpus utrinque frequentia quaſi granula apparent, ex quibus etiam fibræ quædam ortum trahunt.

Extre-

Extremæ corporis oræ aſperæ ſunt, & quaſi ſquammoſæ ac rugoſæ. Crevit in Horto Experientiſſimi D. D. Chriſtiani Fabricii, cujus dono habeo.

Tale monſtrum LINARIÆ CÆRULEÆ meus quoque produxit hortus; cujus caulis cum duorum digitorum eſſet latitudine, planus, paulatim in tenuiores dirimebatur, qui floribus ſuis cœruleis eleganter veſtiebantur.

CAP. VIII.

Moly Virginianum, Rhaponticum, Rhus Virginianum, Roſa Hierichuntica.

MOLY VIRGINIANUM, quibuſdam Allium vel Phalangium Virginianum, in Horto tenemus, quod Caſparus Bauhinus in appendice ad prodromum hiſce deſcripſit. Foliis eſt anguſtis, gramineis, palmaribus, nervoſis, acuminatis, per margines nonnihil aſperis & cauliculos ſuperantibus; cauliculis ſemipalmaribus, umbella ceu in Moly luteo inſidet, quam flores plures purpureo cœrulei, oblongis pediculis donati, iique trifolii, inſident. At umbellæ folia bina oblonga, ut in Allii ſeu Moly Montani ſpeciebus, ſed latiora ſubjiciuntur.

De RHAPONTICO variæ à Botanicis agitantur controverſiæ, quibuſdam radicem Centaurii majoris pro Rhapontico ſumentibus, quibuſdam Rhaponticum à Rhabarbaro diverſum non eſſe ſtatuentibus, donec noſtro ſæculo, quid verum eſſet Rhaponticum & qualis planta, edito de eo eleganti tractatu oſtenderet Proſper Alpinus, verâ ejus plantâ ex Thraciæ monte Rhodope in Italiam allatâ, quâ etiam jam gaudet hortus noſter.

Radicibus prædita eſt hæc planta multis, ab uno germine proficiſcentibus, longis, rotundis, centaurii majoris ſimilibus. Ut primum è terrâ eruuntur, ex rufo nigreſcunt, ſubſtantiâ rarâ, laxâ, levi, quæ commanducata croci colore tingit, &, ſi pluſculum dentibus agitetur, glutinis modo lenteſcit, levi amaritudine prædita. Folia fert multa longis pediculis ſurſum acta, ampla, ad magnæ Lappæ figuram inclinantia, majora tamen & latiora in circumferentiâ, miris quibuſdam circumvolutionibus agitata, colore viridi in nigrum inclinante, pediculis longis, craſſis, latis, intus cavis, exterius convexis ſtriatiſque in orbem expanduntur, Inodora, ſapore ſubacido, caulis è medio foliorum exſurgit unicus, cubitalis, ad rubrum inclinans, rotundus, cavus, craſſus, ſtriatus, geniculatus, ex cujus geniculis ſurculi rectè exeunt duo vel tres, utrinque ex oppoſito floſculis albis, muſcoſis, ſambuci floribus ſimillimis, racematim undique congeſtis, benè olentibus, ſapore ſubacido, quibus ſuccedunt ſemina triangula, parvis folliculis membranaceis tecta, nigra, Hyppolapathi ſeminibus ſimillima.

Vires habet ſingulares, ratione terreſtreitatis adſtringit, cum modicâ caliditate, laxitas ejus & levitas aërei etiam multum participare oſtendit. Hinc convulſis, ruptis & Orthopnoicis prodeſt, Liventia & Lichenas ex aceto ſanat, ad ſanguinem expuentes, Cæliacos & Dyſentericos expetitur. Dolores & inflationes diſſipat, Lienoſis, Hepaticis, Febricitantibus, Singultientibus confert. Morſus venenatos ſanat, facultate purgatoriâ levi prædita.

RHUS VIRGINIANUM etiam colit Hortus noſter. Arbuſcula eſt, vulgari Rhoë major, foliis majoribus, acutioribus, mollioribus & viridioribus, quorum quælibet pinna uncias quinque vel ſex longa. Superiora folia, Jaſmini foliis ſimillima ſunt; Rami ex ſtipite pullulantes tenella cervorum cornua ex cranio modo erumpentia referunt, figurâ, hirſutie & colore. Spicam Rhoë vulgari multo majorem habet. Rhus dicitur Græcis, officinis Sumach. In obſoniis & condimentis pro ſale utuntur quidam in Syriâ & Ægypto, unde à quibuſdam vulgare Rhus obſoniorum vocatur, aliis Coriariorum, quia ad coria & pelles ſpiſſandas & criſpandas adhiberi à coriariis ſolet. Quamvis ſint qui Rhus obſoniorum à Rhoë coriariorum differre ſtatuant, non ſine errore. Inſigni pollet vi adſtringente, exſiccat & refrigerat.

ROSA HIERICHUNTINA nomen ſuum ab imperito quodam Monacho ſortita eſt, teſte Bellonio, ſiquidem circa Hiericho nunquam reperiatur, ſed in Arabiâ deſertâ ad littora maris in Sabulo. Quibuſdam Amomis Dioſcoridis & Plinii. In Italiâ Roſa Hierici vel Sanctæ Mariæ dicitur.

Fruticu-

Fruticulus eſt, cum ſuâ radice palmaris, lignoſus, ramulis frequentibus implicitus, figurâ rotundâ antequam dehiſcat. Dehiſcit autem cum in aquâ calidâ ponitur.

Fructus fert in mediis ramulis, rotundos, parvulos, duros, candicantes, in quibus in duplici cavitate ſunt ſemina pauca nigricantia, folia parva, oblonga, alata, criſpa, aliquantulum ſinuata.

De viribus & facultatibus hujus Plantæ mira fabulantur multi. Circa feſtum natalitiorum Domini dehiſcere ſponte volunt, exſiccata antea ſi fuerit: ſed id ab aëris hybernâ humiditate contingit, & quovis tempore id præſtat, aquæ calidæ ſi imponatur. In Italiâ mulieres tempore partus, ad inveſtigandam pariendi horam, eâ utuntur. Quandoquidem (ut ajunt) in aquam demiſſa, non prius fatiſcit, quam fœtus naſci incipiat. Cæſalpinus refert mulieres enixuras, in hoc frutice confidere, facilem ſibi fore partum, ſi is pandat ſe Roſæ modo. De eâ ſimilem tractatum conſcripſit Johannes Sturmius Lovanienſis Profeſſor, ſed ſuperſtitionibus plenum.

CAP. IX.

Scorzonera Hiſpanica, Virga Aurea Virginiana, Vitis Canadenſis.

SCORZONERA vox eſt Hiſpanica, à Scorzo Viperâ vel Serpente ita dicto derivata, quod contra Viperarum & Serpentium Ictus inſigni vi polleat; vel quod Eſcorzu, Catalaunico ſermone dicti ſerpentis, figuram hujus plantæ radix referat, ejuſque morſus curet.

Cubitorum duorum creſcit altitudine, cichorei foliis latioribus in terram ſparſis, extimâ parte mucronatis, ſecundum ejus longitudinem excurrente nervo, colore viridi latiori. In multos graciles ramos caulis finditur, duros, lignoſos, quorum ſummis faſtigiis inſident calices longi, nervoſi, rotundi, ſquammati, calicibus Gariophyllorum ſimiles, ex quibus flores ex multis foliolis confertim naſcentibus conſtantes emergunt; orbiculares, aurei inſtar radiorum Solis. Hos ſequuntur Calices, ſeu capitula continentia ſemina oblonga, ſtriata, alba, pappo inſigni tecta. Radicem habet carnoſam, firmam, in mucronem deſinentem parte inferiore, ſed paulatim craſſitudinem acquirentem, tenui cortice nigricante tectam, rugoſam aliquantum, quæ ſecta aut rupta, lentum ac lacteum ſuccum ſtillat, internè tota albicans, pinguis, dulcis.

Commendatur in primis ad Animalium venenatorum Morſus toſta, aut condita radix; foliorum ſuccus ſolus cum aliis cordialibus miſtus ad eadem commendatur. Aqua inde deſtillata in febribus malignis & contagioſis præſens eſt remedium, ſudorem provocat, & Naturæ Criſin molienti ſuccurrit. Radix condita valde ſapida eſt & delicatis grata. Tum aqua, tum radix condita, per multos dies datur, ad curandas Hepatis, Lienis & interiorum partium obſtructiones, ad menſes movendos & animi deliquia, puerorum Epilepſias, vertiginem, cerebri perturbationem; à veneno & toxico.

Ejus primam inventionem ita proponit Nicolaus Monardes peculiari de eâ tractatu. In comitatu Urgel, Catalauniæ Provinciæ, loco Momblanc dicto, primum inventa & obſervata eſt Scorzonera. Totus ille tractus variis animalibus valde noxiis abundat, præſertim verò iis quæ Eſcuerſos nuncupant, & in agris inter arbores atque herbas latitantes plagam, cui remedium adferri nequeat, eſſe cenſebant.

Ruſtici enim neque arva colere, neque meſſes ſecare, neque alias operas in agro neceſſarias exercere quibant, quin crudeliter ab hiſce animalibus offenderentur, quia eorum venenum adeo noxium eſt, ut, quæcunque corporis pars morſu apprehenſa fuerit, illico intumeſcat, magniſque doloribus & venenoſis Symptomatis inficiatur, inflammatioque ad cor ſubeat, ut niſi ſubito ſuccurratur, facile demorſi exſtinguantur. Id autem ejus regionis Incolas maxime premebat quod nullum remedium adverſus illud malum reperirent, nam neque Theriaca, neque alia medicamenta uſurpata, quicquam auxilii præſtabant. Sub idem ferè tempus, quo adeo deplorata res erat, Mauritanus quidam captivus eo adductus eſt, qui præmorſos ab iſto virulento animali curabat datâ radice & ſucco herbæ ſibi cognitæ, quam ederent, tantæque fuit efficaciæ hoc medicamentum, ut facile morſus ſanaret & venenum tolleret. Quam ob rem adeò multi ad iſtum Mauritanum confluxerunt, ut ipſum non modo ſervitute liberarent, ſed & opulentum efficerent.

Nihilo-

Nihilominus toto illo tempore Mauritanus, nec pollicitationibus, nec donis pellici potuit, ut indicaret quænam radix & herba illa esset, quæ tam noxium malum curaret. Tandem duo ejus loci homines considerantes quantum omnium interesset, ut illam herbam cognoscerent, ipsum ad eruendam herbam proficiscentem clam subsecuti sunt, locumque observarunt, in quo herbam cum suâ radice eruebat. Post Mauritani discessum locum adeunt, lacunasque conspiciunt unde herbam illam eruerat & aliquas herbæ reliquias. Collectâ igitur herbæ copiâ (plurima enim ibidem nascebatur) in pagum redeunt, & ad Mauritani ædes profecti, illum reperiunt herbam è Canistro educentem, quam cum à sese collectâ conferentes, eandem esse comperiunt, nec Mauritanus negare potuit quin eadem esset. Unde in omnium notitiam pervenit, & quotquot illâ egebant, lectum ibant, atque ad animalis, quod dixi, morsus utebantur.

VIRGA AUREA VIRGINIANA à Bauhino in appendice ad Pinacem Theatri Botanici describitur sub nomine Virgæ aureæ Mexicanæ; sed quia concisa ejus est descriptio & plantam ipsam jam aliquot annis in horto alui, ei quædam addenda esse necessarium duxi. Ex unâ radice tuberosâ & grandi, caules plures assurgunt, altissimi, septem vel octo pedum, rotundi, asperi, circa quos folia angusta, palmaria, sesquiunciam lata, acuminata, splendentia, utrinque aspera, pronâ parte dilutioris viriditatis, per quorum dorsum nervus durus ad apicem ascendit. In plantæ summitate multo sunt breviora. Circa summum ex foliorum alis ramuli prodeunt, caule purpureo, aspero, foliis minoribus, in quorum apice flos unicus aureus sursum spectans, flori Helenii similis, licet minor. Ramuli in summitate conjuncti, umbellam quasi constituunt auream, aspectu jucundissimo. Floret apud nos mense Septembri, semina ad maturitatem non perveniunt.

VITIS CANADENSIS. Hedera quinque folia Canadensis Jacobo Cornuto, radice & Sarmento communi viti similis, geniculis articulato. Pediculi longiores ex alternis geniculis inæquali situ prodeunt rubri: quibus folia quinque singula per singulos petiolos inseruntur. Adnascuntur hinc inde ex alterâ foliorum parte Claviculi, qui in plures fibras crispas sparguntur, his veluti manibus proxima quæque comprehendit, & parietum asperitatibus se illaqueat, quos jucundo spectaculo obvestit. Folia hyemem non sustinent, flores aut baccas apud nos non habuit, in aliquot orgiarum altitudinem ad parietem ascendit.

Sapor ei acidus & parum acerbus, usum vero alium obtinere nondum animadversum, quam ad opus topiarium, imis partibus & malleolis facillime pangitur, circa Autumnum, & juxta parietes effossis scrobibus deprimitur, terrâque leviter obruitur. Iconem vide apud Cornutum cap. 41. Hist.

Plantæ aliæ quas tenemus longiore non indigent descriptione, cum earum Historiæ passim apud Botanicos inveniantur; ad Radices igitur transitum faciamus.

CAP. X.

De Radicibus Chinæ, Cyperi, Contrajervæ, Deriagon, Jalap, Labrandino, Liquiritiâ Brasiliensi.

CHINÆ radix ita dicta quod ex regione Chinæ seu Sinæ adferatur, ubi Lampaton vocatur, sed non solum hinc, verum etiam ex Occidentali Indiâ depromitur: Orientalis verò præfertur.

Hæc exterius colore est rubente aut subnigro, interius candicante aut subrubente: occidentalis verò, colore interius magis ruffo.

Amatus Lusitanus inter Arundines recenset, ut & Manardus, Cæsalpinus inter Irides, Bauhinus inter Convolvulos. Acosta in hunc modum plantam ipsam delineat: Trium aut quatuor palmorum altitudine assurgit, cauliculis tenuibus, quos rara folia cingunt, mali Assyrii junioris similitudine. Radix palmi longitudine, interdum crassa, nonnunquam tenuis, quæ recens eruta admodum tenella est, & cruda aut elixa mandi potest. Monardes dicit Arundinis majoris radicem esse similem, nodosam, intus albam, interdum rubescentem, foris rubram. Optimam esse recentem, ponderosam, solidam, pinguem, non cariosam, insipidam. Nascitur in Chinæ locis maritimis, arundinis aut ulvæ palustris modo.

Solâ radice utuntur Indi ad morbos difficiles curandos, maximam vim in lue Venereâ profligandâ obtinet, valde extenuat, sudorem movet, exsiccat, putredini resistit, jecur confirmat, hydropi auxiliatur, ulcera maligna sanat, Lepram & Elephantiasin curat, corpus alimento destitutum reficit, Schyrris jecoris prodest: ligno Guajaco infirmior putatur.

CYPERUS Græcis κύπερος vel κύπερις ita dictus videtur, quod radix vasculum aut pyxidulam pusillam figurâ imitetur. In officinis duo ejus sunt genera in usu: Rotundum & longum. Est autem radix junci triangularis, aut quadrangularis, cubitalis, aut majoris quandoque, folia habentis porracea, longa, angusta, in summo caule minuta, semen complectentia. Radices inter se cohærent Oleis oblongis similes, quæ rotundæ sunt, nigræ, odore suavi, gustu amaro. Nascitur in palustribus & humecto solo, quin etiam in cultis locis. Optima ea censetur, quæ gravis, densa, plena, dura, aspera, odorata cum quadam acrimoniâ.

Calida est, venarum orificia aperit, urinam movet, ad calculos & Hydropem commendatur, contra Ictus Scorpionum utilis, menses movet, curat oris ulcera depascentia, in unguentis & cataplasmatis locum habens.

Ad Cyperos refert Bauhinus CONTRAYERVAM Hispanis dictam, quasi Alexipharmacam, ex Charcis Provinciâ Peruanâ allatam. Monardes radicibus Iridis similem esse ait, nisi quod minor sit. Et certè eo convenire videtur, quod grumosa existat, supra terram repens & fibras multas de se spargens, quæ à summo ad imum graciliores evadunt. Colore exterius purpureo, interius albicante, sapore subdulci, adstringente, cum acrimoniâ aromaticâ.

Pulvis ejus ex albo vino sumptus adversus omne venenum, cujuscunque sit generis, præsentissimum est remedium (uno sublimato excepto) vomitione illud rejicere faciens, aut per sudores evacuans. Philtra quoque eo pulvere educi hausto ferunt, Lumbricos etiam enecari.

Quamvis Casparus Bauhinus Pinacis lib. 1. sect. 2. diversas Radices constituat Contrayervam & Drakenam, dum illam ad Cyperos longos odoros referat, hanc ad Cyperos longos inodoros, attamen dum Drakenæ Iconem & descriptionem confero cum radice, quæ Contrayervæ nomine ad nos adfertur, non possum quin statuam eandem esse. Sic enim describit Clusius suam Drakenam (cui hoc nominis indidit, quia à Francisco Draco primùm advecta & Clusio dono data sit) Exotic. lib. 4. cap. x. semiunciali magnâ ex parte est crassitudine, prælonga, subinde in nodos & inæqualia capita extuberans, atque in summis capitibus veluti ex crassis squammis contexta, Dentariæ ῥιζόφυλλα ferè instar, interiore parte albâ, tenues fibras hinc inde adnascentes habens, quasdam crassiusculas & majusculas, duras & lentas, ex quibus alii nodi dependent, nullo manifesto odore, sapore nonnihil adstringente & linguam exsiccante initio, diutius verò manducata tenuem suavemque acrimoniam in ore relinquit.

Plantam ipsam qui descripserit nondum inventus est. Nardus Antonius Rechus l. 8. Hist. Nat. Mex. cap. 58. Plantam quandam depingit sub titulo COANENEPILLI, quam ejus commentator Terentius Contrayervam esse putat, sed dubitare me facit Radicis descriptio, quæ longa esse dicitur, prolixa & convoluta, minimum digitum crassa, fibrataque, qualis illa non est, quæ ad nos adfertur. Herba præterea ipsa depicta convolvulum refert, non Cyperum; sed penes alios esto judicium. Addit vero Clusius se ab Elioto accepisse, folia præsens esse venenum, ipsam vero radicem, non modo illius veneni, sed aliorum esse Antidotum, cor & vitales facultates roborare, si pollinis in modum trita, mane ex pauxillo vino sumeretur; ex aquâ verò febris ardores mitigare. Hæc omnia optimè quadrant cum iis, quæ Contrayervæ tribuuntur.

Inter alias peregrinas radices, quas ad me Lugduno Batavorum transmisit Vir Clariss. Joh. de Laet, fuit & frustulum cujusdam, quam DERIAGEN EX ORIENTE vocavit, longitudine articuli digiti, aut unciæ circiter. Cinerei erat coloris, inæquale & nodo-

nodosum, minutissimis fibris præditum, interius album & fungosum, crassitie pennæ olorinæ. Sapore Acorum plane refert, ut ejus speciem esse autumem. Calida est, linguam mordicans; sed non nisi prius bene masticatum fuerit. De Plantæ ipsius constitutione & viribus nihil plane additum fuit.

JALAPA, Chelapa, Bryonia, Mechoacanna nigricans Bauhino, radix est Mechoacæ vulgari similis, nisi quod nigricante Cortice sit vestita, interius paululum rufescens, vel tessellatim vel in taleolas incisa adfertur. Gustu est non ingrato, sed in pulverem redacta & exhibita, acrimoniâ quâdam fauces mordicat, gummositate copiosâ referta, quæ simul pinguis & oleosa est, quod vel eo constat, quod igni si admoveatur, flammam concipiat, in reliquis Mechoacæ vulgari similis.

Pituitam, Bilem & aquosos humores potenter evacuat, viscera infimi ventris, Hepar præcipue & ventriculum roborat, omniaque illa præstat quæ Mechoaca, sed in minore dosi.

Tantum enim efficit Drachma semis Jalapæ, quantum integra Mechoacæ. Gratum est Medicamentum & sine fastidio sumitur. Exhibetur in aquâ Cichorei aut jure Carnis, tribus horis ante prandium. Chymici ex eâ Resinam conficiunt, quæ aliquot granorum pondere munus suum exsequitur. Extat etiam in officinis nostris pulvis Diajalapæ, qui in frequenti nobis est usu. Vide quæ de hac Radice & ejus affinibus commentatus est Margravius lib. 1. Hist. Plant. Brasil. cap. 20.



RADIX LABRANDINO ex nodoso corpore, ex quo simul tres aut quatuor mox emergunt caules, teretes, cavi, nodosi, ferme instar Calami Aromatici veri à Clusio descripti, descendunt quinque aut sex inæqualis longitudinis radiculæ tenues, quæ etiam fibras longas de se protrudunt trium unciarum circiter longitudine; sed tam caules quam radicum propagines tenues admodum sunt, colore cinereo. Aromaticum habent saporem, ut calidæ in tertio gradu videantur. Nudum nomen accepi, de viribus & patriâ nil habeo quod dicam.

LIQUIRITIA BRASILIENSIS radix est septem unciarum longitudine, colore flavo ad Cinereum tendente, parte superiore, ex quâ caulem protrudit, digiti crassitie, paulatim verò attenuatur in extremum usque. Variis parvis tuberculis hinc inde ambitur, quæ de fibrarum abruptarum testantur multitudine & magnitudine. Sapore est dulci, ut nostra Liquiritia Vulgaris, sed caret ingrato illo, qui nostram comitatur; an eosdem habeat usus ignoro. Nec quicquam de Plantâ ipsâ constat.

CAP. XI.

Matalista, Mechoaca, Ninsing, Rayz de nossa Signora, Papequanhe, Rhabarbarum.

IN Hispaniâ radice quâdam ex Americâ allatâ utuntur ad serosos humores expurgandos, MATALISTAM vocant, seu Matlalitztic. Crassa est instar Bryoniæ, ex cinereo nigricans, saporis ferme nullius, levis, crebris fibrarum crassarum texturis referta, odore nullo. Cujus segmentum pollicis unius Crassitie, trium per Diametrum, mihi dono dedit Clariss. D. D. Sperlingius ex Hispaniâ redux.

Retulit ejus usum esse ad serosos humores expurgandos Drachmarum duarum pondere. Bryoniæ aut Mechoacannæ quædam species esse videtur, sed non adeo gummosa, ut hæc, verum crebrioribus & crassioribus fibris dotata. Vide quid de eâ tradat Margravius lib. 1. Plant. Brasil. cap. 20.



MECHOACA, Bauhino Bryonia Mechoacanna alba, quibusdam malè Rhabarbarum album, & Rhabarbarum Mechoacannum, cum nullam cum Rhabarbaro habeat affinitatem. Ratione soli duûm est generum; alterum in Mechacâ novæ Hispaniæ regione seu Insulâ provenit; alterum in continente circa Nicaragua nascitur, quod etiam præstantius est.

Ex radice crassâ, striatâ, cinericiâ, instar Brioniæ ramos multos emittit, supra terram luxuriantes, colore fusco, ad cinericiam tendente, qui vicinas perticas aut pergulas scandunt, & multiplici nexu amplectuntur, foliis circinatæ ferè rotunditatis, in mucronem tamen desinentibus, nonnunquam admodum amplis, atrovirentibus, fibrosis, perennibus, adeò verò delicatis, ut humiditate carere videantur, flore quasi mali aurei, quinque foliis constante, subfusci coloris, è cujus umbilico protuberat Calix, seu vesicula quædam Avellanæ magnitudine, membranâ constans tenui albicante, quæ in duas cellulas

cellulas tenuissimâ membranâ secretas dividitur, & in singulis bina grana, ciceris exigui magnitudine, colore per maturitatem nigro, gustu insipido, continentur. Quæ in Mechoacâ nascitur fructum habere dicitur, coriandri sicci magnitudine racematim cohærentem, qui Septembri maturescit. Radix Octobri colligitur & ad nos defertur, in taleolas secta, intus multis circulis à centro ad ambitum parallelis distinctas, sapore farinaceo sine acredine, nullius ingrati odoris, cætera alba & friabilis, ut Bryoniæ, quam in omnibus acri sapore æmulatur.

Quidam tres ejus constituunt species, ita ut una sit hæc quam Mechoacam vocant, secunda quæ Matlaliztis dicitur, minor præcedenti, tertia Xalapa, quæ reliquis potentior.

Calida statuitur primo gradu, sicca secundo, cum partium tenuitate, crassos, viscidos, putridosque humores, utramque bilem, & aquas educit. Jecoris, Ventriculi, Lienis morbos tollit, & eorundem obstructiones aperit, hydropi, Ictero utilis. Inveteratos capitis dolores curat, cerebrum & nervos expurgat, veteres defluxiones sistit, uteri morbis ex frigidis humoribus aut flatibus generatis medetur, pectoris vitiis, antiquis febribus, lue Venereâ vexatis competit, repetito, quoties convenit, ejus usu. Dosis à Drachmâ unâ ad duas in vino aut liquore competenti.



Ex Coreâ Indiæ Orientalis Provinciâ allata est mihi radix NINSING dicta, tenuis, flava exterius, interius verò alba, rugosa, oblonga, calami scriptorii Crassitie, externâ figurâ Curcumam referens, sed colore flavo non tingit, insipida penè est, sed nonnihil amaritudinis habens diutius si masticetur; Temperata esse videtur, aut calida in primo gradu. Commendabatur ab eo qui attulit ad Venerem excitandam. Nescio an Eringii cujusdam sit, cum plantam non viderim, sed figurâ & sapore proxime ad eam accedit radix.



RAIZ DE NOSSA SEINORA, Brasiliensis est radix, quinque unciarum longitudine, digiti minoris Crassitie, strigosa, ad nigredinem tendens, tam interius quàm exterius nonnihil amara; de cujus viribus hæc accepi à Pisone. In taleolas secta & per aliquot dies in convenienti liquore macerata, ordinarii potus loco sumpta, renum & ureterum obstructionibus medetur, & calculi materiam efficaciter expellit. Herba ipsa eximias contra venena habet facultates. Succus è recentibus foliis expressus, serpentum sanat morsus, radix autem cum foliis contusa è vino hausta venenum penitus expellit.



Herba radicis de NOSSA SEINORA, Brasiliensibus dicitur CAAPEBA, est Clemati non absimilis, tenaci ac prolongo sarmento nunc vicinas arbores scandit, nunc humi serpit instar colubris, à plebe Lusitanicâ Erva de NOSSA SEINORA, ob similitudinem cipo de copras. Folium quodvis seorsim positum in caule in suo pediculo rufescenti, duos digitos longo, & in exortu paululum incurvato, orbiculare, vel cordis latioris figurâ, superius dilute virens, inferius albescens: pediculus cujusque non inseritur in extremitatem folii, sed plus dimidio digito ab orâ, versus medium folii, ut in Nasturtio Indico. Ad pediculos foliorum etiam alius provenit pediculus, sesquidigitum longus, flosculum sustinens pallide flavescentem, octo foliis constantem, hoc modo: quatuor superius apposita parva & rotunda, his substat obrotundum amplum, adhuc magis inferius tria parva alternatim posita. In summitate pediculi inter quatuor superiora foliola granum provenit magnitudine parvi pisi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum, radix longa quasi contorta planta nullum habet odorem præter herbaceum.

PAPEQUANHE Radices quoque sunt Brasilianæ, tenues, longæ, cortice nigro, interiori substantiâ albâ, per quam transit tenuissimum quasi filamentum ligneum, fibræ instar, aspera est radix, grumosa, adstringens cum quâdam acrimoniâ. Crassitie calamum scriptorium non attingit.

De RHABARBARO variæ sunt Botanicorum opiniones. Mesves Rhei tria constituit genera: Turcicum, Barbarum & Indicum, quod & Sceniticum vel Siniticum vocant. Sed eadem videtur planta, à regionibus diversis, unde adferri solet, ita nuncupata. Quamvis Radix Rhabarbari copiose satis ad nos adferatur, plantam tamen ipsam qui viderit & descripserit, rarus est. Matthiolus quidem in 3. lib. Dioscorid. cap. 2. ejus historiam proponit, sed talem qualem ex relatione negotiatorum Persicorum habere potuit, quia ipsam plantam nunquam vidit. Nos radicem, qualis ad nos adfertur, delineabimus. Frusta ejus variâ magnitudine ad nos adferuntur exsiccata. Majora melioris notæ habentur, quæ substantiâ rarâ, & cum fränguntur rufo & glauco colore alternante spectantur, & mansa croceum de se fundunt colorem. Cum viridis adhuc est, quandoque bipalmarem magnitudinem superare integram radicem volunt, & crassitie crus humanum attingere. Pulpa ejus interior aureo colore nitet, rubris quamplurimis intercursantibus venis; succo madet copioso, tum croceo, tum purpureo, qui suo lentore facile manus implicat & colore inficit. Extractam è terrâ radicem mox mundant, in frusta secant, seriatim super asseribus locant, vertunt & invertunt pluries, ut succus in eâ asservetur concretus. Quatriduo transacto particulas funiculo trajiciunt & suspendunt in umbrâ, ut ventorum flatibus in aëre libero duorum mensium spacio exsiccentur.

Optimum

Optimum ex Sinarum regione adfertur, ex Americâ quod adferri docet Manardus, potius Rhaponticum eſt quam verum Rhabarbarum.

Chriſtophorus Acoſta tantum in interiore Sinarum regione provenire ait, unde in urbem Cantam exportatur, & inde navibus in Indiam reliquam. Illud quod terreſtri itinere exportatur, præfertur ei quod navibus, non enim adeò carioſum eſt, & in mari facile corrumpitur. Quod experientiâ verum eſſe comperi. Illud enim quod naves noſtræ ex Indiis apportarunt Anno MDCXXXVIII. deterioris erat notæ, adeoque corruptum ut in uſus medicos trahi nequiverit. Garcias ab Horto lib. 2. cap. 37. refert, quoddam in certâ Tartariæ urbe Samarcandar dictâ naſci quod improbum ſit, ac tale illud illud fuiſſe credo, quod ad nos ex Tartariâ attulerunt Legati Ruſſici, cujus fruſtum, quod mihi amicus dono dedit, adhuc ſucco proprio madidum erat. Sed jam vix notas ullas probi Rhabarbari habet. In Pſyllii, aut lini ſemine, milio quoque commode radicem ſervant Pharmacopolæ noſtri, ut diutius incorrupta permaneat.

Nobile adeò medicamentum purgans eſt, ut cum omni ſecuritate, omni tempore, & omni ætate exhiberi poſſit, bilem & pituitam purgat, jecur roborat, obſtructiones reſerat, Icterum ſolvit, ſanguinem expurgat, ſimulque partes corporis nobiliores efficit. Securè in morbis cordis exhibetur, hydropicos & cachecticos juvat, bonumque colorem conciliat; ſanguinem rejicientibus, ac ejus à quavis parte eruptionibus prodeſt. Dyſenteriam cohibet, ex alto devolutis, ruptis, & tam externè, quam internè fractis, auxiliatur. Datur tam in ſubſtantiâ à ʒj. ad ʒij. in pulverem redactum, quàm in infuſo & decocto à ʒij. ad ʒiij. pro ratione virium & conſtitutionis ægrorum.

CAP. XII.

Sarcaparilla, Tagion, Tauſergint, Turpethum, Yaca.

SARCAPARILLA, à ſimilitudine quam cum Smilace aſperâ habet, nomen accepit, Zarſa namque Hiſpanis Rubum, Irapecanga Braſilienſibus, Parta vitem, Parilla viticulam notat, quaſi parva ſit vitis; Unde quidam Smilacis aſperæ Hiſpanicæ radicem exiſtimarunt. Sed hanc Hiſpani primum ex Peru, & novi orbis ſeu Americæ Provinciis attulerunt, multoque efficaciorem deprehenderunt Hiſpanicâ.

Trium generum conſtituit Monardes; una quæ ex Hiſpaniâ novâ adfertur, quæ candidior ad pallorem tendens & gracilior, Altera cinerea, nigrior & craſſior, multoque melior ex Honduris. Tertia cinereo nigricante, majoribus & craſſioribus conſtans radicibus ex Guajaquill. Radix eſt Sarmentitia, profunde per terram ſerpens, nodoſa, lignoſa,

gnosa, tenuis, longa, insipida, ad luis Venereæ curationem multum faciens, cum nostrâ Smilace asperâ magnam habens affinitatem.

Uncia ejus in libris duabus aquæ cocta, vini rubei turbidi colorem habet. Tenuis est essentiæ, & sudorem potenter provocat. Ad luem Veneream per dies triginta pota commendatur. Arthritidi, ulceribus malignis, capitis & cerebri vitiis medetur. Hepar roborat, Lienem extenuat.

TAGION GUINEÆ Radices sunt parvæ ovali figurâ, Cyperum rotundum externe referentes, nucis Avellanæ magnitudine, utrâque extremitate acutæ, rugosæ, coloris ad flavedinem tendentis, molles, porosæ, sapore dulci & grato, substantiâ atropurpureâ; quædam harum radicum oblongiores, quædam rotundiores sunt. Speciem Cyperi esse arbitror. Ex Guineâ allatas titulus arguit, qui cum Radice à Clariss. Viro D. Joh. de Laet transmissus.

TAUZARGHENT radix est tenuis, cinerea, ad luteum inclinans, quatuor unciarum longitudine, ex quâ surculi duo emergunt nodosi, caulis procul dubio ipsius plantæ rudimenta, intus candida, mollis, saporis adstringentis aliquantum & parum mordicantis. Calidum in primo gradu esse arbitror.

Hanc radicem in Orientali Mauritaniâ provenire ait Scaliger Ex. 142. & tanti tamque boni odoris esse, ut appensa laquearibus haud magna quantitas, suppleat vicem magni suffimenti. At nos eam odoris suavitatem non deprehendimus, credo quod radix jam obsoleverit, & vires amiserit.

TURPETUM seu Turbith vox est Arabica ab Avicennâ & aliis usurpata, licet ineptè quidam à turbando deducant.

De eo varia est inter recentiores controversia. Nonnulli existimant esse Tripolium Græcorum, nonnulli Pityusæ radicem, alii Alypi, Cæsalpinus Thapsiam Theophrasti. Garcias ab Horto libro 1. cap. 36. se veri Turbith virentem & florentem plantam vidisse asserit, ex ejus igitur delineatione hæc habemus. Turbith planta est radice mediocri, caule hederæ modo per solum extenso, digiti crassitie, duos palmos longa, foliis Altheæ, floribus ejusdem fermè, è candido rubentibus, nonnunquam omnino candidis. In usum tantum sumitur gummosa caulis pars inferior juxta radicem. Tota planta insipida est cum colligitur. Provenit in Cambajâ locis à mari aliquantum remotis, Surate, Dio Insulâ, & vicinis. Hæc ex Garciâ. Sed Arabes aliam plantam pro Turpetho exhibent. Mesve lib. 2. de simpl. Medic. cap. 2. Radicem esse ait herbæ folia Ferulæ minora ferentis, & ex earum genere, quæ lacteo succo turgent. Clusius asserit Hispanos radice Thapsiæ pro Turpetho in usum trahere; quidam radice Scammoniæ concisâ, pro Turpetho uti. Adeò de Turpetho res adhuc incerta. Nos ejus, quod in officinis est, ostendimus exemplum.

Calidum est ordine tertio, crassam & lentam pituitam evacuat è ventriculo, thorace, nervis & partibus remotioribus, sed tardioris est operationis, ventriculum turbat & subvertit, quocirca additur Zinziber, mastix, aliaque aromata.

Ex eâ debite præparatâ & corrigentibus mistâ constat Electuarium in officinis Diaphænicum dictum. Datur in substantiâ à ʒj. ad ʒij. sed in decocto vel diluto ad ʒiij. vel quatuor.

Yuca Monardo, Mandioca Latzio, Quacchamotl Nierenbergio, Radix est instar Pastinacæ, aut Caryottæ, verum longior & crassior, caules producit ad quindecim interdum palmarum altitudinem, tenerrimos, medullâ candidâ & internodiis in singulos palmos

palmos distinctos, è quibus abruptis & terræ insitis, sex aut novem mensium spacio, maximæ radices enascuntur. Variæ autem ejus reperiuntur species, omnes edules, atque hæ radices durant sub terrâ multos annos, sine ullâ culturâ, quo annosiores sunt, eo crassiores. Omnia animantia, hominibus solum exceptis, radicem hanc expetunt crudam, eâque pinguescere & commode nutriri ferunt, verum si contusa fuerit, & humorem illum solum hauriant, statim emori.

Manardus eam ita describit. Yuca herba est, quinque aut sex palmos alta, foliis latis & manus humanæ modo expansis, atque in septem aut octo lacinias divisis, perpetuo virentibus. Seritur in terrâ probè cultâ & in sulcos ductâ, fragmentis radicis; radix crassa est magnorum raporum modo, cortice exteriore fusco, parte vero interiore admodum candidâ, ex quâ cortice adempto panem conficiunt.

Radix, quæ mihi à Clariss. Viro D. Thomâ Bartholino ex Galliis transmissa est, cucumerem mediocrem figurâ & magnitudine fermè refert, nisi quod in apicem tenuiorem terminetur, & nodosa adeo non sit: fibris quibusdam tenuibus prædita, scabrosa & inæqualis, ob rugarum asperitates, præsertim juxta apicem, colore exterius luteo purpurascente.

Ex his radicibus defæcatis & contusis, primo farinam, deinde pollinem deducunt, ex quo candida & delicata coquunt liba. Brasilienses eandem farinam aquâ temperatam, ac coactam in Pastillos, supra craticulas fumo indurant, atque exsiccant, atque in penu quam diu libet recondunt. Inde ubi opus est repurgant, contunduntque in pollinem, ita candidum, ut cum tritico certet; ex quo, certâ quantitate recentioris farinæ admistâ, pinsunt panes bis coctos, quibus Barbari in bellicis, Lusitani in navalibus utuntur expeditionibus. Aliud quoque biscocti genus adornant, ex mero recentium radicum in pilâ contusarum succo, eoque aut ad Solem coacto & exsiccato; aut ad ignem tosto, quod candidissimum est, & delicatissimum, neque ad vulgi usum comparatum. Ex eâdem radice, fumo arefactâ, varias componunt potiones, quas Barbari vocant MINGRE, adeò salubres, ut restaurantium loco ægrotantibus propinentur. E polline verò varias cupedias, & admixto orizæ polline panes fermentatos, triticeis omnino pares. Eandem ad fumum ita siccatam, antidotum & antipharmacum autumant adversus venenatos anguium morsus.

Panis ex Yucâ CASAVI dicitur, cujus frustulum Daleri imperialis crassitie, duorum pollicum longitudine, sesqui latitudine, candidissimum, porosum, sapore haud ingrato, transmisit idem Clariss. Vir Thomas Bartholinus. Ejus vero conficiendi rationem, quia accuratius persequitur Manardes in Historiâ Simplicium cap. 53. (licet de eâ supra quoque aliquid dictum sit) hic repetam. Repurgatam, inquit, suo cortice radicem instrumentis quibusdam (iis quibus mulierculæ linum pectunt similibus) dente acuto & firmo præditis, in frustula secant & comminuunt, quod comminutum est in manticam ex palmæ foliis contextam injiciunt, & pondera quædam, veluti grandes lapides, super imponunt, ut suo pondere succum exprimant. Quo probè expresso, radicis crassior materies, amygdalis tusis & expressis similis, restat, quæ patinæ injecta, lento igne coquitur & densatur, subinde eam volvendo, uti ova frixa solent, ea bene densata placenta fit, nummi Hispanici octo Regalibus æstimati crassitudine, quam Soli siccandam exponunt. Hæc placenta illis panis vicem præbet, multum nutrit, potestque multo tempore incorrupta asservari. Nam navibus, quæ inde in Hispaniam appellunt, imponunt, panis bis cocti vice, pro alimento. Verum fauces exasperat ejus Casavi usus, nisi aquâ aut jusculo maceretur, aut aliis cibis commisceatur, eâ enim ratione edi potest, & qui sic eum comedere vellet, alterâ manu vasculum aquâ plenum perpetuo tenere necessum habet, alioquin minime deglutire posset.

Ferunt omnem Yucam in continente nascentem salutarem esse; sed quæ in Insulâ S. Dominici provenit, ejusque succum non coctum, interimere.

Quamvis in Museo multò plures teneam radices, attamen aut non adeò raræ, aut de iis in ipsis plantis actum, aut passim earum historiæ apud Botanicos extant, nolo hic actum agere, fusius de iis tractando. Hujus census sunt radices Altheæ, Aristolochiæ longæ, rotundæ, Angelicæ, Asphodeli, Asari, Alcannæ, Brusci, Been albi, rubri, Galangæ, Gentianæ, Curcumæ, Cyclaminis, Diptamni albi, Ellebori albi, nigri, Hermodactilorum, Iridis Florentini, Morsus Diaboli, Polypodii, Pyrethri, Scorzoneræ Hisp. Victorialis fœminæ, aliæque plurimæ.

Cap. XIII.

Folia Gariophyllorum Indicorum, Lauri Virgilianæ, Malabathri, Musæ.

RADICES hactenus vidimus peregrinas, jam folia ostendenda, quæ raritatis nomine nobis sunt commendatæ, inter quæ primum locum occupent

FOLIA GARIOPHYLLORUM INDICORUM. Quia mihi ramulus iis onustus à Clariss. D. D. Sperlingio oblatus, hic eum delineare lubuit. Pedis dimidii est longitudine, crassitie culmi hordeacei, cortice coloris cinericei tectus, summâ parte quina folia sustinens, singula suis pediculis oblongis, purpureis innitentia, binis æqualiter utrinque è ramulis emergentibus, quibus supereminent pediculi tres, quorum medius rursum dividitur in quatuor, Gariophyllorum fructus sustinentes. Folia ipsa Lauri foliis sunt simillima, medio nervo, parte pronâ singula secante per longitudinem, multis venis tenuibus, utrinque ad latera excurrentibus, parte sursum spectante læviore, alterâ asperiore aliquantum, petioli sustinent alabastros (qui, Clusio teste, ipsi sunt Gariophylli) summâ parte in quatuor denticulos decussatim divisos, medio florem nondum apertum continentes. Folia & cortex licet non tantâ fragrantis odoris gratiâ, ut ipsi Gariophylli, non tamen prorsus odore destituuntur, sed Gariophyllos nonnihil redolent, atque eorum saporem referunt, quemadmodum & ipsius rami lignum aliquantulum masticatum. In Moluccis Insulis copiose proveniunt; foliorum usus apud nos non est, eo quod non adferantur. Sed quia ipsi Gariophylli & odore, & sapore præstant, in foliorum locum merito cedunt.

Arborem Gariophylli ita describit Acosta lib. 1. cap. 21. Arbor est Lauri formâ & magnitudine, foliis laurinis, sed angustioribus, multis prædita ramis, copioso flore, primum candido, deinde virescente, postremum rufescente, qui induratus est ipsus Gariophyllus (at Clusius Gariophyllum non esse florem, sed fructus rudimentum, quod alabastrum vocant Botanici, recte existimat) clavum vocant, quod capitatus sit, in modum clavi, exertis in adversum quatuor denticulis, sese stellatim decussantibus. Provenit in extremis ramulis Myrti modo. Est verò flos (Gariophyllum ipsum intelligo) hic viridis adeò odoratus, ut reliquos flores odoris suavitate superet. Cultores flagellant altiores arboris ramos, mundato prius circa arborem solo: siquidem nullum genus graminis sub eâ nascitur, omnem succum seu humorem ad se attrahente arbore. Decussi Gariophylli biduum aut triduum siccantur, dein asservantur.

In agro Neapolitano mons celebris extat Pausilippus, ad cujus ferme radicem, quà urbem spectat Neapolitanam, sacellum visitur D. Virgini sacrum, juxta quod sepulchrum Virgilii Maronis, poëtæ istius incomparabilis, hac inscriptione insigne:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, Duces.

Hunc ejus tumulum inumbrat annosa Laurus, cujus cum tria teneam folia, hic prætereunda minime videntur: ita tamen, ut, cùm à vulgaribus Lauri foliis nil discrepent, de iis uberior non instituatur discursus.

MALABATRUM, aliis folium Indum, Arabibus Cadegi Indi, Indis Tamalapatra. Quamvis sint qui folium Indum à Malabathro differre putent. Garcias ab Horto folium hoc mali Medicæ simile esse affirmat, angustius tamen per extremum, colore viridi, tribus per longitudinem excurrentibus nervis aut costis, odoratum, Gariophylla quodammodo referens odore, non tam vehemente ut Nardus aut Macis, neque tam subtili aut acuto ut Canella. Nascitur in procerâ arbore, procul ab aquis in Cambajâ. Præferuntur integra, quod virtus in iis diutius duret. Falluntur itaque qui Nardi Indici folium esse arbitrantur ob odoris affinitatem, item illi, qui cum Dioscoride & Avicennâ folium hoc in paludibus gigni, & lentis palustris modo, aquis innatare sine radice, ajunt.

Urinam movet, oris halitum commendat, vestes ab erosione tuetur, stomacho prodest, Lippitudinibus, inflammationibusque tritum & in vino fervefactum commodè illinitur, ad ea omnia quæ Nardus commendatur etiam prodest, cujus vices supplet.

MUSA dicta arbor, Bauhino eſt palma longis latiſque foliis, Plinio Pala, Acoſtæ Ficus Indica, Ludovico Romano Poma Paradiſi, Oviedo Platanus, Guilandino Dudaim in Bibliis, Braſilienſibus Bacoba & Binana, teſte Piſone, aliis multis à Botanicis inſignitur nominibus, quæ recenſere nimis foret longum.

Cluſius l.2. c.10. in Notis ad Garciam, ex Oviedo eam his deſcribit. Aliquando hæc arbor improprie dictaPlatanus in arboris celſitudinem excreſcit, & hominis craſſitudinem acquirit, aliquando verò coxæ humanæ craſſitie conſpicitur, pro ſoli naturâ & ubertate augeſcens, ab imo ad ſummum folia fert ampliſſima, interdum duodecim palmos longa, ternos aut quaternos lata, plerumque minora, hæc ventorum flatibus facile multifariam diſſecantur, & ex coſtâ illâ per folii longitudinem excurrente pendere ſpectantur, eum in modum disjecta. Tota planta veluti germen eſt, vel ſurculus, in cujus ſummo enaſcitur pediculus aut malleolus brachiali craſſitudine, qui uvam producit, vicenos, tricenos, interdum centenos & plures fructus palmari longitudine brachialique craſſitudine ſuſtinentem, nonnunquam minores, quandoque etiam ampliores, pro plantæ ipſius & ſoli fertilitate. Cortex hujus ſatis craſſus, ſed qui facile eximatur, continens pulpam ſeu carnem bubulæ medullæ perſimilem. Integra uva ante maturitatem colligenda eſt, cum videlicet aliquis fructus flaveſcere incipit, deinde in ædibus ſuſpendenda, ut plenam maturitatem conſequatur. Hic fructus in duas partes per longitudinem apertus, & utrinque inciſus, deinde inſolatus, gratiſſimi eſt ſaporis, & caricas ſucci bonitate ſuperat. Aliis etiam modis in eſum præparatur, quos vide dicto loco apud Cluſium. Caudex annuus eſt, & ſemel duntaxat in vitâ fructus gerit. Verum ad radices conſurgunt quinque, ſex, aut plures ſurculi, qui parentem renovant, & ſubſequenti anno fructum perficiunt; exemptâ uvâ abjicitur planta, utpote inutilis. Adeo verò fœcunda eſt, ut nunquam intercidat, ſed ſubinde novas proles gignat, ut fructus toto anno uberrime legere liceat.

Primum ex Guineâ advectam putat Petrus Martyr, ubi eſt familiaris & ſuâ ſponte naſcitur, ſatam in tantum augmentum protendi ait, ut multos pœniteat in ſuis prædiis eam plantaſſe aut foviſſe. Ubicunque ſemel ſeritur, inutilem ad reliquos proventus terram reddit, ac montano ſilice fœcundius nutrit, diſtenditque radices, ita ut neque vomere ullo aut ligone purgari ulterius ager ejus receptor queat, quin perpetuo exortu à quâcunque tenui vel capillari radiculâ inter glebas latente repullulent nati novelli.

Eſt fragilis adeo, ut quamvis ad humani fœmoris intumeſcat proceritatem, & ad Lauri altitudinem emicet, facile tamen gladii aut baculi percuſſu, uti ferulæ, vel cardui planta ſternatur.

Mihi fruſtum eſt ex folio, pedis unius cum dimidio longitudine, latitudine unius, quod per dorſum nervum grandem & latum excurrentem habet, à quo utrinque lineæ infinitæ fermè ad ambitum tranſverſim excurrunt, colore ſubluteo, eâ parte quæ ſurſum ſpectat, alterâ verò pallidiore, & ex apice & ex baſi quidpiam ſublatum eſſe apparet.

CAP. XIV.

Folia Nucis Moſchatæ, Palmarum, Theæ.

NUCIS MOSCHATÆ folia reperta inter Nuces Moſchatas in Indiâ conditas, integras, cum omnibus ſuis operimentis, ut ad nos adferuntur, mihi aliquot ſunt, pyri folia figurâ æmulantia, parte, quâ ſurſum ſpectat, glabrâ, ſaturatè viridi, inferiori aſperiuſculâ ad cinereum tendente, nervo uno eximio per longitudinem excurrente, de ſe varios minores ſurculos ad ambitum oblique ſpargente. Oblonga & rotunda cum ſint, in apicem tamen valde acutum terminantur, odore nullo, ſapore adſtringente. Quædam quatuor pollices longæ ſunt, duos latæ; quædam minores. Ferunt arborem, quæ hæc fert, pyri eſſe magnitudine, ſed magis ad figuram Perſici mali accedere. De fructu plura ſuo loco.

PALMARUM varia ſunt genera, adeò ut Plinius lib. 13. cap. 4. undequinquaginta ſtatuat. Ferunt quædam nuces majores & minores. Sepoſitis Dactyliferis, hic de foliis ejus, quæ Nuces fert, agendum, Bauhino palma Indica coccifera, anguloſa dicta, Jauſial Indi Avicennæ, Nux Indica Matthiolo, Coccus Indica aliis. Hujus arboris integram deſcriptionem reſervabimus uſque dum de ejus fructibus agemus, jam folia ſaltem quæ tenemus proponenda.

Ferdinandus Lopez lib. 1. Hiſtor. Indicæ cap. 23. folia palmæ, in quibus Indi res memorabiles notant, OLLA vocat; ſed Garcias ab Horto apud Cluſium lib. 1. cap. 26. RAMOS in Malavar appellari dicit, ex quibus fiunt ædium tecta & navium tabulata & opercula.

Mihi aliquot ejus ſunt folia Malacenſibus characteribus inſignita: unum duorum cubitorum longitudine, latitudine unciarum duarum, diviſum cum ſit, utraque pars unciam lata, colore luteo, craſſitie chartam Pergamenam ſuperans, ſed quâ arbori adhæſit, multo craſſius & ſpongioſius. Pars ejus interna ferme ad extremitatem uſque literis exarata conſpicitur, in utroque latere, ſecundum longitudinem, ita tamen, ut alterum latus quatuor, alterum tres occupet verſus. Exterior folii pars, non niſi in uno latere, externo nempe, characteres obtinet paucos quatuor verſuum, tres uncias ſecundum longitudinem ſaltem occupantes, ut exiſtimem interiorem folii partem Epiſtolam, exteriorem inſcriptionem & titulos continere.

Cluſius loco ſupra notato narrat ſe librum vidiſſe, ſex & ſeptuaginta foliis conſtantem, non integris quidem, ſed quæ extremitatibus reciſis, per medium ſecundum longitudinem nervi ſecta, utrinque quatuor verſibus ſtylo ferreo exarata, ut apud illos moris eſt, tribus locis pertuſa, in medio videlicet, & duabus extremitatibus funiculo trajecta, aptatis utrinque binis aſſerculis, quibus contracto funiculo tegerentur. Scribunt vero Malacenſes noſtro more, à ſiniſtrâ in dextram ducto ſtylo, non Hebræorum aut Arabum, qui à dextrâ in ſiniſtram ſcribendo calamum ducunt. Literæ verò ipſæ ex continuatis conſtant punctis, ſtylo ferreo ductis.

Hujus ſtyli mihi ſunt exempla, de quibus inter Artificioſa ſermo erit.

Sunt mihi præterea aliarum Epiſtolarum Malabaricarum in foliis palmæ exaratarum exempla, in quibus diverſitas quædam characterum, quoad magnitudinem, extat, cæteroquin figuris conveniunt.

PALMÆ MINORIS ſive Chamæriphes folia, palmæ majoris æmulantur figurâ, licet minora ſint, unde & à Theophraſto ad palmas referuntur. Frutex eſt humilis, nam ex radice caulem emittit trium pedum longitudine, juxta terram craſſum & nodoſum, paulatim attenuatum, interiori ſubſtantiâ album & dulcem, ubi folia adoleverint, folia

palmæ

palmæ referunt, ſed eorum magnitudinem non acquirunt, ab alterâ parte caulis flores & fructus erumpunt uvarum inſtar.

Rudimenta horum fructuum & florum Muſcoſa ſunt & ab Italis Cephaglione vocantur, uſumque in bellariis habent. Cæterum ex foliis, quæ ad latera ramuſculi triquetri ortum trahunt & oblonga ſunt, tenuia & plana in acutum deſinentia, coloris ex albo, lutea, ſcopas, ſtoreas, corbes & alia in Italiâ conficiunt, ubi in maritimis creſcit, ſicut & in Hiſpaniâ.

THEE ſeu THEA Indorum & Chinenſium deſcribitur à Bontio in Hiſtoriâ Fructuum Indicorum Dialogo VI. in hunc modum. Herba eſt Bellidis ſeu conſolidæ minoris folia habens, cum parvis in ambitu inciſuris. Hujus foliorum exſiccatorum manipulum in ferventem lebetem ad hoc paratum conjiciunt, & ad ſufficiens tempus ebullire ſinunt, & hunc liquorem, qui ſapore ſubamarus eſt, calidum ſorbent. Hunc vero potum tanquam ſacrum Chinæ obſervant, & hoc venientes, hoc abeuntes hoſpites excipiunt, & non creduntur jus hoſpitalitatis impleviſſe, niſi hunc potum tibi propinaverint.

Exſiccantis eſt qualitatis ac ſomnum prohibet, dum vapores à ventriculo in cerebrum aſcendentes abſumit, præterea aſthmaticis & ſuſpirioſis prodeſt.

Chinenſes hanc potionem CIAM vocant, ipſamque plantam CHA, & non adeo apud eos antiquam ſuſpicatur Trigautius, quod in eorum literaturâ nullus ad eam ſignificandam reperiatur hieroglyphicus character. Cæterum Fruticem vocat hanc plantam, ac Japonibus æquè ac Chinenſibus familiarem ait. Folia verno tempore legunt, eaque in umbrâ exſiccant & ad quotidianam decoctionem aſſervant, quam prope continuo in potum adhibent, non in menſâ ſolum, ſed quoties in ædes hoſpes amicum viſurus ingreditur, hac enim potione invitatur, eâque ſecundo & tertio, ſi moram aliquam fecerit colloquendo. Calida ſemper bibitur, aut potius ſorbetur, & palato non eſt temperata quadam amaritudine inſuavis; ſed re verâ ſalutaris & ad multa frequentior ejus uſus. Nec una eſt hujus frondis præſtantia, alia aliam ſolet ſuperare, atque ita libram uno aureo, aut ſæpe duobus aut tribus, ſi præſtantior habita fuerit, comparabis. Apud Japones præſtantiſſima decem aut ſæpe duodecim aureis venit, apud quos etiam ejus uſus aliquanto differt à Sinenſi. Nam Japones folia hæc, in pulverem redacta, ferventis aquæ ciatho miſcent, quantum duobus aut tribus cochlearibus continetur, eamque potionem ita permixtam epotant. Sinæ verò in aquæ ferventis vaſculum aliquot ejuſmodi folia injiciunt, inde calida poſtquam horum vim imbibit epotatur, ipſa verò folia relinquuntur.

Folia ut ad nos adferuntur exſiccata ſunt, contorta & parva; & quidem duûm generum accepi; unum nigricat, quod amariuſculum eſt & adſtringens; alterum ſubviride eſt, non adeo adſtringens, à calculo præſervat, nam Chinenſes eo morbo non laborant, vigilias excitat, ſtudioſos juvat. Vera earum figura deſcribi nequit, cum exſiccando genuinam amittant, ac ſicca adeo ſint, ut ſi digitis parum terantur in pulverem facile redigantur. Cum diverſitas tanta in iis appareat, ſuſpicor fraudem ſubeſſe, ut multa hic apud nos pro foliis Theæ vendantur, quæ alterius ſunt plantæ.



Ego folia aliquot calidâ aquâ aliquantiſper maceravi, ut ductilia redderentur, unum eorum explicui, redditum eſt colore viridi opaco, figurâ referens folium fruticis Roſarum, crenatum enim erat, oblongum, per longitudinem nervulum extenſum habens, unciæ ferme longitudine, figurâ plane eâ & magnitudine, quam hic exhibeo.

Cap. XV.

De Ligno Aloës, Aspalatho, Bdellii, Caoba, Cinamomi, Cocogolæ, Colubrino.

FOLIIS Ligna subjungimus, inter quæ ut nobilitate ita raritate primas obtinet ALOES, aliis Agallochus Xyloaloë. Cujus duo genera tenemus; alterum quod Bauhinus vocat Agallochum præstantissimum, alterum Agallochum officinarum.

AGALLOCHUM præstantissimum, Indis Calampart, Linscotano Lignum Calamba vel Calambes, in magno in ipsâ Indiâ est pretio, adeò ut, cùm sincerum sit, cum auro & argento sæpe deponderetur. Arbor esse dicitur Oleæ instar, fructu piperis modo rotundo & rubente, ligno Thuiæ simile maculato, odorato, quod cortice crasso, aliquantulum versicolore, vestitur. A Cæsalpino lib. 2. de Plantis cap. 27. id quod sincerum est, ita describitur: Ramenta ligni adferuntur, nodosa, densa, subcinericia, maculis nigris, quæ si fricentur odorem suavem spirant, si admoveantur igni pinguedinem exsudant, sapore amaro.

Hujus mihi sunt scindulæ quædam ex Hispaniâ à Nobiliss. D. Eilardo Ulfeldt allatæ, quæ notis superioribus respondent, alioquin rarissimum.

Iconem præterea teneo unius frusti, Serenissimo Regi Nostro Christiano IV. Gloriosæ memoriæ oblatam. Ipsum lignum, quod ex Indiis in Hollandiam Anno MDCXLII. allatum erat, ut emeret, pondere centum & quatuor unciarum, longitudine pedum duorum, latitudine unius, minus unciis duabus. Frustula alia mihi sunt, quæ tamen pro veris non agnosco.

AGALLOCHUM officinarum, Aloë & Aloa, Vartomanno Tarum, id est, Xyloaloë fissile leve & aromaticum Cordo, Palo d'Aquila vel Agula Linscottano. Lignum est leve, fibrosum, coloris cinerei flavescentis, aromatici, saporis subdulcis, odoris grati. Ex eo quadratum teneo asserculum, duarum circiter unciarum longitudine & latitudine, parte eâ, quæ cortice tegebatur, nigricans.

Omne genus Agallochi calefacit & siccat ordine secundo, cordi robur conciliat, unde inter cordialia locum habet. Dioscorides mandi & ejus decocto os ablui ait, commendandi halitus gratiâ: ad suffimenta valet, stomachi fervori medetur, ad Dysenteriam & tormina commendatur, in omnibus corporis affectibus frigidis locum habet.

ASPALATHI genera septem recenset Bauhinus in Pinace lib. II. sect. I. sed ad nullum illorum referre valeo lignum illud quod Aspalathi nomine ex Belgio ad me transmissum est, colore enim est ex luteo nigricante, Gummosum, fibris rectis constans, odoratum, levi acrimoniâ præditum, adeò ut Agallochi speciem potius esse arbitrer. Duæ mihi sunt scindulæ, digiti longitudine, Drachmas duas ponderantes, quas si quis huc referendas putet, aliam ab iis, quas produxit Bauhinus, speciem ut constituant, necessum, cùm colore discrepent.

BDELLII arboris seu ligni mihi obtigit ramulus duarum unciarum circiter longitudine, crassitie minimi digiti, qui aliorum ramusculorum sibi obversorum fragmenta in medio obtinet. Inferiori parte cortice nudatus est, alterâ tenui, cinereo dotatur, quem stipant Bdellii pellucidi & sinceri fragmenta, iis præsertim in locis, ubi ramuli è stipite emergunt. Substantia ligni mollis est, sapore amariusculo. Integræ hujus arboris descriptionem exactam apud neminem adhuc videre licuit. Dioscorides arborem Saracenicam vocat, Plinius lib. 12. cap. 9. arborem nigram esse dicit, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici, ceraso simili cortice vestiri, nostrum docet fragmentum, lignum in majori stipite (forsan) albicat, sed in ramulis minoribus ad purpureum accedit. De Lachrymâ ipsâ & ejus viribus suo loco agendum.

CAOBA dictum Indis lignum, quibusdam Saccharinum, scriniarii nostrates Sucherkisten-holz vocant, quod cistæ, in quibus impurum Saccharum ad nos vehunt, ex hoc genere ligni ut plurimum sint confectæ. Odoratum est, colore ad purpureum vergens, porosum, grave tamen, fibris variè discurrentibus, Quercinum referens. In magnâ copiâ in Indiis extare, vel ex eo constat, quod navis nostra Christianshafn dicta, ex Orientali Indiâ redux, hoc ligni genere fuerit refecta, trabes enim maximas & malum ex eo confectum habebat: mihi frusta aliquot ex eo obtigerunt, pedis circiter longitudine, crassitie duorum pollicum.

Ad

Ad colorem purpureum quamvis vergat, aëris tamen & pluviarum expositum injuriis, superficiem acquirit cinerean. Ad opera tessellata nostrates utuntur.

CINAMOMI arboris lignum ex Insulâ Ceilon Indiæ Orientalis habeo. Est verò frustulum unciæ longitudine, pollicis crassitie, leve, albicans, exiguâ nigricante medullâ, sapore & odore fermè nullo, ligno salicis ferme simile, cortice subrubente ex parte tectum, sapore cinamomi, crassitie eâ quâ cinamomum vulgò spectamus, externâ superficie membranâ tenui cinereâ operto. Est mihi præterea cinamonum, à ligno avulsum, tali membranulâ cinereâ tectum, dimidii digiti longitudine, sapore acri aromatico. Scipionem præterea teneo cinamomi cortice obductum.

Arborem ipsam quod concernit, provenit in Insulâ Ceilon, ut & Malavar & Java, sed minor est & ignobilior, & à Garciâ ab Horto lib. 1. cap. 5. hunc in modum describitur: Magnitudine est oleæ, interdum minor, multis ramis prædita, non iis quidem contortis, sed rectis fermè, foliis lauri quidem colore, sed formâ ad citri folia accedente, floribus candidis, fructu nigro & rotundo, avellanæ ferme magnitudine, aut exiguis olivis simili. Est autem Canella nihil aliud, nisi secunda & interior arboris cortex. Nam duplici cortice munita est, velut suber, non tamen adeò crasso & distincto.

Exemptus ergo cortex, exteriore libro repurgatus, deinde in laminulas quadrangulas sectus, humi abjicitur, atque ita per se convolvitur, ut trunci unius rami, integer cortex videatur, cum tamen partes sint duntaxat corticis in tubulos digiti crassitie convolutos; truncus verò interdum femoris crassitudine reperiatur. Roseum autem illum, sive ex citreo vinosum colorem Solis calore contrahit, non probe exsiccatus candicat, sive cinerei sit coloris, nimio calore solis adustus, nigri. Adempto cortice tribus postea annis ab eâ arbore abstinetur, ut renascatur interea temporis.

De Cinamomo & Cassiâ multa apud veteres extant, quæ observationibus modernis repugnant. Quorum errorum fundamenta videre qui gestit, legat Garciam loco supra citato. In primis quod multis & operosis contendunt Cassiam à Cinamomo seu Canellâ diversum esse, id rei veritati repugnare ibidem docet.

Arabibus enim, Persis & Indis SALIBACHA vocatur Cassia lignea, à vulgo autem Indorum eodem nomine appellatur, quo Canella seu Cinamomum. Nullum enim inter Canellam & Cassiam faciunt discrimen: nec quemquam Canellam à Cassiâ differentem vidisse putat Garcias. Crassiores enim & nigriores Cassiæ ligneæ tubuli, sunt canellæ seu cinamomi sole magis exusti aut in navibus corrupti, vel non benè parati, aut minus tempestive cæsi, fragmenta debiliora. Minores verò cannulæ, quæ pingue quid aut mucilaginosum sapiunt, canella est Lavanica, aut Malavarica ignobilioris notæ.

COCOGOLA dictum lignum, coloris est purpurei obscuri, ad Santalum rubrum quam proxime accedens, fragile admodum. Ejus scindulam ex Hispaniâ secum tulit D. Sperlingius, sed ubi crescat, aut cujus sit Naturæ aut proprietatis, non addidit. Masticatum rubro colore sputum tingit. Ad tincturas & opera Scriniaria expeti existimo.

COLUBRINI Ligni tria mihi sunt frusta, unum tenuius, quod radicem magis quam ramum refert; alterum digiti crassitie, unciæ longitudine: tertium crassius ex majori ramo abscissum, sed figurâ externâ, cortice & ligni substantiâ, cum præcedentibus conveniens. Videntur esse primi generis illorum, quæ describit Garcias ab Horto, Historiæ Aromatum libro 1. cap. 44.

Lignum Colubrinum ita dicitur, quod contra colubrorum & animalium virus ejaculantium Morsus aut Ictus efficax sit. Ab incolis Insulæ Ceilon, ubi provenit, Rametul vocatur, à Lusitanis Pao di cobra, id est Lignum colubrinum. Duorum aut trium Palmorum magnitudine assurgit, paucis virgulis, quatuor aut quinque duntaxat tenuibus, inquit Garcias. Radix, quæ maxime in usum venit, veluti tenuiorum nostratium vitium radices, multis capitibus aut nodis se propagans, ita ut semper radix aliqua extra solum se exserat, & radice unâ exemptâ, aliæ in ejus locum succedant. Radix hæc ex candido cinerea est, solida admodum, amaro gustu, folia Persicæ mali, magis tamen virentia, flos longe à foliis racematim cohæret pulcherrimo colore rubens, fructus sambuci, sed rubens & durus, etiam racematim cohærens ut in Periclymeno.

Teritur primum hæc radix, & ex vino aut aquâ cordiali propinatur à serpente percussis; teritur etiam ad cotem Santali modo & vulneribus inspergitur.

Pulvis etiam Lumbricos necare dicitur, papulas, exanthemata, & impetigines tollere creditur, & colicam passionem sanare. Similiter utile esse Medicamentum adversus febrium

brium circuitus, unciæ pondere propinatum, prius tamen tritum & aquâ maceratum, per vomitus expurgatâ multâ bile.

Hæc Garcias: quæ dum confero cum fragmentis ex Insulâ Ceilon mihi allatis, dubia suggerunt haud pauca. Primo, quod plantam duorum saltem aut trium palmorum altitudine assurgere ait; vix videtur probabile. Cum mihi radicis frustum sit, quod in Diametro unciam superat, tam grandem radicem, tam exilem præbere plantam vix vero simile. Nisi Garcias plantam saltem viderit primo emergentem, quæ ad justam magnitudinem nondum pervenerit. Nec solum tenues, ut asserit, radices habet, sed & crassas adeò, ut brachium pueruli crassitie æquet, quod docet fragmentum alterum quod possideo. Quod unciæ pondere in febribus exhiberi ait, tritum & aquâ maceratum, vix consonum rationi videtur, cum vix eâ dosi unâ vice assumi pulvis possit, pro unciâ unâ forsan Drachma ponenda, aut vicibus non unis tantum exhibendum, aut infusum in aquâ appropriatâ tantum dandum.

Ex mihi communicatis fragmentis, duo digiti sunt longitudine, distorta, inæqualia, nodosa, cortice tenui flavescente prædita, gustu amara, paulo crassiora minimo digito. Unum grandius & crassius, longitudine unciæ unius, tereti figurâ, sed oblongâ, nodo unico, seu erumpentis fibræ basi præditum, crassitie unciæ per Diametrum, sed in circumferentiâ unciarum duarum cum dimidiâ fermè, alioquin colore corticis & ligni, sapore item plane prioribus respondens. Demum accessit aliud digiti crassitie, unciæ longitudine.

CAP. XVI.

Cupressus, Ebenum verum, Fossile lignum Vmbriæ & Islandiæ, è fluvio Januarii, fœtidum.

CUPRESSINUM lignum ex arbore ejusdem nominis petitur, quam in marem & fœminam dispescunt Botanici. Fœminam eam vocant, quæ in fastigium Metæ modo attollitur & acuminatur; Marem, qui in ramos latè dispergitur. Planta est procera, recta, caudice glabro, ramos in summitate tantum habens, foliis perpetuò virentibus Sabinæ instar, conos ter in anno edens, lariceis similes, crassiores tamen, duriores, compactiores & speciosiores, in quibus minutum concluditur semen. Caudex quandoque resinam de se fundit liquidam instar Therebinthinæ. Ligni materies solida, compacta, suaviter odorata, gravis. In Cretâ copiosissimè provenit, quocunque enim in loco ibi terra moveatur, subactaque sit, nisi seratur alia, hæc suâ sponte gignitur: sed alibi non nisi magnâ & diligenti curâ provenit. Fimum aversatur. Semen habet adeo minutum, ut atomis comparari possit, quod à formicis valde expetitur; Lignum ejus nec cariem, nec vetustatem sentit, nec unquam suaveolentiam exuit.

Conorum decoctum ex aceto dentium dolores mulcet, si eo os colluatur, defluxiones tollit, quod & foliorum præstat decoctum. Commendatur etiam ad Capillorum defluvium. Recentes coni Hernioso juvant, si decoctum eorum quotidie bibant, interim folia trita testiculis admovenda. Ex ligno cistæ & capsæ parantur magni æstimii, tam propter odoris suavitatem, quam quod vestes & alia in iis asservata à blattis, tineis, & corruptione immunia conserventur.

EBENUS seu Hebenum, quibusdam Xiloaloë officinarum, aliis Guajaci species; lignum est nigerrimum, durissimum, si fricetur aut carbonibus imponatur odoratum, densum, unde nitorem pulchrum recipit lævigatum. Dioscorides ex Æthiopiâ adferri scribit nigrum, nullo venarum discursu, lævore cornus elaborati, densum cum frangitur, gustu mordaci & adstringente. Ex Indiâ ignobilius peti vult: sed Tevetus in Indiæ Insulâ Palmobobere, præstantissimum & nigerrimum inveniri refert, ut & in Hispaniolâ. Clusius in Insulâ Mauritii extare optimæ notæ cognovit, ut refert lib. 5. Exot. cap. 4. Plinius lib. 12. cap. 4. Hebenum raram arborem Neroni Principi allatam, quam nullam aliam quam palmaris generis esse docuerunt.

Nec radices, nec folia, nec fructus ad nos adferuntur, sed caudices & trunci excorticati & omni partium ornamento nudati. Speciem quandam Palmæ esse arbitror cum Plinio.

Dioscorides & Plinius Ebenum commendant ad oculorum caligines abstergendas, destillationes veteres pustulasque, si ad cotem lævigetur. Miscent alii Medicamentis oculis

oculis deputatis; si scobs ejus ramentaque vino Chio per 24. horas macerata in collyrium redigatur. Uritur in novo fictili, donec in carbones vertatur, lavatur plumbi usti modo, ita siccis, scabrisque lippitudinibus conducit. Tophis cum melle & radice Dracunculi medetur. Vim habet excalefaciendi, abstergendi, & tenuium est partium.

Ex Ebeno Indi Deorum simulachra fingunt, Regesque ex eo sceptra sumunt, pocula craterasque ex Ebeno factitant, quod credant contra maleficia efficacissimum esse, & quicquid veneficii fuerit averti ejus tactu. Fabri lignarii ex eo polita præclara opera fabricant, splendore & pulchritudine eximiâ.

Est & aliud EBENI FOSSILIS genus, cujus mentionem fecit Pausanias lib. 1. cum inquit: Audivi Cyprium hominem oppido quam peritum in herbarum generibus, ad medendi usus notandis, qui diceret Ebenum nulla folia, nullumque omnino fructum ferre, quin & stirpis nullam esse Soli expositam; radices tantum terrâ occultari; quas eruant Æthiopes, atque ii in primis, qui, quo maxime loco reperiatur, norunt.

Sed Agricola lib. 7. Fossilium cap. 22. Hildesheinii etiam ejusmodi Ebeni fossilis speciem inveniri refert, quam hisce describit. Hildesheinii intra terram aluminosam est lignum in lapidem mutatum, & in commissuris reperitur Ebenum fossile, quod etiam sparsum in aliorum lapidum cavernis tanquam in alvo latere Theophrastus non ignoravit. Stirps est nigra, foliis & fructu carens, cornu politi modo splendida, solida, sed lævis, omninoque aspectu similis Gagati lapidi, sed naturâ admodum diversâ. Nam Ebenum ignem non sentit, Gagates accensus ardet & igne perit.

Ab hoc Ebeno fossili diversum est, quod in ISLANDIA reperitur, & laminatim eruitur, colore nigerrimo, quandoque subfusco, ponderosum, fragile, exsiccatum ubi fuerit. Quanquam Mercator, qui ejus mihi copiam fecit, lentum adeò & flexile esse, cum primum è terrâ eruitur, retulerit, ut viminis instar in quamvis partem trahi possit ac flecti. Fibris constat obliquis & nodis hinc inde, plane instar radicis majoris cujusdam arboris. Fabro cuidam lignario, in lignis dijudicandis perito, tradidi, qui juglandis arboris radicem longâ annorum serie nigredine tantâ infectam esse putabat. Sed iis locis nunquam hæ arbores conspectæ sunt. Polituram non facile admittit, nec operi scriniario ob fragilitatem adhiberi potest. Iis in locis Islandiæ, ubi magna copia eruitur, terrâ ad duas ulnas effossâ, nullæ planè sunt arbores, aut fuisse unquam animadverti potest. Quocirca nescio an probari eorum possit opinio, qui existimant hic olim silvas fuisse, quæ relictis radicibus incendio conflagraverint, Radicum verò truncos à succo subterraneo vitriolato colorem nigrum contraxisse vero similius est. Laminæ quas teneo longitudine sunt pedis unius cum dimidio, latitudine æquant dimidium, crassitie pollicari, inæquales, asperæ, rimis multis dehiscentes.

Hoc lignum vulgo SORTURBRANDUR vocant & latere ajunt in monte adeo prærupto & alto, ut eò nullus nisi audacissimus penetrare valeat, qui à juventute præcipitiis fuit assuetus, effodienda quoque terra est, aliquot ulnis antequam se prodat hoc lignum.

Illud exploratum habent Islandi, pulverem hujus ligni vestibus inspersum, in quâcunque serventur cistâ, à tineis & vermibus non erodi. Si contingat membrum aliquod morbo iis Kueisa dicto infestari (spasmum esse puto) applicato hoc ligno calefacto, tolli & profligari.

Huc referendum puto LIGNUM FOSSILE UMBRIÆ, quod invenitur in Umbriâ Italiæ Provinciâ, in territorio Todi, variis in locis, prope Castellum Collesecco & Rosarum, sed juxta viam Romanam majori in copiâ effoditur. Ortum trahit è terrâ cretosâ, quæ paulatim in lignum vertitur beneficio ignis subterranei in istis locis, qui tempore pluvioso fumum crassum exhalat, accedente sulphure quodam minerali.

Inveniuntur particulæ ex parte cretosæ, ex parte ligneæ, ex parte carbonis instar adustæ. Siquidem de minerali & vegetabili participare videatur, Metallophitum seu Minerephiton appellari posse videtur, simile Cedro montis Atlantis in Mauritaniâ. Colore est Leonino obscuro, venis inordinatis, obscurioribus aliquanto reliquâ substantiâ.

Ex semine ut reliquæ arbores non generari ex eo patet, quod nunquam inveniantur particulæ cum radicibus, ramis, aut nervis; sed trunci solum erecti lateraliter dispositi, unde striarum inordinatio. Qui ex arboribus sub terrâ olim reconditis provenire putant, eo turbantur, quod truncorum ambitus non rotundâ sed ovali figurâ conspiciatur;

tum quod lignum hoc grave admodum ſit, ut aquæ injectum fundum petat, & minerale quid ſapiat. Inveniuntur præterea particulæ in lapidem converſæ, quadam parte lapideæ, quadam lignum æmulantes, ſed tamen ſubſtantiæ lapideæ. Quædam fragmenta exterius lapidea, interius lignea, & vice verſâ ſe offerunt, cortex partim cretaceus, partim ligneus. Dum recens è terrâ eruitur, facile flectitur, ſed poſt annum, ubi exſiccatum fuerit, nequaquam. Si igni, mox ubi erutum fuerit, committatur, lente valde conſumitur, cum fumo magno & odore ingrato. Sicci odor gratus eſt, & calorem intenſum præbet, nec cito conſumitur, ignem diu conſervans. Trunci variam habent figuram, ejuſque varietatis ſpecimina quædam edidit Franciſcus Stellatus Lynceus in peculiari de hoc ligno tractatu Romæ edito.

Non ita multi elapſi ſunt anni, ex quo hoc lignum primum innotuit. Elegantes ex eo capſulas & opera fabricare norunt Itali, uſum præterea ullum an habeat ignoro. Præter capſulam perſpicillis recipiendis aptam, quatuor unciarum longitudine, duarum cum dimidiâ latitudine, aliis quoque particulis eleganter politis me donavit Vir Clariſſ. D. D. Thomas Bartholinus, qui ex Italiâ ſecum attulit.

Eſt in Braſiliâ fluvius Januarii dictus, quod eo menſe primum à Joanne Diazio, die Solis, Anno MDXV. primo ei ſit aditum, ad altitudinem duorum & viginti graduum, ſcrupulorum viginti verſus polum Antarcticum. Juxta hunc fluvium lignum reperitur quod Dominus de Laet, qui illud mihi tranſmiſit, vocat Lignum è FLUVIO JANUARII. Fruſtum quod teneo uncias quinque longitudine æquat, latitudine dimidiam, colore obſcurè purpureo, fiſſile, quod rubro colore tingit & inficit. Ex quali arbore petitum me adhuc latet.

LIGNUM FOETIDUM ad nos ex Indiæ Orientalis Inſulâ Timor dictâ Anno MDCXXXIX. attulit Societatis Indicæ Præfectus Rulandus Krappè, ſed de ejus uſu nihil ipſi conſtabat. Mihi fruſtulum ejus obtulit quadratum fermè duorum pollicum longitudine & latitudine, leve, coloris citrini, ſed fœtore inſigni, præſertim ſi radatur aut ſecetur. Suffocationibus uterinis forſan non incommodè adhibebitur, ſed ego ejus nondum feci periculum.

An ex eâ ſit arbore fœtidâ, quam Indi Quauhyyac vocant, ignoro. Deſcribitur ea à Nierenbergio lib. 14. Hiſtor. Natur. cap. 74. hunc in modum. Arbor eſt magna ferens mali medici folia, ſed tamen acuminata, cortex adſtringit, gravem odorem ſpirat; calidâque & ſiccâ conſtat temperie; fluxum alvi coërcet, ſudorem elicit. Naribus inſtillatus ſuccus ſternutamentum excitat, caput purgat, atque ita febres tollit, capitis præterea arcet dolorem. Similem fœtorem ſpirat Aovay Teveti, de quo inter fructus actum.

CAP. XVIII.

De Guajaco, ligno Hederæ, Literato, Montis ardentis Puteolani.

GUAJACAN Indicum nomen eſt ligni, quod jam Guajacum, ſeu Gajacum vocamus, quibuſdam Palus Indica & Lignum Sanctum. Sunt qui Ebeni, ſunt qui Buxi ſpeciem faciant, ſed melius illi qui novum arboris genus ſtatuunt, ex Americâ & Indiâ Orientali ad nos delatum, cujus quinque ſpecies à Bauhino in Pinace recenſentur.

Matthiolus lib. I. in Dioſcoridem cap. III. ex relatione eorum, qui in ſilvis Indiæ arborem hanc viderunt, ad Fraxini proceritatem accedere refert, & ad hominis mediocris habitus craſſitiem, folia ferre quadantenus Plantaginis æmula, dura ac brevia, flores luteos, fructus juglandis magnitudine, qui eſu alvum ſubducunt, cortice nigro in annoſis, juvenibus ſubrutilo. Nicolaus Monardes in Hiſtoriâ ſimpl. cap. XX. Ilicis magnitudine ſtatuit, ramoſum, magnâ matrice nigricante, materie quam Ebenum duriore, cortice craſſo, gummoſo ſeu pingui, &, cum ſiccum eſt lignum, facile decidente, foliis exiguis & duris, flore luteo, quem ſubſequitur fructus rotundus, ſolidus, ſemina in ſe continens Meſpili modo. Ramulum fructu & flore onuſtum deſcribit Cluſius in Notis ad eundem locum, qui in quibuſdam diſcrepat à ſuperioribus. Manardus tria ejus conſtituit genera; primum craſſiore & vegetiore mole, interiore parte nigrâ, exteriore pallidâ, perplexis lineis ad fuſcum tendentibus per longum interſectâ. Alterum caudice minore, cujus extimæ partes majori ſe diffundunt ambitu, intimæ nigricantes minori.

Tertium

Tertium exiliore caudice, extrinſecus & intrinſecus albicante, quod reliquis præferunt, & lignum ſanctum vocant. Sed rectè Matthiolus hæc non eſſe diverſa lignorum genera ſtatuit, quin potius, ratione ætatis & ſenii, arboris colores illos diverſos provenire. Quo enim maturius lignum, eo nigrius, quod in moro, nuce, & aliis apparet.

Vires ei inſunt inſignes, præſertim contra luem Veneream, cui medendæ potiſſimum dicatur. Conſtat partibus calidis & tenuibus, ſiccis quoque: unde efficaciter exſiccat, attenuat, liquefacit, expurgat, ſudores movet.

Cum reſinæ multum in ſe contineat, putredini & corruptioni balſamicâ virtute reſiſtit. Modus decoctum ex eo parandi, paſſim apud autores extat. Nec ſolum in lue Venereâ locum obtinet; ſed & Hydropicis, Aſthmaticis, Epilepticis, juncturarum doloribus laborantibus, omnibuſque morbis à frigidis & lentis humoribus ac flatibus ortum trahentibus, convenit.

Ex hoc ligno torno elaboratæ mihi ſunt Pyxides, Rotulæ, & alia ejus generis.

HEDERA ARBOREA quamvis vulgata ſit planta, ut inter rara hæc locum mereri haud videatur, cum tamen vulgo jactitetur, & Vecherus ex Evonymo & aliis referat, vinum ab aquâ ſeparari, ſi vas ex hederâ conficiatur, eique vinum infundatur, cui aqua permiſta, brevi permanente vino aquam exſtillare; in hujus experimenti veritatem ut inquirerem, ex ligno Hederæ (cum mihi fruſtum obtigerit brachii craſſitie) pocula confici curabam, quorum maximum liquoris libram ſemis capiebat, cui vini duas partes, aquæ unam infundebam; quæ per tres dies mixta ubi ſtetiſſent, paulatim ſimul tranſudabant. Ex quo de experimenti veritate judicium ferre quivis poterit. Lignum videtur poroſum, leve, & tenuibus liquoribus ſervandis minus aptum. Et certè ſi aqua tranſudat, quidni & vinum, quod tenuius eſt & magis ſpirituoſum? Niſi ad occultas qualitates confugere velimus, quas ego hic non deprehendi.

LIGNUM LITERATUM, Belgis Letter-hout / ex continente Americæ prope fluvium Cajamum adfertur. Barbaris Pira Timinere, quibuſdam Moſchaten-holz / eo quod varietate colorum purpurei & nigricantis ludat, ut interior ſubſtantia nucis Moſchatæ. Solidum eſt, durum, grave, colore roſſo, elegantibus notis ſubnigris, gratâ varietate diſtinctum, inſignis ad opera fabrilia uſus. Arbor ipſa procera eſt, recta, glabro cortice, frondes tantummodo ferens in faſtigio trunci, folia ad pyri figuram quam proxime accedunt. Bauhinus ad Aſphalata rubra referre videtur. Forſan illud eſt quod à Lerio vocatur Lignum Americanum rubrum, diverſi à Braſilio generis, è quibus clavas ſuas Barbari conficiunt. In Medicinâ nullum adhuc invenit uſum, ſed ſcriniarii in teſſellatis & variegatis operibus ſibi illud familiare reddiderunt, ſcipiones præterea & baculos ex iis conficiunt ſplendidos & pulchros.

FRUSTULO LIGNI me donavit Vir Clariſſ. D.D. Thomas Bartholinus, quod ex monte Veſuvio, prope Puteolos ardente, extraxit. Ramulus eſt teres, digiti craſſitie, quinque unciarum longitudine, in carbonem fermè converſus, unde mollis, niger, nodoſus, hinc inde exeſis fruſtulis, inæqualis, odore ſulphureo & ejus colore quibuſdam in locis infectus. Ex quo ligni genere conſtet, haud facile dijudicare quis jam valet.

CAP. XVIII.

Lignum Nephriticum, Panava, Rhodium, Santalum, Saſſafras, è Siam.

LIGNUM NEPHRITICUM, Bauhino lignum peregrinum, aquam cœruleo colore tingens, quod ad Fraxinum refert. Ex Novâ Hiſpaniâ & Mexico ad nos defertur, ubi Coatl & Tlapalczpatli vocatur. Frutex eſt grandis, quandoque in molem arboris excreſcens, trunco craſſo, enodi inſtar Pyri arboris, foliis ciceris, ſed minoribus, non plane diſſimilibus Rutæ, floribus exiguis oblongis, luteis, ſpicatim digeſtis.

De ejus temperamento non conveniunt autores, quidam frigidum & humidum eſſe putant ad temperatum accedens, Manardus calidum & ſiccum in primo gradu putat.

Ligni materia licet albicet, aquæ tamen immiſſa eam cœruleo tingit colore, Athanaſius Kirckerus obſervavit, id aquam in omne genus colorum transformare, ut docet Artis Magnæ Lucis lib. 1. p. 3. pag. 77. quæ pota renes & veſicam mundat & refrigerat, urinæ acrimoniam temperat, & calculos pellit. Ad jecoris & Lienis obſtructiones etiam

commendatur. Lignum assulatim & minutim concisum, in optimâ & limpidissimâ aquâ fontanâ maceratur atque in eâ relinquitur, donec aqua à bibentibus absumpta sit. Dimidiâ post injectum lignum horâ, aqua cœruleum contrahit colorem. Hac aquâ assidue utuntur, eâ vinum diluunt, & mirabiles experiuntur effectus, sine ullâ humorum commotione, neque aliâ est opus victus ratione, quam temperatâ. Saporem nullum aquæ communicat. Francisc. Ximenes observavit, lignum, post quindecim dies continuos aquâ maceratum, virtute omnimodâ exui, nec aquam ulterius tingere.

Libavius Epistolâ 38. in cistâ Medicâ, cum 18. Augusti mane bibisset vinum dilutum aquâ infusionis ligni Nephritici, quamvis vix semiscrupulus ligni fuerit, tamen post nonam, turbavit ventrem, & per Renes alvumque purgavit. Unde colligit infusum in vino purgare electivè, in aquâ tantum Renes permeare.

Aliud LIGNUM NEPHRITICUM ex Brasiliâ adfertur, quod externâ figurâ & colore diversissimum est à præcedente, licet viribus conveniat. Mihi à Domino de Laet ejus nuper facta est copia, transmisso frusto trium unciarum longitudine, unius latitudine. Oblongum enim est & quadratum, colore non albo, ut illud quod ex Novâ Hispaniâ adfertur, sed ex fusco nigricante, saporis fermè nullius, nisi quod ad dulcem parum inclinet.

LIGNUM PANAVA seu Moluccense, quod in Insulis Moluccis reperitur, colitur in hortis ac magno est in precio, nec facile peregrinis illud communicant.

Arbor est mali Cotonei magnitudine, cujus folia Malvæ vulgaris foliis sunt simillima, fructus avellanæ, sed minor, molliore cortice & nigricante. Ejus lignum leve admodum est, album, cortice tenui cinereo, quod ex frusto mihi dato observo, quatuor Drachmarum.

Intus sumptum, aut foris admotum, venenis omnibus resistit. Intus exhibetur adversus venena, paucorum granorum quantitate, ita ut decem non excedantur, in jusculo aliquo, & animalium venenatorum morsibus pulvis inspergitur. Summa dosis est ℈ß. in aquâ Rosaceâ aut jusculo; evacuat omnes humores, in primis crassos, lentos & Melancholicos; convenit Quartanis, diuturnis febribus, colicis & Iliacis doloribus, articulorum quoque; Lumbricos necat, appetentiam dejectam excitat. Si nimia fuerit dejectio, sedatur subito si detur decoctum Orizæ, potest etiam sine dictâ observatione propinari. Biliosis & calidis naturis minus appropriatum, cibus & potus non assumendus, antequam quod sufficit evacuaverit.

Semine utuntur Indi in aucupiis. Ejus enim pauxillum, cum Orizâ coctâ mistum, avibus objiciunt, quæ illico stupidæ decidunt, &, nisi maturè capita eorum aquâ frigidâ perfundantur, moriuntur. Medicamentum hoc à Christophoro Acostâ valde commendatur.

RHODIUM LIGNUM quidam ab Insulâ Rhodo dictum putant, quod ibidem copiose proveniat, vel quod odorem Rosæ spiret; Bauhinus illud ad Aspalathos refert, illudque Aspalathum albicans torulo citreo vocat, Agallochum quidam putarunt. Pona & Lobelius in Adversariis tertiam speciem Aspalathi constituunt, & ad Rhodienses olivastros, aut Santala spectare putant. Sed falli omnes docet Honorius Belli, in Epistolâ ad Clusium, verum Cytisum Marantha esse docens.

Provenit in Insulâ Rhodo & propinquis, præsertim Astachidâ, ubi singulis annis trunci cæduntur. Nam Turcæ pro manubriis ensium conficiendis usurpant, & Caloeri Pathmi in sphærularum precariarum usum convertunt. Flores croceos fert in extremis ramulis, quibus succedunt falcatæ siliquæ, semen Cythisi Maranthæ terna folia simul conjuncta habet. Frutex ipse humanam altitudinem superat, brachialique aut majori est crassitudine, cum floret aliquantulum acris est, medullam spissam & nigram habet. Lignum foris albidum est, intus torulo subflavo aut citreo, santalo albo aut citrino simillimum, odore Rosæ albæ, gustu ferme nullo, parum ad caliditatem inclinante.

Usum hactenus obtinuit in sphærulis precatoriis, dentiscalpiis, aliisque ad ornatum spectantibus, propter gratum odorem. Santali citrini vices sustinere posse sunt qui velint.

SANTALUM lignum est veteribus Græcis incognitum, ab Arabibus primum in usum traductum. Avicennæ, Serapioni & Mauritanis Sandal; in Insulâ Timor & Malaccâ Indiæ Chanduna, in Canarâ & Decan Sercandam vocant.

Arbor ipsa in Nucis Juglandis magnitudinem exsurgit, foliis virentibus, Lentisci æmulis,

æmulis, flore ex cœruleo nigricante, fructu cerasi magnitudine, primum viridi, deinde nigro, insipido, & admodum caduco. Viridis inodora adhuc est arbor, sed exsiccata detracto cortice suaviter olet.

Trium generum est; rubrum, album, pallidum seu citrinum, quæ non in unâ, sed diversis nascuntur provinciis, multum inter se distantibus. Rubrum in Coromandel & maritimis crescit, atque ex eo Idola sua fabricare & adversus febres medicamenta præparare solent. Album & citrinum in Insulâ Timor. Cæsalpinus, flavum seu citrinum, medullam albi esse existimat.

Refrigerat gradu tertio & exsiccat secundo. Rubrum defluxiones prohibet, inflammationibus & doloribus podagricis ex succo Sedi & Portulacæ illinitur. Ex candido & citrino fiunt Epithemata ad capitis dolores & ventriculi æstus in febribus. Cordialibus medicamentis etiam permiscetur, lætitiam ac robur adfert. Indi in mortariis lapideis contuso & aquâ macerato sibi universum corpus inungunt, dein siccari sinunt, ad æstus corporis tollendos, & odoris conciliandi gratiâ.

SANTALI RUBRI silvestris speciem ex Africâ allatam transmisit Clariss. Vir D. Johan. de Laet, colore est pulchrè rubicundo, odoratum, læve, unciarum quatuor longitudine, pondere Drachmarum quinque.

An illud sit quod Garcias ab Horto in Insulâ S. Laurentii inveniri accepit ab Æthiopibus, quod non pro Santalo, sed ligno aliquo alio odorato habet? In Cretâ etiam Pseudosantalum provenire docet Dodoneus, quod quidam existimant esse Ulmum Montanam Theophrasti.

SASSAFRAS lignum Gallis in Floridâ degentibus ita vocatum, Pavame Indis dicitur, in Virginiâ Vinauck. Bauhino arbor ex Floridâ ficulneo folio. A Manardo describitur, quod sit arbor magna, Pini mediocris magnitudine & formâ, unico trunco nudo, ramis in Cacumine expansis ut pinus repurgata, cortice, quem integit tenuis cineracea quædam pellis, ex gilvo nigricante, aromatico & aliquanto acri sapore, ad fœniculi odorem accedente. Materiâ trunci & ramorum albâ, ad cinereum colorem tendente, folio ficulneo in angulos desinente, colore viridi obscuriore; an florem aut fructum ferat ignoravit Monardes. Sed Bauhinus in Pinace fructum vidit oblongum, rugosum, lon-

giſſimis pediculis donatum. Radicibus nunc craſſis, nunc tenuibus, pro arborum magnitudine, per ſummos terræ ceſpites expanſis, ut facile evelli poſſint. Naſcitur in Floridâ locis maritimis & temperatis, ut in portubus S. Helenæ & S. Matthei.

Calidum & ſiccum eſt gradu tertio ferè, ſubtilium partium, medetur colicis & Nephriticis doloribus. Eſt validum remedium adverſus Urinæ difficultates & affectus frigidos renum, diſcutit flatus, aperit obſtructa, corroborat partes internas, ſanat Aſthma, alioſque pectoris affectus, à cauſâ frigidâ ortos, juvat digeſtionem, laxat alvum, tollit uteri infœcunditatem, promovet menſes, & eſt validiſſimum remedium contra luem Veneream, mitigat dolores dentium, catharros curat.

Purgato corpore ejus exhibetur decoctum, ſed cortex viribus præſtat, eâ tamen non utendum in debilibus & emaciatis. Aquam marinam dulcem reddere obſervavit Franciſcus Ximenes. Aſſulas ex hac arbore per octiduum macerarunt in aquâ ſalſâ, tum dulcem & potui aptam obtinuerunt.

LIGNUM è SIAM Orientalis Indiæ Provinciâ ad Santala etiam forſan referri poſſet. Rubicundum eſt & flavedine eleganti miſtum, odoratum. Clariſſ. Vir D. Joh. de Laet, à quo habeo, proximè ad Pernabucenſe accedere ait. Leve eſt, adeo ut fruſtum, mihi communicatum, pondere ſit unciarum trium cum ſemiſſe, longitudine pollicum quinque, craſſitie trium cum dimidio. De viribus nihil conſtat.

CAP. XIX.

De Lignis Monſtroſis.

LIGNA, quæ à communi figurâ ac formâ exorbitant, Monſtroſa vocare lubet; quia à Naturâ in hoc genere ludente, & caſu aliquo ortum trahere videntur. Non minus enim in arboribus ac vegetabilibus eam quandoque luſus ſuos obſervare animadvertimus, quam in Lapidibus & Animalibus; cui quandoque Ars aut caſus aliquis obſtetricatur. Nos, quæ jam tenemus ejus generis, producemus.

ABIETIS rami monſtroſi mihi tres ſunt. Primus ex baſi tereti paulatim in latitudinem palmarem ſe diffundit, hinc in octo quaſi digitos divaricatur, quorum primus pollicari latitudine, dimidium pedem altitudinis ubi nactus eſt, rurſus in minores digitos diſpeſcitur, qui carie ferme jam ſunt conſumpti. Secundus digitus minor eſt & rotundus, tertius & reliqui in latitudinem exporrecti & in ſummo divaricati, ad ultimum uſque, qui teres.

Secundus Ramus tereti formâ per pedis unius longitudinem aſcendit: hinc in latitudinem diffunditur, unico ramulo tereti ad latus exporrecto, qui, dimidii pedis longitudine ubi excrevit, in tres ramos planos divaricatur, quorum primus in latum ventilabrum cum appendice terminatur, reliqui, minori latitudine contenti, excreſcentiis deſtituuntur.

Tertius minor, totus planus, in ſeptem ramuſculos maximâ ex parte planos, ſcabros & inæquales, ut reliqui in extremitatibus extenſos, terminatur.

ACERIS lignum bifurcatum, quod duo capreoli quaſi repræſentat cornua, lapidem durum, nigro purpureum, inæqualem, ſuis amplexibus ita tenet, ut ex iis ſine fracturâ expediri nequeat. Videntur ramuli duo ex ampliore caudice enati, rectà ſurſum tendentes lapidem ſibi (quâ ratione aut occaſione, fulmine aut caſu alio, neſcio) impactum, longo temporis tractu creſcentes in molem ampliorem, ita amplexos eſſe ut jam ſine rupturâ expediri nequeant. Ramulorum cum ſuo trunco longitudo eſt decem unciarum, colore flaveſcente, miris fibrarum circumgyrationibus, decori aſpectus.

Ex ACERE aliud eſt figurâ ſuâ Canem villoſum pulchre referens, ita à Naturâ elaboratum ut admiratione dignum ſit. Longitudine eſt pedis unius cum ſemiſſe, altitudine pedis unius. Collum habet, pedes quatuor, quibus inſiſtit, caudam ſed ex parte amputatam, totum corpus villoſis quaſi obſitum pilis, ex fibris ligni variè tortilatis, imo nihil in eo deſideratur, quod lineamenta canis hiſpidi referat, præter capitis anteriorem partem. Coloris eſt ſubflavi, ut lignum aceris exſiccatum & cortice ſuo nudatum eſſe ſolet.

Ex acere Lignum videtur CRISPATUM, quo me donavit Nobiliſſ. D. Olaus Brochenhus, quod, dum craſſiorem finderent fagum, in ejus Meditullio inventum fuit. Longitudine unciarum octo, latitudine quinque, planum, alterâ parte inæquale, ſinubus

&

& protuberantiis quibusdam dotatum, alterâ infinitis Mæandris profunde satis exsculptum, insigne figurâ quadratâ, paululum inclinatâ, colore fusco. Mirum quomodo hæc Aceris portio intrusa sit fago, ut vestigia apparuerint nulla, nec inveniri potuerit, aut videri antequam finderetur arbor. Cirrhi, qui crispatum illud reddunt, mire sunt intortilati, & profundi satis.

CAPUT CERVINUM cum cornubus ramosis quodammodo referens lignum, sui etiam est æstimii, ac licet Ars aliquid de suo largita sit, potiores tamen partes Natura obtinuit, in genere vegetabili Animalis ideam utcunque exprimens.

CERCOPITECI facie lignum duorum fermè pedum est longitudine. Crassior ejus pars, meris tuberibus inæqualiter dispositis constans, corpus pedibus truncum, cum capitis lineamentis, exprimit, & eo magis quod coloribus conatum Naturæ aliquantulum juverit pictor. Tenuior ejus portio, pedis longitudine, caudæ lineamenta utcunque exhibet, nisi quod crassior aliquanto sit, quam reliqui corporis exigat proportio.

CIRCULARE annulum majorem cujus Diameter sex pollices æquat, circumferentia duos pedes, minus unâ tertiâ, refert. Sed cum ita concretum sit, ut nec principium nec finem coagmentationis partium ostentet, mirandum hoc censeo naturæ opificium. Inæquale est, nodosum, rimis & hiatibus quibusdam deforme, dignum tamen suo loco.

GALLUM GALLINACEUM utcunque exprimit ramus cerasi racemosæ, qui minimi digiti crassitie, semipedis altitudine ubi excrevit, in duo brachia divaricatur pollicari latitudine; quorum alterum figuram S exprimit, & caput, collum, ac pectus galli, torositatem si excipias; alterum incurvatur ut O literam & caudæ gallinaceæ pennas præbeat, suis etiam divisionibus. Colore est purpureo, variis nodulis & striis insignitus.

HAMATUM voco lignum, ramum duorum circiter pedum longum, digiti crassitie, qui ex crassiori ubi emergit secum ramos septem crassitie inæquales vehit. Hi verò amputati cum sint, hamulos totidem constituunt ex uno isto trunco ortos, unde nomen ei indidimus.

Ex duplicato grandi tubere, ramus emergit, qui mentulam inter duos monstrosos testiculos sitam figurâ refert, unde INVERECUNDUM hoc lignum diximus. Tuber ipse in Diametro pedem ferme occupat, in circumferentiâ duos, sed inæqualiter & nodosè coagmentatus est. Rami vero in directum protrusi & amputati, longitudo est pedis semissis mensurâ. Ex alno decerptum videtur hoc lignum.

STRUMOSA ligna vocamus, quæ variis nodis & strumis referta, seriem illam bulborum porraceorum referunt, quam ad nos adferre & vendere solent Nautæ Belgæ. Unum mihi est grandius, sed carie & vetustate ita exesum ut vix cohæreat. Dum integrum erat, pedes quinque cum dimidio longitudine superabat, octodecim strumis grandioribus hinc inde inæqualibus intervallis onustum. Ipsæ quoque strumæ figurâ & magnitudine valde inæquales, quandoque invicem ita complicatæ, ut ex tribus minoribus una grandior conflata videatur. Lignum ipsum crassitie inæquale; quà crassius, brachium fermè æquat; Corilinum fuisse videtur.

Alterum MINUS ejusdem materiei, tenuius pro corporis proportione, minoribus tuberibus exornatum, pedum trium est longitudine, cum unâ quartâ. Exacte supputationem si instituas, nodos magnos & parvos, distinctos & contiguos numerabis in eo triginta. Cortice nudatum est, coloris buxei, hinc inde eminentibus vestigiis ramulorum ex meditullio strumarum emergentium. Figuræ non est adeo in rectum protensæ, quin juxta extremitates incurvetur aliquantum. Baculum nodosum Hippocratis, parum abest quin vocem.

TORTILATUM trium pedum est longitudine, variis gyris & anfractibus constans, in quo efformando tantum ferme Ars, quantum Natura præstitisse videtur. Alteri enim vicino aut agnato ramo implicatum arte fuisse videtur, ad cujus circumvolutiones se componere coactum fuit; hinc gyros & anfractus contraxit, quos jam ostentat.

TUBULATUM lignum voco truncum tiliaceum, teretem, duos pedes cum dimidio longum (majorem enim ejus partem serrâ ablatam fuisse, antequam ad manus meas perveniret, docent manifesta ejus rei relicta vestigia) crassitie est quatuor pollicum, exterius coloris cinerei, scabrum & aspredine horridum, à vermiculis ambesum. Per totum corpus tubulis conchiliatis majoribus perforatur & excavatur, qui inæqualiter

ejus

ejus corpus perreptant & quandoque in superficie terminantur, substantiâ crustaceâ, durâ, albicante, ab ipso ligno separabili, quibusdam in locis digiti amplitudine.

Inventum hoc lignum in fundo maris propè Bergas Norvegiæ, ubi à marinis vermibus perforatum, ex limo & adhærescente visciditate testaceos hosce tubulos acquisivit, conchiliorum testis analogos. Vermium quoddam genus in hisce delituisse satis patet; sed quales fuerint dicere nequeo. Magnam affinitatem habuisse videntur cum iis quos ex Rondeletio describit Aldrovandus de Insectis lib. 7. cap. 7. hoc pacto. Nascuntur in saxis marinis & super concharum vetustarum testas, tubuli vel siphunculi testacei, rotundi, asperi, candidi, intus lævissimi, quorum alii recti sunt, alii contorti & replicati. In his procreantur & vivunt Vermes, qui foras se exserunt hauriendæ aquæ gratiâ. Hi colore & substantiâ scolopendræ rubræ similes sunt, sed figurâ & magnitudine nonnihil differunt; longissimi enim digiti magnitudinem non excedunt. Pars posterior folii Myrtei modo in acutum desinit, priore parte utrinque pedes habent, veluti scolopendræ, unde fistula prominet in extremo obtusa, & tubæ modo perforata. Nostri hi tubi plane substantiâ conveniunt cum iis quos Rondeletius depingit, sed eo differunt, quod majores sint, quodque non saxis aut conchis adhæreant, sed ligni substantiam penetrent. Habent & hoc peculiare, quod, licet majores superficiem internam habeant lævissimam, minores tamen asperi sint & inæquales, quibusdam quasi interstitiis distincti.

Usum habere possunt nostri tubuli eum, quem suis tribuit Rondeletius, ut scilicet in Unguento Citrino vires suppleant Dentalium. Sed de hisce inter Testacea etiam agendum.

Cap. XX.

De Corticibus.

Canella alba, quam alii Costum Arabicum vocant, multis pro vero Costo est in usu. Matthiolus se Costum legitimum non vidisse ingenue fatetur. Veteres Costum radicem esse pronunciant, sed eæ, quæ in officinis pro Costo venduntur, nullas penè habent legitimi Costi notas. Ante annos non ita multos ad nos adferri cortex cœpit aromaticus, qui notis & facultatibus proxime ad Costum veterum accedit, quem quidam Canellam albam, quidam Costum Arabicum vocant. Ille esse videtur quem Monardes cap. 26. Ligni aromatici vocat, ex Insulâ D. Johannis de Portu divite allati, cujus odor & sapor adeò aromaticus & excellens est, ut Macin aut Nucem Myristicam longè superet, imo Canellam odoris suavitate, Piper acrimoniâ. Quocirca rectè in Notis monet Clusius, corticem potius Aromaticum quam lignum dici debere, atque ab eo, lib. 4. Exotic. cap. 3. sub nomine Canellæ albæ, accuratius describitur. Adfertur quandoque tubis longioribus & crassioribus, quandoque tenuioribus & minoribus; quandoque ei extimus cortex scaber ablatus est, quandoque ejus particulæ adhuc cohærent. Exterior cortex tenuior est altero, porosior, sed valde rugosus, asper, ac multis rimis hians, multisque sinubus, secundum longitudinem corporis, obliquè & inæqualiter dispositis, plane cortici exteriori Sambuci colore & figurâ similis. Sub eo interior, crassior, solidior latet, coloris cinerei albicantis, in quo acrimonia major.

Interior hic præ exteriore commendatur & plane est aromaticus, suavitatem Cinamomi, acrimoniam Piperis, Gariophyllorum ex parte saporem obtinens, adeò ut ex omnibus fermè Aromatibus aliquid participare videatur.

Exiguum quid ex eo masticatum, oris halitum commendat, acrimoniâ insigni linguam vellicat, & pituitam è capite educit. Nos in confectione Theriaces, pro Costo vero, eo usi sumus. Adfertur ex Virginiâ, Mollucis, Javâ, Insulâ Barbados, &c.

Sed ex quâ arbore hic cortex petatur, non consentiunt omnes. Clusius erui putat ex ligno non plane dissimili Guajaco, gravi, solidâ ac durâ materia constante, aliquot nigricantibus venis distincto, corde etiam ipso nigro, ut in Guajaco. At Nierenbergius Histor. Nat. lib. 14. cap. 48. Costi arborem Sambuci facie esse ait, Arbuti, seu Unedonis magnitudine, flores odoratos ferentem, intus candidam, extra cineream, & buxi modo pallescentem, quæ in Caguzarate nascitur. Clariss. Vir D. Johan. de Laet lib. 1. descript. Indiæ Occidentalis cap. 17. in Insulâ Barbados corticem hunc copiose provenire ait, cujus arborem his describit: Folia obscure virent, anteriore parte rotunda, flores fert minutos, Sambuci instar in Umbellam collectos, qui foliolis constant quinis, exteriore parte

parte purpureis, intus aureis; cortex lævis & materia dura, intus subnigra, amat ripas & uliginosa loca.

Aliud genus nuper adferri cœpit NIGRICANS, non in tubulis, sed minoribus fragmentis, tam exteriore, quam interiore superficie; tenuior quoque est priore, & divisus cultro, interius ad cinericium accedit colorem. Acrimonia in eo insignis quoque est, sed nec odoris suavitate, nec sapore aut viribus respondet priori. Unde advehatur, aut ex quâ arbore petatur, incertum adhuc.

Corticem ex Hispaniâ secum attulit D. D. Ottho Sperlingius, cujus nomen nondum innotuit, instar Cassiæ ligneæ crassus est, eodem modo convolutus, eundem quoque colorem obtinet, ut, nisi gustes, pro Cassiâ ligneâ sumeres; sed parte & superficie interiore ad cinereum aliquantum vergit. Sapore est acri & aromatico, magis ad Piper & Gariophyllos accedente, quam Cinamomum aut Cassiam. Ni color obstaret, ad Costum referrem.

De CINAMOMO & CASSIA ligneâ supra à nobis actum, ubi de Ligno Cinamomi disseruimus, ac ostensum Cassiam ligneam à Cinamomo non differre, sed ejusdem arboris corticem esse, vel ignobilioris sortis, qualis in Javâ & Malaccâ provenit, tubulis minoribus & mucilaginosum quid gustu exhibens, vel exustum & ex parte corruptum Cinamomum. De eo igitur plura non sunt quæ hic addam: Hoc saltem notandum, Cassiam duplicem esse, solutivam nempe, de quâ inter fructus, & Aromaticam seu ligneam, quæ huc spectat.

CORTEX ODORATUS INDICUS, ex Indiâ Orientali à Clariss. Viro D. Joh. de Laet transmissus, fistulari formâ, quatuor unciarum longitudine, tenuis est, colore ex albo flavescente, fragilis, inter contorquendum, juxta longitudinem valde fissus est, fibrosus, interiore superficie obscuriore aliquantò, gustu acri, odore grato. Hujus pulverem vestimentis inspergere solent lineis aut laneis, ad gratiorem odorem iis conciliandum.

CAPPARORUM CORTEX ex radicibus delibratur, & cinamomi modo in tubulos exsiccatus contorquetur, sed minores sunt longitudine, colore cinereo, lineis quibusdam & rugis transversis dotati, ipse amarus, acer & acerbus.

Vim habet abstergendi, purgandi, incidendi, digerendi, adstringendi. Hinc lienem induratum, coxarumque affectus juvat, tam intus assumptus, quam extra cum aliis admotus.

GRANATORUM Cortices noti sunt, ab ipsis fructibus petiti, vocantur à quibusdam Malicorium, ab aliis Sidion, nil vero aliud sunt quam putamina malorum granatorum. Vim habent inspissandi sanguinem, conglutinandi, adstringendi; hinc in decoctis humidas gingivas exsiccant, & dentes mobiles firmant; in Cataplasmatis quoque Herniosis adhibentur.

GUAJACI Ligni Cortex crassus est, & amplus, pro ratione Caudicis ligni ex quo decerpitur, exterius cinereo ad ruffum tendente colore, interius albicante, ex pluribus quasi lamellis coagmentatus; sapore amariusculo & acriore quam lignum ipsum. Ad luem Veneream & alios affectus, ad quos lignum ipsum commendatur, valet; imò efficaciorem esse, usus docuit: permiscetur decoctis scobi ligni, sed dosi minori.

MANDRAGORÆ CORTEX ex radice depromitur, & trajecto lino ad exsiccandum exponitur. Exterius scaber est, inæqualis, coloris cinerei, interius albicat, crassitie cortices capparorum superat duplo, sapore penè nullo. Vinum, cui cortex infunditur, valet in doloribus & vigiliis; exhiberi etiam quandoque solet ante sectiones & ustiones, ne sentiantur.

Corticis MONSI SEDAN dicti, ex Oriente allati, mihi copiam fecit Clariss. Vir D. Joh. de Laet. Cassiam Ligneam ferme refert figurâ externâ, tenui libro ad nigredinem tendente vestitur; interius colore rufo obscuro Cassiam ligneam æmulatur. Insipidus fermè est, nullâ præditus acrimoniâ. Cujus sit usus, aut unde advectus, me latet.

CORTEX LIGNI SASSAFRAS odoratior, fragrantior est, majoremque efficaciam habet ipso ligno, quia duplex est, exterior asper & cinerei coloris, interior crassior, atropurpureus, mollis, sapore acri aromatico, striis quibusdam oblongis præditus. De viribus in ligno dictum; hoc tamen observandum, efficaciorem longe esse corticem ligno ipso, viribusque præstantiorem, quocirca & in minori dosi exhibetur.

Thymiamatis nomine massa quædam ad nos adfertur ex variis constans corticum fragmentis, friabilis, atropurpurea, odoris grati; quam Narcaphton dici volunt alii. Eâ ad suffimenta utuntur. Alioquin apud Æginetam lib. 7. cap. 22. descriptio extat compositi Thymiamatis, quod suffimentum vocat rosatum ex variis compositum. Consule Dendrologiæ Johan. Bauhin. lib. 4. cap. 30. ubi fuse de hoc Cortice agit.

Cap. XXI.

DE

FRUCTIBUS,

Abda, Abrus, Acaciæ, Achiotl, Amygdala Novi Regni, Almendras de Peru, Amomum.

Cortices in Museo meo excipiunt fructus exotici, quorum præcipuos breviter delineabimus.

Abda arabum ex Coreâ & Guineâ adfertur, fructus est exiguus, coloris cinerei, pisi magnitudine, duobus globulis, invicem cohærentibus, asperis constans, & quà stipiti adhæret sinu exiguo præditus, sapore adstringente. Hoc Indi Coria & Crines nigro colore tingunt.

Abrus Prospero Alpino de Plantis Ægypti cap. 21. dictus fructus, Bauhino est Pisum Indicum Coccineum minus, Clusio Vicia Africana, Camerario Phaseolus Indicus, vulgo falso Pœonia Indica nomine Ginge & Abrus; Honorio Belli, Phaseolus ex Jemen. Fructus est Piso minori similis, durissimus, orbicularis ferè vel ovalis figuræ, prorsus rubeo & nitente, instar Coralli expoliti. Summâ autem parte, quâ siliquæ adhæsit, omnino atro colore splendens & lævore, difficile dentibus cedit. Sapore legumina imitatur & insuavis est.

Plantam quis integram descripserit nescio: Clusius lib. 4. Exot. cap. 15. Ramulum hisce delineat: Pediculo longo inhærebant, alternis deni, duodeni aut plures pediculi brevissimi, satis crassi & rugosi, è quorum singulis, graciliore brevioreque adhuc petiolo, dependebat siliqua rugosa, spadicei foris coloris, unciam, aut paulo amplius longa, semunciam lata illaque aliquantulum plana, mucrone instar hamuli curvo, internâ parte albi coloris, quâ continebantur quaterna aut quina semina durissima, supra descripta.

Honorio Belli ex semine enatæ sunt plantulæ, sed folia saltem produxerunt, quæ ad Solem mirum in modum convertebantur, pinnata erant, longo pediculo, hærentia contrariis petiolis, semper numero paria.

Acaciæ fructus siliquosus est, unico petiolo tres aut quatuor adhærent siliquæ, atropurpureæ, rotundæ, duarum unciarum longitudine, per quas, parte deorsum propendente, nervus, seu linea rubicunda excurrit. Intus semina sex vel septem tenent, compressa, colore subluteo, magnitudine Pisi, loculis & sepimentis quibusdam tomentosis invicem distincta. Quam tenemus siliqua, ex Americâ ad nos delata est, & ab Ægyptiâ parum discrepare animadvertimus. Theophrastus lib. 4. Hist. Plant. cap. 3. arborem & albam & nigram esse docet, ut & Plinius lib. 24. cap. 12. Nostra siliqua ex nigrâ deprompta videtur. Plantam accurate delineavit Fabius Columna in Notis ad Historiam Mexicanam fol. 867.

ACHIOTL, ab aliis Pamaqua, Changuarica eſt Urucu Margravii lib. 2. Plant. c. 3. & Bixa Oviedi, part. 1. Hiſt. & Natural. lib. 8. cap. 6. Arbor eſt magnitudine & trunco, formâque, malo Aurantiæ ſimilis, foliis ulmi figurâ, colore & aſperitate ſimilibus, cortex, truncus & rami ſunt ruffi, vergentes ad viridem colorem; flores grandes habet in modum ſtellarum, quinque foliis diſtinctos, coloris è candido rubicundi, fructus calicibus ſimiles caſtaneis, formâ & magnitudine parvarum amygdalarum viridium, quadrangularis, qui ubi maturuerit dehiſcit, certa grana rubentia, ſimilia granis uvarum, ſed magis rotunda, continens.

Cum verò ramulum hiſce fructibus onuſtum mihi Lugduno Batavorum ſub nomine Bixæ tranſmiſerit amicus meus Clariſſ. Vir D. Joh. de Laet, ejus delineationem uberiorem hic proponam.

Eſt vero ramulus hic quatuor circiter unciarum longitudine, tres continens pediculos, quibus totidem inſident fructus ſeu folliculi cordis figuram eleganter exprimentes, hirſuti, ſeſcunciam longi, unciam lati, externâ parte fuſci coloris, ſpinoſi.

Quidam verò illorum dehiſcens, ſuperficiem internam lævem oſtentat ejuſdem coloris, in cujus medio aliquantulum cavo, utraque pars quindecim aut ſedecim grana ſaturè rubra, exiguum pyrum figurâ referentia, breviſſimo tenuiſſimoque petiolo ſuſpenſa habet; ſed jam exſiccata, marcida aliquantulum conſpiciuntur. In medio utriuſque partis folliculi, nervus quaſi quidam eſt, aut potius folliculi prominentia, ex quâ emergunt petioli grana ſeriatim diſpoſita. Grana ipſa ſalivâ madefacta, eleganti colore miniato tingunt.

Barbari hanc arborem magni faciunt, coluntque circa tuguriola ſua, viret toto anno, fertque fructum verno tempore, quo & materies illius cædi ſolet, quæ utilis eſt ad ignem eliciendum inſtar ſilicis. Ex cortice conficiunt funes & rudentes, qui robuſtiores ſunt cannabinis. E ſemine fit tinctura Coccinea, quâ pictores utuntur. Eadem & in Medicinâ uſurpatur, cum frigidâ ſit qualitate; ſi cum aquâ hauriatur aut foris applicetur, mitigat æſtus febriles, fluxum Dyſentericum ſiſtit, & potionibus refrigerantibus

admiſcetur. Hinc potioni ex Cacao confectæ additur ad refrigerandum & bonum ſaporem ei conciliandum.

Maſſâ ex ſucco ſeminum hujus Achiotl ex Hiſpanis redux me donavit Clariſſ. D. Sperlingius, quæ coloris eſt ruffi, digitalis craſſitiei, unciam longa, friabilis, primo guſtu inſipida, ſed mox amaritudinem levem & aromaticam maſticata præbet, Madefacta coccineo tingit colore. Quidam hanc maſſam Orellanam vocant.

Amygdali novi regni nomine tranſmiſſus eſt fructus ille, qui à Cluſio lib. 2. Exotic. cap. 6. ſub nomine Guianenſis amygdali deſcribitur, Craſſo & duro eſt putamine, ut hoc nomine inter nuces referri poſſit. Orbiculari ferme figurâ, niſi quod alterâ parte in rectam lineam terminetur ac dehiſcat, depreſſior aliquantò, multis tuberculis per univerſum corpus ſparſis, coloris ex rubicundo ſpadicei, ambitu ſuo uncias ſeptem ſuperat, latitudine duas. Qui fregerant magnum nucleum continere ferunt, ejuſdem cum nuce figuræ, membranâ rufâ opertum, ſed parte interiore candidiſſimum, atque in binas partes ſeparatum inſtar Amygdali, quod ſapore refert. Fructus accurate deſcribitur à Clariſſ. Viro D. Johan. de Laet lib. 9. deſcript. Ind. Occident. cap. 4. Arbor, quæ eam fert, tereti trunco eſt, ut pinus. Mihi communicata nux, magnitudine eſt pilæ palmariæ, figurâ Renis, coloris cinerei ad nigrum inclinantis, crebris tuberculis obſita, quæ prolongantur ad latus depreſſius cum tendunt, ubi rimâ tota nux dehiſcit. Pondere eſt unciarum duarum cum tribus Drachmis, ſex unciarum ambitu.

Almen-

ALMENDRAS DE PERU, ſeu Amygdala Peruana, forſan ſic dicta, quod operimentum, quo nux hæc tegitur, ſimile ſit ei quod habent Amygdala, & nucleus etiam ſapore & colore Amygdala referat. Cluſio Fructus exoticus Hiſpanienſis dicitur. Fructus eſt triangularis, dorſo lato in bina latera anguloſa deſinente, valde rugoſo, & inæquali, ut & utrumque latus, ſupina pars etiam rugoſa, ſed anguſta & cuneiformis, dorſum incurvatur, tota nux unciarum duarum eſt longitudine, latitudine unius fermè. In hunc ſenſum Cluſius, ſed Clariſſ. Vir D. Johan. de Laet lib. 17. deſcriptionis Ind. Occident. cap. 4. accuratius hunc fructum deſcribit. Reperitur, inquit, in ſilvis juxta flumen Amazonum, arbor Barbaris Ademonie Totake dicta, cujus fructus Totoke. Illa procera eſt, ramoſa, foliis grandibus, ulmi ſimilibus, obſcurè virentibus, niſi quod poſticâ parte nonnihil videantur candidiora. Nullos fert flores, ſed certas gemmas, quæ colore non differunt à foliis, quæ ſenſim craſſeſcunt, & protrudunt fructum grandem, mole interdum capitis humani, penè rotundum, anticâ parte nonnihil compreſſum, cortice duro, ligneo, admodum compreſſo, exterius ſtriato & tuberoſo, coloris fuſci & penè nigri. Dividitur interius certis ſeptis in ſex veluti nuces, arcte inter ſe conjunctas, quæ ſingulæ iterum ligneo, duro, & ſatis craſſo cortice tectæ ſunt, & variæ formæ, plerumque tamen triangulares, unâ parte convexiore, cum tribus veluti ſuturis, valde rugoſæ & aſperæ, minus tamen quam exterior cortex, tres uncias longæ & ſeſcunciam latæ, coloris roſei & interdum cinerei aut fuſci. His continetur oblongus nucleus, totas implens, inſtar Amygdali, rubicundâ membranâ tectus, carne candidiſſimâ & ſolidâ & nonnihil oleoſâ. Sapore magis videtur accedere ad Avellanas, quam Amygdala, quorum uſum ſupplere poteſt. Vim Venerem excitandi illis tribuunt incolæ.

De AMOMO variæ autorum ſunt ſententiæ, & quidnam verè ſit dubitant quam plurimi. Hinc quidam pro Amomo Acorum ſubſtituunt, quidam Roſam Hierachontinam, alii Pedem Columbinum. Tandem verum Amomum, quod Dioſcoridis & Plinii notis reſpondet, inveniſſe videtur Cechinus Martinellus Pharmacopœus Venetus, quod nobis deſcripſit Nicolaus Maroneus in hunc modum.

Amomum Indicum parvus eſt racemus, abſque pediculis ex unico Sarmento enatus, ſibi ipſi arcte cohærens & convolutus in uvæ modum, conſtat denis aut duodenis ad ſummum acinis ſeu folliculis fibroſis ſe mutuo comprimentibus, tanquam de communi loco inter ſe decertantibus, adeo ut ſibi invicem parvas cavitates imprimant. Racemum ſuſtinet lignum teres, pollicari longitudine, fibroſum, odoratum, acre, foliis confertim exornatum, puſillis ſquammarum ſerie diſtributis, quâ parte folliculorum

eſt expers, tum longioribus foliis ſenis, ſingulos folliculos ambientibus, quæ vicem quandam præſtant calicis illius, quem in nuce avellanâ conſpicimus: folia hæc tenuia ſunt, fibroſa, acria, odorata, ſed quæ privatim folliculos complectuntur, æmula ſunt foliorum mali punici, ſuis cacuminibus ſæpe compacta, raro integra, ut vix extra Amomi acinos emineant, quod evenire credendum eſt, quia mutuo attritu foliorum ſummitates confringuntur in longiſſimo itinere. Acinorum craſſitudo & figura orbicularis exiſtit, qualis mediocris uvæ acini. Ornantur folliculi Amomi exterius tenuiſſimis filamentis ſeu nervis, quaſi lineis per longitudinem ductis, præditi etiam ſunt parvis ſulcis ternis, totidemque interpoſitis exiguis eminentiis, quæ triplicem internorum ſeminum ſeriem circumſcribunt. Singulos folliculos replent tres ſeminum Phalanges, tenui membranâ ab invicem ſejunctæ. Unaquæque verò Phalanx pluribus conſtat ſeminibus anguloſis, eâdem tenui membranâ involutis, adeoque ſtrictim ſibi cohærentibus, ut trium duntaxat ſeminum longiuſculorum effigiem præbeant. Racemi & totius ligni color idem ſpectatur, in aliquo pallidus, in alio candidus, in alio verò ex pallido ad ſubruffum vergens. Sed in candido folliculo ſemina plerumque inſunt evanida, in ſubruffo ſemina ſolidiora & perfectiora frequentiſſimè obſervantur. Seminibus anguloſis color externus ex rufo nigricans adeſt, internus albus. Semina interna eadem ſolida quidem ſunt, ſed frangibilia, non fractu contumacia, ut ſemina Cardamomi. Racemo odor ineſt validus, ſed εὐώδης, ingenitus verò, non aſcititius, qui vulgarem lavendulam quodammodo redolet, ſuavior tamen, exemptis à folliculo ſeminibus, major odoris acrimonia ineſt, minor autem odoris fragrantia. Eâdem ratione & racemus & nuda ſemina acri ſapore ſunt prædita; ſed racemo hebetatur acrimonia, in nudis ſeminibus vehementer percipitur, quo vulgarem Caphuram quodammodo ſapit. Hæc Maroneus exacte ſingula complectens, quæ ad Amomi delineationem ſpectant.

Galenus 6. ſimpl. Amomo Acoro ſimilem facultatem aſcribit, niſi quod Acorum ſiccius ſit, majore autem facultate concoquendi Amomum. Ingreditur præſtantiſſima Alexipharmaca, in primis Theriacam & Mithridatium. Delineatum jam ubi haberi potuit, in eorum confectione, nos uſi ſumus feliciter, quod & Ponam Veronenſem Pharmacopœum feciſſe vidimus, cum approbatione totius Collegii Medicorum Veronenſium.

Amomi aliam quandam ſpeciem ex Hiſpaniâ ſecum attulit D. Sperlingius, cujus me donavit fructibus. Grana quædam erant Cubebarum inſtar, rotunda, aſpera, ex cinereo purpurei coloris, punctula duo albicantia in utrâque extremitate habentia, quorum unum veſtigium habet pediculi, quo ramulo adhærebat. Alterum protuberans aliquantum, in centro foramen habens, quod floris oſtentare videtur veſtigia. Tenui conſtat cortice aromatico, intus granum nigrum rugoſum tenens, compreſſum & rotundum. Fructus ipſe magnitudine inæqualis. Maximum Piſum mediocre æquat, minus granum piperis. Sapore acri aromatico.

Cap. XXII.

Anacardus, Ananas, Antophylli, Anda, Anakok, Aovay, Araticum Ape, Avellana Purgatrix.

Anacardium fructus eſt veteribus Græcis incognitus, ſed recentiores hoc nominis ei indiderunt, quod ſimilitudinem habeat cordis exſiccati. Arabibus Baladar vel Balado, Luſitanis Faba Malaccana. Duûm eſt generum: unum quod in Malavar naſcitur, oblongiore & porrecto collo, alterum quod in Braſiliâ, incurvo & Cajous appellatur.

Fructus exſiccati, ut ad nos deferuntur, colore ſunt nigro, purpuraſcente, figurâ turbinatâ, cordis parum depreſſi figurâ, læves, politi, appendice ſeu collo quandoque præditi, rugoſo, ſtriato & inæquali. Liquor iis ineſt mellis craſſitie, ſub cortice reſidens, ſanguinis modo rubicundus, qui Medicis Mel Anacardinum vocatur, ſub quo eſt nucleus parvæ Amygdalæ ſimilitudine. Chriſtophorus Acoſta cap. 23. hunc ſuccum oleum vocat, & valde urens eſſe dicit. Magna ejus copia eſt in Canonor, Cambajâ, Decan & Calecut.

Calidum



Calidum & ſiccum conſtituunt in tertio aut quarto gradu. Sed Garcias ab Horto lib. 1. cap. 3. in virente deeſſe hunc calefaciendi & ſiccandi exceſſum experientiâ cognovit, quamvis exſiccatum cauſticam vim, non verò venenoſam habere concedat. In Medicinâ liquorem præſtare ait Matthiolus, labentes revocare volunt ſenſus, memoriæ jacturam reſarcire, nervorum & cerebri affectibus à cauſâ frigidâ auxiliari; ſed ſanguinem exurere & cutim exulcerare, juvenibus idcirco calidioribus noxius. Malignitati ejus reſiſtit lac affatim potum, & oleum ex nucleis ejus expreſſum. Aſthmaticis exhibent & contra Lumbricos. Viridem Sale condiunt & comedunt, olivarum inſtar, ſiccatum ſtrumis applicant cauſtici loco, & calce additâ ad Bombicinos Pannos ſignandos utuntur, notam enim tam firmiter imprimit, ut nullâ lotione eximi poſſit. Nonnulli, teſte Acoſtâ, in exſiccatis extimum corticem demunt, eamque membranam quâ medulla tegitur, deinde medullam edunt, ad bibendi appetitum irritandum. In Malavar illius uſus eſt cauſtici vice. Si quis inſtillet in putridum & cavum dentem, ipſum urit frangitque & rumpit facile. Ad præſtigias quomodo utantur Indi, apud Acoſtam vide.

De Alkero genere Anacardi agemus in hiſtoriâ Caji.

ANANAS, aliis NANA, Pinas Manardo, ſpecies cardui altilis eſſe videtur, in modum Cynaræ naſcitur, ſpicis compactilibus inſtar criſtarum in ſummitatibus emergentibus.

gentibus. Ex radice proveniunt quindecim aut plura folia, Aloë foliis æmula, duobus aut tribus digitis longa, sesquidigitum lata, versus extremitates angustiora, acuminata, crassa, saturatè viridia, in ambitu denticulis prædita.

In medio horum fructus cinabrii coloris, dum augetur inter folia prodeunt flosculi cœrulei coloris, tribus foliolis singuli constantes; quando maturuit fructus est instar majoris Melonis, odoris suavissimi, saporis ferè instar fragorum gratissimi, apprimè succulentus. Fructus maturus superius plantam juniorem habet, quæ decerpitur, & ita sine radice terræ imponitur, quæ anno sequenti fructum fert. Unaquæque planta semel & unicum fert fructum annuo spacio. Mensibus æstivis, Sole existente in Capricorno, maxime viget. Exigua semina seu grana subrufa in superficie pulpæ latitant; extuberantibus bullis ex flavo albicantibus exterius passim distinguitur, & quasi vermiculis aut tesserulis variatur.

Hic fructus quia succo corrosivo immodice sumpto linguam vellicat, ac gutturis ardores infert, discisso cortice in taleolas secatur, inque vino Hispanico maceratur, tantisper donec qualitatem noxiam deponat, qui gratum saporem & odorem vino communicat, linguæ tamen morsus & gutturis inflammationem, si potetur vinum, inducit. Ipse autem succus, quo turget fructus, mirificè animum languidum recreat & spiritus sopitos suscitat, in primis stomachum nauseabundum restituit. Addo quod recens ejus liquor, tum vinum inde expressum urinæ suppressioni & doloribus Nephriticis succurrat. Venenis Mandiochæ adversatur, quod & radix præstat. Omnia efficacius operatur stillaticius liquor, si modice bibatur. Febricitantibus, vulneribus & ulceribus infestatis ab hoc fructu abstinendum: humores enim accendit, & in pejus omnia disponit. Calidus est & humidus fructus ipse.

ANTOPHYLLI ab ipsis Gariophyllis communibus non differunt, nisi quod grandiores, pinguiores, & torosiores sint. Cultores enim hujus arboris, teste Garciâ ab Horto, flagellant altiores ejus ramos, emundato prius circa arborem solo, siquidem nullum genus graminis sub eâ nascitur, omnem succum seu humorem ad se attrahente arbore. Decussa Gariophylla biduum aut triduum siccantur, deinde asservantur & Malaccam & alias Provincias mittuntur. Quæ in arbore hærent crassiora fiunt, nec ab aliis nisi vetustate differunt, & sunt illa quæ Anthophylli dicuntur. Quocirca in errore versantur, qui cum Avicennâ lib. II. cap. 311. Crassiorem hunc fructum marem, vulgares fœminas putant.



Arbor, quæ fructum ANDA Brasiliensibus dictum fert, vasta est & elegans, in locis arenosis proveniens, ligno levi, raro, spongioso, floribus insigniter luteis, magnis, oblongis, fimbriatis, foliis cordis figurâ, ex tenuibus pediculis dependentibus. Fructum gignit seu nucem cortice duplici, exteriore cineritio ligneo, præduro & perforato putamine vestitum, quo duo glandes continentur jecori leporino non valde dissimiles, nuces castaneas sapore referentes; una atque altera alvum ducit, sed & vomitum movet; vehemens est, corrigentibus indiget. Oleum ex nuce exprimunt quidam. Ex cortice ustulato medicamentum conficiunt ad alvum sistendam. Lignum hujus arboris usus est plurimi. Barbari corticibus ejus utuntur ad pisces capiendos: aquâ enim, in quâ maceratus fuerit, omnes animantes soporantur. Descripta est hæc arbor cum fructu, qui figurâ aliquomodo differt à meo, à Clariss. Viro D. Johan. de Laet lib. 15. descript. Ind. Occid. cap. 8. & lib. 16. cap. 11. à Margravio Histor. Plantar. lib. 3.

Separatim

Separatim & fructum integrum & ejus nucleum unum teneo. Integer fructus figurâ cor æmulatur, cortice ſcabro cinereo luteo, tribus foraminibus pervio. Quorum primum parte ejus ſeſſili oblongum eſt & ovale ferme, ſemiunciæ longitudine; duo ad latera magis hiantia, inæqualia, per quæ venarum ramuli quidam, ab ejus cavitate provenientes, erumpunt, ac ſe per ejus diſpergunt ſuperficiem. Per longitudinem coſta quædam excurrit, ſed per latitudinem ſinus quidam fructum in duas æquales partes dividunt cum ſuis foraminibus, de quibus dictum. Demum in apicem terminatur, qui quaſi centrum eſt lineæ & ſinuum deſcriptorum, exterius durior eſt cortex, ſinu ſuo duos fovens fructus ſeu nucleos purpureos loculis diſcretos, cordis figurâ. Longitudine æquat uncias ferme quatuor, latitudine duas.

Anacok genus quoddam Phaſeoli Indici eſt, deſcriptum à Carolo Cluſio lib. 6. rarior. Plant. & Exotic. lib. 3. cap. 13. Fructus autem eſt Ponticâ nuce paulo minor, in medio tumidior & pulvinatus, lævis, ſplendens, durus, ſolidus, in aquâ ſubſidens, extimâ parte (quæ lobo ſuo adhæſit) veluti diducto & hianti oſculo, ſuperne paulo elatiore & aquilino præditus, duobus coloribus conſtans, ſuperior enim pars ab elatiore roſtelli parte, quaſi lineâ ad alterius extremitatis infimam in fructu partem oblique ductâ, tota utrinque atra eſt, Ebeni nigredine, & nitore, inferior verò omnino Corallina, & ut altera nitet. Pulpam habet candidam. Tribus aut quatuor majoribus in pollinem tritis utuntur Indi ad vomitum provocandum.





Aovai vel Ahovay fructus eſt caſtaneæ inſtar, figurâ proxime accedens ad literam Δ Græcorum, nucleum habens venenatum, putamen duriſſimum & tinnulum; unde à Barbaris tintinnabulorum loco uſurpatur, & brachiis cruribuſque circumdatur ornatus gratiâ: eoſdem fructus & clavis ſuis & ſecuribus aliiſque inſtrumentis alligant. Creſcit verò hic fructus in arbore quadam, quæ teterrimum ſpargit odorem cum ſecatur, & qui vix ferri poteſt, propterea à Barbaris ne quidem ad Pyras uſurpatur. Cæterum arbor eſt Pyri magnitudine, foliis ſemper virentibus & mali noſtratis non abſimilibus.

Araticum ape. Araticu triplex eſt arbor apud Braſilienſes, nempe Araticu Ponhe, Araticu Pana, Araticu Ape, addunt etiam Araticu do Mato ſeu ſilveſtris. Quia verò ſemen Araticu Ape mihi tranſmiſit Clariſſ. Vir D. Johan. de Laet, ac Georgius Margravius in ſuâ Hiſtoriâ rerum Natur. Braſil. referat ſemen hujus Araticu Ape figurâ & magnitudine convenire cum Ponhe, colore tantum differre, cum ſit coloris obſcure brunni, juxta mentem Margravii, ipſius Aratici arboris delineationem proponemus ex lib. 3. Hiſt. Plant. cap. 2. Araticu Ponhe arbor eſt caudicis & ramorum figurâ, ac colore corticis, ut malus Aurantia, ſed foliis, flore ac fructu differens. Folia habet circiter ſemipedem longa, alternatim oppoſita, elegantia, ſuperius ſaturate viridia, craſſa, & ad tactum ſolida, penè duos digitos lata, linguæ humanæ figurâ, & in extremitate acuminata. Hinc inde flos provenit magnus, egregius, magnitudine ſuperans florem Frittillariæ, totus flavus, exterius compoſitus ex tribus foliis cordiformibus, ſeſquidigitum longis, & craſſis inſtar corticis aurantii mali, erectis, quæ in ſui medio continent alia tria minora & dimidiæ craſſitiei, quorum quodlibet ſemiglobum excavatum refert. Tria autem hæc ita compoſita, & extremitatibus ſuis impoſita ſunt, ut globum integrum, interius cavum, magnitudine juglandis, referant. Globus hic in cavitate ſuâ ſtamen habet globoſum, magnitudine avellanæ, luteum, & in ſtamine apicem parvum rotundum. Sunt autem & ſtamen & apex tuberculis exiguis luteis prædita, quæ videntur ut pori in cute hominis algentis.

Flos totus flavus, odoris ſuavis, ſed nauſeabundi. Floret potiſſimum menſibus Septembri, Octobri, Novembri. Flos deciduus, ſingulis enim diebus multi ſe aperiunt, & poſt aliquot horas ſponte decidunt, ſtrepitum excitantes inter cadendum, quaſi aliquis baculo feriret arborem, gravis enim eſt flos & grandis. Florem ſequitur fructus, qui maturatur præſertim Decembri & Januario.

Non

Non eſt autem edulis niſi ſponte decidat, tunc enim inſtar pultis eſt mollis, figuræ turbinatæ, quatuor aut quinque digitos longus, ubi pediculo adhæſit 7. aut 8. digitos craſſus in ambitu. Externè coloris eſt ex albo & viridi mixti, vel planè pallidi virentis, & videtur quaſi cutis ex ſquammis compoſita eſſet, ita enim lineis viridibus pallidæ virentes ſquammæ delineatæ ſunt, & quælibet harum ſquammarum habet tuberculum in medio exiguum, fuſcum, ita ut nucem pineam ferme repræſentet. Mollis eſt dum ſponte decidit, ita ut inſtar Caſei veteris putridi digitis decorticari poſſit, continet carnem ſeu pulpam ſubflavam, quæ quaſi ex pyramidibus videtur compoſita, filamentis quaſi quibuſdam intermixta, & multis nucleis ſeu ſeminibus. Pulpa odore non male refert maſſam panis fermentatam, cui aliquid mellis admixtum, ſaporis ex dulci ſubacidi & ſubacris eſt, nihil ingrati, odor enim gratus. Eo loco ubi pediculo inſedit fructus, durioris carnis corpus, ſuppoſitorii figurâ, in ſe continet, quod ſeorſim extrahi poteſt, comeditur, ac pro lautiſſimâ buccellâ offertur principaliori in menſâ. Semina fructus ſunt ovalis figuræ, alterâ tamen parte anguſtiore, quâ pulpæ adhæſit, compreſſa, magnitudine fabæ, glabra ac dura, coloris flaveſcentis, ſplendentis, quodlibet pelliculâ albâ obductum, intus eſt nucleus albus, duræ ſubſtantiæ, ſapore non male referens radicem Helenii, ita enim in dulci amareſcit.

Folia Araticu communis igne aduſta, & cum oleo apoſtemati impoſita, maturare faciunt, aperiunt & optimè ſanant. Guilhelmus Piſo lib. 3. de facult. ſimpl. aſſerit Araticu Pana (licet à multis comedatur) copiâ tamen lædere, dum frigore nimio calorem naturalem opprimat, eadem ventris Symptomata excitet, quæ venena frigida ſolent movere.

Aloes americani fructum vide in Careguatâ.

Avellana Indica peculiaris Camerarii, delineata à Johan. Bauh. Hiſt. Plant. lib. 3. c. 39. ſed non deſcripta. Parvus fructus eſt coloris ſpadicei, figuræ conicæ, in apicem acutum deſinens, fibris præditus rectis à baſi in apicem excurrentibus, anguloſus. In parte obtuſâ eleganter oculis, naſo, & ore refert faciem Cercopitheci. Concuſſus ſtrepit ob incluſum nucleum. De viribus nihil percepi.

Fructum globuli Saponarii magnitudine emi, exactè ſphæricum, ſed in ſuperficie foraminibus parvulis dotatum, inter quæ unum majuſculum, cui inſertum fuiſſe petiolum arbitror, Colore caſtaneo. Neſcio an ſit fructus 4. à Cluſio delineatus lib. 3. Exot. cap. 29. & Joh. Bauhin. inter alios lib. 3. Hiſt. Plant. cap. 39. p. 308. Fructus ſphæricus punctatus vocari non incommode poteſt.

Avellana purgatrix Monardi, Ben magnum Medicorum vulgò, figurâ eſt oblongâ, triquetrâ, parvæ avellanæ magnitudine, lento & molli cortice, partim ex cinereo candicante, partim puniceo, quem ſequitur putamen minus ſolidum quàm in avellanis, acuminatum, albicans, parte inferiore aliquanto obtuſius, nucleum fovens avellanæ magnitudine, candidum, ſolidum, tenui membranâ obductum, ſapore haud ingratum. Ex Inſulâ D. Dominici adferri ſolet.

Indi ſe familiariter hac purgant, validiſſime bilem & pituitam ſuperne & inferne evacuat, ſed vehementiam ejus aſſatione infringi ajunt, coli doloribus medetur, flatus diſcutit, clyſteribus injecta evacuat, calida in tertio gradu habetur, ſicca in ſecundo. Ex eâ oleum conficiunt odoratum, de Ben dictum, quo barbam & cæſariem inungunt, deliciarum gratiâ. Interius datur fructus à Drachmâ ſemis ad Drachmam unam, prius aſſatâ.

Cap. XXIII.

Baccæ Lauri longæ, Bixa, Bombicinus fructus, Bon, Bonduc, Boramez.

Laurus arbor eſt notiſſima ac varias habet ratione foliorum & fructuum differentias, de quibus prolixè Botanici. Nos de fructu ſaltem hic agimus, qui rarior eſt, cum enim vulgaris magis ad rotunditatem inclinet, hic oblongior, figuræ ovalis & acuminatus utrinque. Quia ejus generis fructus, quos teneo, pediculos adhuc adjunctos tenent, putavi figuram hanc oblongam cum gracilitate conjunctam ex immaturitate provenire; ſed cum in magnâ copiâ adferantur, peculiarem ſpeciem conſtituere

animadverti, cujus mentionem facit Bauhinus Pinac. libr. 12. sect. 1. ubi inter Lauros, quæ fructum ferunt, quandam esse ait, quæ fructum habet in rotundo modice oblongum, quandam verò quæ habet oblongum, gracilem, & utrinque ovato mucrone turbinatum. Atque hic ipsus est de quo nobis sermo.

Anno MDCLII. crevit in Horto Consulis nostri Hafniensis Johan. Nikelson, planta quædam Ægyptiaca, Prospero Alpino Beid el Ossar dicta, cujus fructus cum mirus mihi videbatur, Chameleontem fere referens, eo me donavit, & ab artifice exacte delineari curavi eâ formâ quam hic vides. Describitur verò planta ab Alpino libro de Plantis Ægypti in hunc modum. cap. XXV.

BEID EL OSSAR nascitur in humidis locis prope Alexandriam in ramo Nili Calig vocato, & Cayri in loco prope el Mattharia, ferè perpetuo humido, ac fere palustri ex aquâ Nili ibi diu manente. Est planta herbacea, fruticosa, multis stolonibus ab radice rectis sursum ad duorum fere cubitorum altitudinem se extollens, foliis latis, oblongis, rotundis, ut Aloës folia, crassis & candidis, ex quibus dissectis lac album manat, totaque planta lacte abundat; flores fert croceos, Ranunculi floribus proximos, à quibus loco fructuum duo testes invicem alligati pendent, satis hominis testibus persimiles (sed in nostrâ plantâ figura fructus multum discrepat) in quibus alba lanugo & semina parva lata, lactucæ seminum æmula (in nostrâ plantâ rotunda erant, flava, compressa) continentur.

Foliis contusis, tum crudis, tum in aquâ coctis, utuntur Emplastri modo in frigidis tumoribus & doloribus. Ex lanugine parant cubilia quibus utuntur. Utuntur etiam eâ ad excipiendum ignem ex silice excussum tanquam escâ & pabulo. Tota planta lacte calidissimo ac exurente scatet, quod plures in quibusdam vasis colligunt ad expilanda coria, ea siquidem in eo lacte si aliquo tempore maneant, pilis nudantur. Lac quoque siccatum præstantius corpora solvit, atque Dysentericos fluxus etiam lethales facit.

Est

Eſt etiam præſtantiſſimum remedium ad impetiginem curandam, & ad plures alias cutis infectiones ſanandas, eo ſi inungantur partes. Hæc Alpinus.

Baccas haſce oblongas eaſdem obtinere credo virtutes, quas rotundiores habent, ſiquidem pro iis vendantur. Ventriculi igitur cruditatibus proſunt, Hepatis, Lienis & Veſicæ vitiis à frigiditate ortis medentur, concoctionem crudorum humorum promovent, appetitum excitant, vomitum ſedant, Hepatis & Lienis obſtructiones tollunt, urinam, menſes & ſecundinas expellunt. Oleum quoque ex iis exprimitur ad multa utile.

Bixam vide in Hiſtoriâ Achiotl.

Bombycinus fructus quandoque ad magnitudinem mediocris juglandis aſſurgit, cortice tegitur cinereo purpureo, ſcabro, inæquali, duro, qui, ubi ad maturitatem pervenit, in quibuſdam in tres æquales partes dehiſcit, quarum quælibet figurâ eſt triquetrâ, & cor quaſi repræſentat; in quibuſdam verò in quatuor partes ſcinditur, ac cum fructus hic tam in plantâ quam arbore reperiatur, arbitror alterum arboris, alterum plantæ eſſe. Pediculus fructui annectitur, duplicato calice membraneo purpureo. Sub involucro hoc tomentum ſeu lana eſt, quæ in ſe ſemina fovet rotunda, Orobi inſtar, quandoque alba, quandoque nigra, medullâ albâ & pingui. Lanugo ipſa candidiſſima, maturo fructu (quod in autumno fieri ſolet) eximitur & netur.

Planta ipſa officinis Bombax, aliis Goſſypium & Xylon vocatur. Cubito altior eſſe ſolet, caule ſimili malvæ, folia habet anguloſa vitis modo, ſed minora, flores luteos, in medio purpuraſcentes, figurâ floris malvæ.

Foliorum ſuccus ad alvi profluvia commendatur in pueris. Semen ad tuſſim & genituram augendam. Oleum ex ſeminibus extractum lentigines & faciei puſtulas aridas tollit. Lanuginem ad fila unde veſtes texuntur calorem naturalem foventes. Sanguinis fluxum quidam ſupprimunt lanugine ſemiuſtâ ſuperimpoſitâ.

Bon vel Ban, Buncho Avicennæ, Bunca Rhaſi, Elkario nonnullis, Bauhino, Evonymo ſimilis Ægyptiaca Planta, fructu Baccis lauri ſimili, Buna Cluſio. Bacca eſt lauri magnitudine & figurâ, colore ex cinereo nigricante, cortice tenui & veluti ſulcum quendam per longitudinem utrinque habente, per quem facile in duas partes æquales dividitur, quæ ſingula grana continent, oblonga, alterâ parte plana, fulveſcentia, guſtu acido, inciſuram ſeu rimam per longitudinem habentia. Hoc fructu me donavit Vir Clariſſ. D. D. Bernhardus Paludanus, anno MDCX. cum Enchuſæ Muſeum ejus variis exoticis inſtructiſſimum perluſtrarem.

In Alexandriâ potionem quandam ex hoc fructu conficiunt, vim refrigerandi non modicam obtinentem. Alpinus hanc potionem Caova dictam vult, ſed Turcas Chauce vocare ait Rauwolfius.

Bonduch Indorum Ponæ; fructus peregrinus Cluſii primus lib. 2. Exot. cap. 30. & Lobus Echinoides Exot. lib. 3. cap. 15. quibuſdam Mates Indorum, cineritii coloris. Fructus arboris ſpinoſæ, foliis Lentiſci, Bauhino. Magnitudine eſt nucis ponticæ, lævis, ſplendens, cineracei coloris, ſaxeâ duritie præditus, in aquam conjectus ſupernatans, aliquantulum inæqualis & compreſſus, ut piſa in lobo nata ſeſe mutuo compreſſerunt: parvo hilo fuſco, ubi loco ſuo adhæſit. Confractus (difficulter autem ob ſaxeam duritiem confringitur) album in ſe continet nucleum, impensè amari ſaporis, ut Lupini. Creſcit verò in lobo membraneo, fuſco, ſubrubente, frequentibus ſpinulis hirſuto, quandoque trium, quandoque duarum unciarum longo. Ex uno verò pediculo plures ejuſmodi lobos dependere docet Cluſius Exot. lib. 3. cap. 15. Ex Braſiliâ, Javâ, Virgineâ, Piſorum nudorum nomine adferuntur.

Boramez, ſeu agnus Schyticus, admirabilis planta eſt, pro fructu agnum ferens, de quo licet multi dubitent, ejus tamen Hiſtoriam perſequuntur viri fide digni, Sigiſmundus Herberſteinius in ſuâ Moſchoviâ; Haython Armenus de Tartariâ; Surius in commentario anni MDCIV. Jul. Cæſar Scaliger, Licetus, Nierenbergius & Athanaſius Kirckerus, de Magnetiſmo plantarum, qui & ejus dat Iconem. Quia verò Clariſſ. Vir D. D. Chriſtianus Stougardius P. M. particulam pellis ex Moſchoviâ ſecum attulit, quâ me donavit, quam nomine pellis Agni Schytici ibidem accepit; de mirabili hac plantâ, etiam hic agendum mihi putavi. Hiſtoriam ejus mutuaturus à Jul. Cæſar. Scaliger. Exerc. 181. ſect. 29. contra Cardanum, ubi hæc refert.

Tartarorum horda Zavolha eſt, vetuſtiſſimæ nobilitatis commendatione. In eo agro

ferunt semen, seminis Melonum simillimum, sed minùs oblongum. Ex eo satu plantam exire, quam Boramez, id est, agnum vocant; crescit enim agni figurâ, ad pedum fermè ternum altitudinem, quem pedibus, ungulis, auribus, toto corpore, præterquam cornibus, refert. Pro cornibus pilos gerit singularis cornu specie, obducitur corio tenuissimo, cujus detracti usus ad capitum tegmina incolis. Ferunt internam pulpam Gammari referre carnes, cæterum è vulnere quoque sanguinem manare, dulcore esse admirabili. Radicem humo exsertam surrigere ad umbilicum usque. Illud miraculi fovet magnitudinem: quamdiu vicinis obsidetur herbis, tamdiu vivere quasi agnum in læto pascuo; absumptis illis tabescere atque interire. Idque non solum vel casu, vel tractu temporis, sed etiam experiundi gratiâ, subtractis atque ablatis evenire. Quin illud auget admirationem, appeti à Lupis eam, non item ab aliis bestiis, quæ carne vescuntur.

Adamus Olearius in suo Itinerario Orientem versus pag. 117. de hoc fructu, sic disserit. Referunt prope Samaram, inter fluvios Volga & Don, fructum crescere magnitudine & formâ Melonis, externâ verò figurâ Agnum referentem, cujus membra satis affabrè exprimit. Caulis umbilico inseritur, & quocunque in terrâ prorepit (crescendo namque locum mutat) arescunt gramina, quod absumere vocant. Ubi ad maturitatem pervenit, arescit caulis fructusque corticem pilosum nanciscitur agni instar. Qui cortex pellis instar præparatur, & contra frigoris injuriam utuntur. Moschoviæ hujus pellis frusta ex lectisternio decerpta nobis monstrarunt & dederunt, hujus fructus esse asseverantes. Sed an credere licet ignoro. Subtilis quidem erat, villosa, instar agni immaturi aut recens nati. Hæc ille.

Hinc tot de hoc fructu Philosophorum ortæ sunt sententiæ & disquisitiones. Fortunius Licetus, postquam varias opiniones & dubia proposuisset, ad singula respondere conatur, ostendens hunc fructum purum vegetans dici posse, & verum animal de stirpe nascens, & simul novum genus Zoophyti, medium inter animalia & plantas.

Verum esse Vegetantis plantæ fructum ostendit eo, quod aliæ dentur plantæ, quarum fructus & flores, homines, muscas, serpentes, scorpiones, testiculos & manus suâ figurâ exhibent, quæ tamen è numero verarum plantarum non excluduntur. Tum quod in lapidum genere idem observetur, quod varias res, animalia, homines, partes animalium, referant, ac nihilominus è numero lapidum non excludantur. Hanc etiam opinionem firmat, & pro verissimâ habet Athanasius Kircherus de Plantarum Magnetismo lib. 3. omniaque illa fuse diluit, quæ contrarium probare videntur. Quod pelle lanigerâ sanguineo succo refertâ turgeat, novum non est, cum plures dentur plantæ, quæ sanguineo succo scateant, ut Lapathum sanguineum, mala Punica, sanguis Draconis; Lanam fert genus quoddam graminis, Bombax, Persici fructus, mala Cydonia, quæ, supra pelliculam, albam inducunt lanuginem. Quod herbas circumsitas depascatur, fit, quod suâ radice eorum subtrahat nutrimenta, vel (si verum quod Olearius refert) si Melonis sit species, quia repens planta est, tam foliis suis latis, quam fructu, crescendo serpente, vicinas ac subjacentes suffocet. Minus officit pulpa Cancrorum carni similis, quia uvæ nigræ talis est, ex quâ vinum sanguini simile provenit.

Si quis statuat agnum hunc verum esse animal, tum non ex semine, sed sponte ut proveniat necessum est, quia anima Vegetans sentientem producere nequit. Talem igitur habebit ortum, qualem in lapidibus Ranæ, bufones, serpentes, & ex arbore aves.

Qui novum quoddam Zoophytum statuunt: sponte produci est ut fateantur, quemadmodum è saxis spongiæ, urticæ Marinæ, & alia Plantanimalia. Sed quia fructum hunc semina habere Melonum similia scribunt Autores, Vegetabile sui generis esse, omnino statuendum videtur.

Pelliculæ istius, quam teneo, frustum longitudine est pedis dimidii, latitudine unciarum trium, lenissimâ & crispatâ lanâ obductâ, partim nigri, partim albi, partim rubicundi coloris; sed arte in Varios Mæandros, folia & flores referentes, more Phrygionum dissectum, & alternatim rursus consutum, ut holosericum Variegatum & Villosum quodammodo referat.

Mihi Anno 1649. mense Martio retulit Nobiliss. D. Eovaldus de Kleiss, Electoris Brandeburgici apud nos Legatus, vir ut litteratissimus ita fide dignissimus, sibi in confinio Tartariæ degenti oblatam fuisse ejusmodi plantam exsiccatam, foliis Tabaci, cujus cauli adhæ-

adhærebat fructus agnellum figurâ plane referens, magnitudine pedali, vellere crispo tectus, sed circa caudam aliquid ei defuisse videbat, quo minus agnum plane referret, quod an casu ablatum fuisset ignorabat. Tartarus qui exhibebat, singula quæ supra allegati autores retulerunt, diffuse confirmabat.

CAP. XXIV.

Cacao, Cajous, Capsicum majus, Caraguata, Carpobalsamus, Cassia fistula Orientalis & Occidentalis, Castanea equina Indica.

CACAO fructus est per Americam celebris, multique usus. In Nicaraguâ, Novi Orbis Provinciâ, quam Mahumedis vocarunt Paradisum, proveniens.

Minor est Amygdalo, compactior, non ingrati saporis, tanti æstimatus, ut commerciorum magnam constituat partem in Novâ Hispaniâ. Tenui tegitur membranâ nigricante, nucleum continente, qui in binas aut ternas partes oblique dividitur, subfuscum, & cineraceis venis distinctum, adstringentis saporis.

Fructu hoc utuntur Incolæ nummorum vice, eundem pauperibus erogant. Sed usum potissimum in potu habet, quem ex illo conficiunt Chocolate dicto, qui ab incolis insanum in modum diligitur & summo in pretio habetur: sed illis, qui non assueverunt, nauseam movet.

Hunc potum varie miscent in varios usus aromata aliaque addendo. Pastam quoque ex hoc fructu conficiunt, pectoris & stomachi vitiis utilem.

Arbor ipsa, in quâ provenit Cacao, Cacahuaquahuitl vocatur, magnitudine & foliis Aurantiæ, sed majoribus, fructus illius est longus & similis Peponi, verùm striatus & rufus, qui dicitur Cacahuacintli. Plenus hic est Cacao nucibus. Seritur in silvis loco umbroso & humido; juxta eam aliam collocare solent arborem, quam vocant Atlynam, ut illas inumbret, & à ferventibus Solis radiis defendat.

Quatuor hujus arboris statuuntur species, prima vocatur Cacahuaquahuitl, quæ omnium maxima: secunda ejusdem nominis. Tertia Xuchicacahuaquahuitl. Quarta minima Tlalcacahuaquahuitl, quorum fructus ejusdem censentur qualitatis; quatuor etiam genera potionum ex his conficiuntur, inter quæ Chocolata dicta maximè celebris

bris eſt, quæ tamen variis etiam componitur modis, pro cujuſvis appetitu. Miſcetur ei quandoque Achiotl, ut magis refrigeret & grato ſapore dotetur. Vide Clariſſ. Virum D. Joh. de Laet deſcript. Ind. Occident. lib. 6. cap. 2.



Fructus qui ACAIOU Theveto, CAIOUS Acoſtæ, CAJOS Linſcottano dicitur, ad Anacardos à quibuſdam refertur, & quamvis à Chriſtophoro Acoſtâ aliiſque deſcribatur, ac noviſſime accurate à Guilhelmo Piſone, & Georgio Margravio, ſummam tamen eorum, quæ ipſi proponunt, brevibus expediemus.

Arbor, in quâ fructus hic creſcit, Acajaiba Braſilienſibus dicitur, patula eſt, umbroſa, ſinuoſis flexibus ſe incurvans, duriſſimum præbens lignum, & Gummi optimo turget, Arabico non cedente, fragrante, in arenoſis & ſitientibus reperitur, foliis juglandi ſimilibus, ſed fragrantioribus. Commendantur quæ verno tempore prodeunt, ſaturate rubentia, flos pulcherrimus variegatus roſaceo colore, valde odoriferus. Circa Decembrem defloreſcere incipit, caſtaneam Phaſeoli formâ, & cineritii coloris, è ſummitate pomi producit, oleum mordax & cauſticum inter duos cortices continens, contrectanti noxium, Cancroſis & malignis ulceribus utile. Maturesſcens caſtanea ſenſim miteſcit, cum ſuo oleo eſt in delitiis. Braſilienſes quandoque pro hac arbore bella gerunt, atque ſuas ætates metiuntur hoc fructu, quia ſemel tantum in anno creſcit pomum figurâ oblongâ & turbinatâ inſtar Pyri, odore grato & fragrante, colore Croceo ad aureum vergente. Modice refrigerat & fauces conſtringit, ventriculo gratus, ſi maturus: ſin minor eſt inſtar ſucci Limoniorum corroſivus, ſubſtantiâ ſpongioſâ, liquore multo turgens. Vinum ex eo exprimitur, quod vetus inebriat, & urinam movet. Acetum quoque inde præparatur. Caſtaneæ renes Leporinos figurâ æmulantur, pingues ſunt, grati ſaporis, præſertim ſi aſſentur. Gummi arboris, in pulverem redactum, in liquore appropriato propinant mulieribus obſtructione menſium laborantibus. Vide Anacardum.

CAPSICUM, à Braſilienſibus QUINA, Luſitanis Pimenta, Mexicanis CHILLI, multas habet ſpecies figurâ fructus ut plurimum differentes, adeo ut ſeptem enumeret Fr. Ximenes, Margravius quinque, Piſo decem. Nos de majori potiſſimum hic agemus, cujus ſiliquæ illuſtriores & pulchriores. Planta ipſa folia habet Ocymi latifolii, aut Solani, flores candidos, ex quibus fructus pullulat oblongus pyramidalis, pollicis craſſitie, qui immaturus viridis, paulatim rufeſcit & tandem in nigredinem vergit. Cute tegitur tenui, intus ſemina habet minuta candida, aut ad flavedinem vergentia, umbonata, compreſſa, ſapore acri & cauſtico, adeo ut calida ſentiantur in quarto, ſicca in tertio gradu.

Monardes hoc piper particulatim conciſum, & juſculo maceratum, meliorem ſaporem eduliis conciliare ait, quam piper vulgare, ejuſque uſum eſſe in omnibus, in quibus aromata ex Maluccis Inſulis & Calecutio delata commendantur. Flatus diſcutere, pectori utile cenſetur, partes quoque internas calefacere & roborare. Orientali piperi præferunt Luſitani, utunturque tum recentibus, tum exſiccatis conciſis. Piſcibus in primis optimum ſaporem conciliant. Retunditur & præparatur in obſoniis, ſi integrum in aceto maceretur, & in pulverem redigatur cum modico ſalis.

Varia Capſici genera in Braſiliâ condita, ſed viridia & immatura, mihi dono dedit Nobiliſſ. D. Chriſtophorus Lindenow, Admiralius Regius, qui ex Braſiliâ ſecum ea detulit.

CARA-

CARAGUATA Brasiliensibus, Erva barbosa Lusitanis, Allaguay Indis, Fil i agula, Valentinis, Aloë Americana Dodonæo, nobis hic propter fructum describenda venit, quæ ratione soli, multùm, quoad magnitudinem & figuram foliorum, variare solet.

Ex radice crassâ, brevi, assurgunt folia viginti aut plura, crassa, succulenta, acuminata, utroque latere dentata seu spinosa, unum vel duos pedes longa (quidam humanam longitudinem attingere ajunt) pallidè viridia, atque hinc inde gryseo colore maculata. Quæ lævia sunt circa infimam partem, trium aut quatuor digitorum transversorum crassitie, quodammodo carinata, valde lata, mutuo se amplectentia, instar foliorum vulgaris Aloës, sensim in mucronem desinentia, qui nihil aliud est quam spina fusca, crassa, unciam cum semisse interdum longa, & adeo firma, ut Americani pro subulâ uti soleant, & cuspidis ferreæ loco ad sua tela adaptent. Foliorum latera tenuiora sunt, & spinis ejusdem coloris aspera, sed brevioribus, latâ basi præditis & deorsum incurvis. Interiore parte fibrosa sunt, & succi plena, sed non amara. Ex illorum medio caulis enascitur, brachiali crassitie, & brevioris lanceæ altitudine, (sed quibusdam in locis, ut in Brasiliâ, minor multò, quatuor pedes altus) in duos ramos divisus, quorum quilibet fert spicam florum flavorum. Est autem quilibet flos cavus, digitum longus, ad oram sextupliciter divisus, continens totidem staminula flava, apicibus flavis. Insidet quilibet flos suo petiolo brevi, & apertus propendet deorsum, adhuc autem clausus directe ad latera, est inodorus.

Quos sequitur fructus oblongus, duorum circiter pollicum, figuræ oblongæ, utrinque in apicem obtusum terminatæ, colore purpurascente, tribus sulcis per longitudinem dotatus, levis admodum; interius in tres quasi cellulas oblongas divisus, quæ subluteo vestiuntur colore, splendente, membranulâ invicem discretas, medullâ levi & fungosâ refertas, instar Sambuci, quæ tamen in multas laminulas sponte fatiscit, sapore dulci. Ferunt caulem quandoque unius noctis spatio in prodigiosam excrescere magnitudinem.

Americani, qui quibusdam in locis MAGUEY & METL appellant, circa agros conserere consueverunt, ad eos communiendum & fures arcendum, ut apud nos sepibus spinosarum stirpium fieri solet; folia tegularum vice funguntur ad pluvias excludendas, caules tignorum, foliorum nervuli & fibræ, eundem usum habent, quem nostrum linum & cannabis, aut gossypium, ex iis enim fila, panni, aliæque telæ fiunt; è spinis autem clavi, acus, aciculæ, styli, terebræ ad auriculas perforandas, ad bellica instrumenta ido-

neæ, iis corpora in cultu Deorum affligunt Barbari Stolones novaculâ petrosâ radunt, emanat è cavitate liquor quidam tantâ copiâ, ut ex unâ plantâ interdum quinquaginta Arobæ effluant. E quo liquore fit vinum, acetum, mel & saccharum. Succus menses movet mulierum, lenit ventrem, urinam pellit, renes mundat & vesicam, Calculos frangit, ureteres purgat. Folium assum & expressum in scutellâ, addito pauxillo nitri bene triti, si inungatur cicatricibus recentibus, brevi tempore illas tollit, ut vestigium nullum sequatur. Folia & caules in furno percocta sunt edulia & sapiunt Diacitrum. Tosta & applicata medentur spasmo & mitigant dolores etiam è lue Venereâ, quia sensum tactus obstupefaciunt. Ex foliis etiam charta paratur, funiculi, ex quibus calcei Alpergates Hispanis dicti, storeæ, chlamides, cingula, capistra & funes.

Cuspidem ego unam cum filis ex foliorum fibris confectis teneo, quæ mihi ex Italiâ transmisit Eruditissimus Vir D. Joh. Rhodius, anno MDCXXV. Ex plantâ verò petita hæc erant, quæ Romæ crevit in Horto Corvini.

CARPOBALSAMUM fructus est baccæ instar, figurâ olivari, valde tenuis, subruffus, striatus, osseo cortice constans, molliori tamen, ut dentibus mandi possit, primo gustu suavi, cum quodam odore Balsami, hinc linguam mordicans. Minutiora grana odoratiora sunt & acriora, quæ crassiora imbecilliora reperiuntur, omnia intus inania. Honorius Belli Medicus Cretensis in Epistolâ 5. ad Carolum Clusium, se recentissimum habuisse refert, unde plantulæ ipsi sint enatæ Opobalsami odore, maxime fragrantes, ejusdemque odoris Resina sicca multis seminibus inhærebat, sed brevi tempore odor fermè evanuit. Semina in ore retenta, leviterque mansa, suavem odorem therebintho similem relinquebant. Vide Dialogum Prosperi Alpini de Balsamo.

CASSIÆ FISTULÆ duo sunt genera, unum Orientale, quod minus; alterum Occidentale seu Americanum, quod majus.

ORIENTALIS CASSIA siliquosa est, cubitalis, figurâ tereti, nigra aut flavescens; cum immatura viridis, intra corticem lignosum semina fovens siliquis similia, intervallis septo membraneo distinctis, & modicâ quâdam medullâ succosâ, nigrâ, dulci, sed nauseosâ prædita. Per siliquæ corpus, linea duplicata nigra, in longitudinem excurrit, quæ in duas partes æqualiter divisa est, magisque acuminatur parte eâ, quâ petiolo adhæret. Ex Alexandriâ Ægypti adferri solet. Arborem, in quâ crescit, tradunt crassissimam esse, foliis Mori aut Nucis juglandis, flores latos candidos ferre, fructum copiosum; Acosta Amygdalæ magnitudinem æquare statuit, foliis mali Persici similibus, floribus luteolis, aut flavis, non ingrati odoris, quibus deciduis succedunt siliquæ oblongæ, eleganti viriditate præditæ dum recentes sunt, sed maturitate nigredinem brevi consequuntur. Sed quia hæc descriptio à priori aliquo modo discrepat, existimo Acostam eam delineasse quæ in Cambajâ provenit; quæ in quibusdam distat ab Ægyptiacâ.

Medulla hujus fructus exhibetur delicatulis, unciæ pondere, ad alvum movendam, foris etiam illinitur Erysipelate & inflammationibus laborantibus, dolores enim sedat. Sed monet Manardus lib. 45. pulpam Cassiæ sumendam dimidiâ horâ ante cibum, ut felicius operetur, quod experientiâ se didicisse affirmat.

Altera CASSIA AMERICANA dicitur, quod inde ad nos vehatur, priori multo major. Est mihi duorum pedum cum semisse longitudine, unciarum ferme trium latitudine; nigrâ exterius vestita tunicâ, quæ exsiccata paulatim dehiscit & squammatim decidit, sub quâ purpurea membrana, crebris fibris intertexta, quæ à nervo grandiore, inferiorem siliquæ partem perreptante, ortum trahentes, paulatim in ramulos & fibras exiliores dispescuntur, & intertextum corpus constituunt. Ut partem inferiorem nervus unus grandior, minimi ferme digiti crassitie, perreptat ejus longitudinem; ita superiorem ejus partem duo, paulo minores, à pediculo in extremitatem excurrunt. Non omni ex parte teretes sunt hæ fistulæ, sed paululum compressæ. Interius cellis divisas ajunt (meas nondum aperui) sed pulpam continere amariorem & majori adstringendi vi præditam; licet alii vehementius & minori dosi purgare statuant, quam Orientalis. Crescit in Hispaniolâ, Cubâ, & Jamaicâ, non sine incommodo aliarum frugum, ad harum namque arborum olfactum, formicarum tanta accurrit copia, ut quicquid apud illas arbores, aut in earum viciniâ feratur, à formicis exedatur, gravemque inferant incolis molestiam.

De siliquis referunt, quod, quando iis maturescentibus venti flant, tantus ad invicem earum sit conflictus, ut obstrepere inter eas, mille anserum & annatum agmina,

na, videantur. Ab earum enim collisu, pro succi acerbi aut maturi qualitate, proveniunt vocum moduli non insuaves, eos moderante animularum seu membranarum in siliquis & medullæ pondere.

Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo fructum elegantem à quodam Capitaneo nostrate accepi, quem CASTANEAM EQUINAM INDICAM vocare licet, quia exacte convenit descriptioni datæ à Carolo Clusio Exot. lib. 6. cap. 16. n. 9. Ejus igitur delineationem apponam. Prorsus ater, inquit, erat Nonus fructus, lævisque & splendens, quatuor sulcis supernè distinctus (tanquam in quatuor partes divisus esset) quorum bini ad partis adversa umbilicum usque ducti: planus alioqui, & orbicularis pænè formæ, unciâ paulo minor, supernâ parte aliquantulum intumescens, & quasi pulvinatus, nisi quâ parte sulci deprimebant, adversa pars vestigium retinebat fuscum (in meo ejusdem erat nigredinis cum supremâ) quo fructui seu cortici, qui tegebat, firmiter inhæsisse videbatur, quale in castaneâ equinâ conspicere est, verum non adeo amplo. (In meo fructu soleæ equinæ eleganter ei impressa erat imago) durum autem & solidum deprehendebam, adeo ut etiam limam quodammodo respueret: eam ob causam, quem nucleum contineat, mihi incompertum. Hæc Clusius.

CAP. XXV.

Cedrus de Monte Libani, Ciriboa, Cocculi de Levante, Coni Abietis, Cubebæ, Cuci, Cucurbitæ variæ.

FRUCTUS seu coni, CEDRI DE LIBANO, figuram habent oblongam, ut abietis, ex squammis verò tenuibus componuntur, lenibus & non duris; coni hi semper in arbore sursum spectant, & extremitati ramusculorum ita adhærent, ut decerpi nequeant, nisi particula rami unà auferatur. Meus conus, quem dono Clariss. Viri D.D. Thomæ Bartholini teneo, coloris est fusci, ex tenuibus & quasi membranaceis foliolis coagmentatus, pyriformis ferè, tenuiori parte, pediculi reliquias adhuc retinens, longitudine unciarum quinque, in ambitu novem.

Calidam obtinet facultatem, ventriculo inimicus, contra Tussim, spasmum, nervorumque affectus & Apoplexiam commendatur cum Pipere, menses movet, & iisdem ferme pollet viribus quibus pix Cedria.

Arbor, ex quâ fructus hic petitur, à Botanicis Cedrus magna de Monte Libano vocatur, quia in altissimis & nivosis jugis Montis Libani provenit, Cedrelate ab aliis. Arbor magna est, altissima, ramos latissime spargens, ita ut ejus caudex quandoque à quatuor hominibus vix expansis brachiis ambiri possit, Theophrasto teste. Cortice est scabro, interiori suâ parte: rami pyramidali formâ caulem ambiunt, paulatim decrescentes, foliis tenuibus, sed brevioribus abietinis, non tamen acutis. Lignum ejus durum est, & carie aut senio vix consumitur, odoratum. Hinc Salomon hoc ligno in fabricâ templi Hierosolymitani usus est. Resinam fundit odoratam, quæ recens alba, paulatim rufescit & crassescit; cocta picem præbet ad multa utilem, cujus sæpe apud Medicos & alios fit mentio.

CIRIBOÆ titulo fructum accepi à Clariſſ. Viro D. Joh. de Laet, oblongi Piperis ſpecie, quem hoc titulo donari in Indiâ Orientali ait, ſed in Braſiliâ NHAMDI ſeu Piperis caudati, in Inſulis Philippinis BUYO, Mexicani TLATLANQUAYE & ACAPATLI. Duobus ligneis verubus affixi erant octo caudatorum horum fructuum, longitudine ut plurimum unciarum duarum, craſſitie calami ſcriptorii, aſperi, multis conſtantes granulis.

Plantam ipſam Margravius lib. 2. Hiſt. Plant. cap. 13. his deſcribit. Piper caudatum, Betre quibuſdam, Luſitanis, Nhamdu Braſilienſibus generali nomine, ſubfrutex eſt inſtar arbuſculæ excreſcens, ad trium, quatuor, quinque & interdum ſex pedum altitudinem, caulis illius lignoſus, teres, viridis, nodoſus, ferè ut caulis Solani, folia ſingulatim ſunt poſita, quorum quodlibet ſuum habet pediculum, qui ad nodos oritur. Sunt autem lata, figurâ cordis, multis venis arcuatim ſecundum longitudinem elegantiſſime notata. Ad nodos proveniunt multi Juli, quatuor, quinque, aut ſex digitos longi, incurvati, figurâ ferme caudæ muris, virides, qui menſe Octobri aut Novembri decerpuntur. In Sole ſiccati nigreſcunt; continentque granula, rotunda, nigra, ſeminis Papaveris magnitudine, arcte juxta ſe in uvam compoſita, acris ſaporis inſtar Piperis optimi, quod ex Indiâ Orientali adfertur; ſed is ſapor in meo non obſervatur. Radix in alias plures tenues dividitur, fuſcas, inſignis odoris inſtar Thymi, & ſaporis qui linguam vellicet.

Folia hujus plantæ medentur ulceribus tibiarum. Radix mirabiliter valet adverſus Apoſtemata. Hoc Piper non admodum expetitur ob copiam Capſicorum. Radices & folia cum ſint ſummè calida, etiam exſiccata & diu reſervata contra morbos frigidos in Balneis locum inveniunt. Hunc etiam addunt uſum, quod Pinan miſceant cum calce vivâ, & in calcem ita mixtam intingunt Ciriboa, quam maſticando os purgant.

Coccu-

Cocculæ, quibusdam Cotulæ Elephantinæ, aliis Cocculæ de Levante, seu Baccæ Orientales. Ex Alexandriâ Ægypti adferuntur, racematim cohærentes suis pediculis, hederæ Corymborum modo. Baccæ sunt Pisorum majorum magnitudine, rotundæ, nisi quod parte eâ, quâ pediculis adhærent, sinuatæ aliquantum, asperæ, colore cinereo nigricante: ubi per medium secueris, Renis figuram æmulatur utraque cavitas, quæ nucleum fovet luteum, amarum, ex partibus & laminis quasi inæqualibus coagmentatum. Cujus stirpis aut plantæ sit fructus, nondum certò constat. Quidam Solani Manici, quidam Tithymali, quidam Clematidis esse existimarunt.

Commendantur ad necandos pediculos contusæ & cum oleo aut pinguedine mistæ. Ad pisces capiendos etiam in usum sunt traductæ, unde piscatoriæ baccæ à quibusdam dicuntur. Ex iis hoc paratur pharmacum, quod in tali casu valde commendatur. ℞. coccularum, adipis agni an ℥ß. casei antiqui ℥iß. sem. cannabin. ℥j. Aneth. Hyosciam. an. ʒiij. farinæ tritici ʒij. mellis ʒvj. Caphuræ ʒj. omnia in mortario in massam redigantur & f. pillulæ Pisi magnitudine, quæ flumini placido injectæ, & à piscibus devoratæ, paucâ interjectâ morâ eos infatuant, donec in summo semianimes natantes reticulo extrahantur. Ejectâ ex eorum ore pillulâ, in recentem aquam si conjiciantur, reviviscunt.

Conos abietis huc referre licet, quos Matthiolus Spithamæ longitudine esse refert, cum tamen ii, quos ego ex Norvegiâ teneo, juglandem non superent. Quo nomine potissimum hic eorum mentionem facio. Immaturiores adhuc meos esse existimarem, nisi ex illis quidam dehiscentes, semina matura & resinam gummosam de se præbuissent.

Cubebæ grana sunt Piperi nigro similia, ex Javâ & aliis locis Orientis advecta, tenui pediculo adnexa, intus inania, sapore amaro, acri, odorata, colore cinereo, cortice scabro in apicem terminato. Proveniunt in frutice sylvestri hederæ modo arbores scandente, foliis Piperis angustioribus, flore odorato, fructu racemoso, non uvæ modo in communi racemo, sed singulis granis singuli dati pediculi. Ferunt incolas, ubi nascitur, Javæ scilicet & Cundæ Insularum Orientalis Indiæ fructum decoquere antequam efferatur, metuentes ne alibi satus enascatur.

Commendatur ad ventriculi vitia, detentus in ore fructus, claram vocem facit concionatoribus. Ferunt & Veneris voluptatem augere, si in coitu ore detineatur. Tusus atque è vino bibitus, ventriculum calefacit, corroborat, flatus discutit, utero confert. Calidus & siccus est ordine tertio, odorus & subtilium partium.

Cuci, Bdellii fructus Cortusi à Clusio notis in Aromatum Histor. lib. 1. cap. 8. describitur, quod sit juglandis magnitudine, aut amplior, triangulari ferme figurâ, oblongiore tamen, & ad ficum quodammodo accedente, odoratus, colore subcinereo, durissimo putamine, quod prægnans esse & nucleum continere videtur.

Arborem, in quâ crescit, ad palmas refert Bauhinus, lib. enim 12. sect. 6. palmam vocat cujus fructus Cuci, κυκιοφόρον Theophrasti 4. Hist. Plant. cap. 2. ubi ait similem esse palmæ, similitudinem in caule & foliis repræsentare: quæ cum aliquantum increverit bifida fit, iterumque horum utrumque pari modo dividitur: virgas breves nec multas profert: fructum fert magnitudine, quâ manum impleat, rotundum & oblongum, colore flavicante, succo dulcem & gratissimum, non congestum ut palmæ, sed per singula discretum, nucleo magno vehementerque duro.

Fructum unum hujus generis dono D. D. Simonis Pauli teneo, magnitudine majoris juglandis, figurâ ferme triangulari obtusâ, in circumferentiâ uncias ferme octo habentem. Exterius tegumento operitur fibroso, hispido, duriusculo, crassitie calamum aut pennam anserinam æquante, sed inæqualiter, ad latera tenuius, in apice crassius, huic nux includitur dura, coloris punicei, figurâ castaneæ, cortice fibroso & durissimo, quem qui frangere tentarunt, cultri mutilati partem in ligno relinquere sunt coacti. De nucleo non habeo quod dicam, cum corticem teneat nondum fractum.

Cucurbitarum lagenariarum mihi variæ sunt species. Una ex Indiâ Orientali navibus nostris primâ navigatione allata, ventricosa valde, sex mensurarum nostrarum capax, collo non admodum longo, quod funibus ex Junco Indico cinctum, ansam etiam ex fune crassiore factam firmantibus. Interiori superficie resinosâ obducitur materiâ, ne infusus humor perfluat. Calabassum vocari ajunt.

Est alia ejusdem ferme capacitatis, externâ superficie ad flavedinem tendens, collo

longiore & anguſtiore, altitudine pedis unius fermè, quod juxta pediculum in globum rotundum, ſed minorem, terminatur. Hæc nullâ interius obducta eſt incruſtatione, ſed albicat inſtar pulpæ exſiccatæ. Ex Hiſpaniâ ad me delata.

Sunt & duæ ad PURPUREUM tendentes, ſed minores, dimidiam liquoris menſuram capientes, ex duobus quaſi æqualibus globis coagmentatæ ſingulæ, niſi quod inferior ſuperiorem paululum amplitudine ſuperet.

Sunt quoque PYRIFORMES duæ, altera major ad purpureum vergens, pyrum majus figurâ omnimodè referens. Altera minor lutea, mediocris Pyri magnitudine & figurâ.

Joſephus Acoſta lib. 4. cap. 9. refert in Indiâ monſtroſas eſſe, immenſâ mole, quæ diſſectæ & reſiccatæ excavantur, & ex iis varia vaſa effinguntur, ex minoribus pocula aut pateras ingenioſe cælatas formant. Majores quas poſſidemus, ut & mediocres, lagenis deſtinatas eſſe ex figurâ patet.

CAP. XXVI.

Fabæ variæ, Ægyptiaca, Faufel, Fructus varii non deſcripti.

FABÆ INDICÆ variæ, apud me conſpiciuntur. Primum locum tribuimus majoribus, inter quas eminet FABA PURGATRIX latiſſima, ex Inſulâ D. Thomæ, Bauhino, quibuſdam cor D. Thomæ, quod in Inſulâ D. Thomæ naſcatur, & figurâ Cor referat. Cluſio dicitur lobus craſſus ex Inſulâ D. Thomæ. Phaſeolus purgans Tabernæmontano. A Cluſio in notis ad Manardem deſcribitur cap. 49. in hunc modum. Orbiculari ferme eſt figurâ; ſed planus utrinque & quodammodo pulvinatus, digiti unius craſſitudinem æquans, duorum verò latitudinem, aut amplior, ex uno latere aliquantulum cavo, quà videlicet hilus eſſe ſolet, & ſiliquæ, in quâ continetur, adhæret. Cortex durus & lignoſus, lævis, ex rubro nigricans; quod intus continetur album; firmum, & in duas partes, naturâ ſectile, ſapore primum, qualia ſunt omnia Legumina, ſed illico linguam mordicante & acri, quo fit ut purgandi facultate polleat.

Mihi quatuor ſunt, quæ plane deſcriptioni conveniunt, niſi quod maximâ ex parte majores ſint. Eſt enim quæ duas uncias, tam longitudine, quam latitudine, æquet. Quidam hanc Fabam Ætitis conſtituunt ſpeciem, quod medulla in exſiccatis ſonum excitet ſi concutiatur ut Calimus in vero Ætite, & parturientibus opitulari volunt. Quidam in marem & fœminam diſtribuunt, majorem marem & minorem fœminam appellantes; imò, ſi ſimul conſerventur, parturire fœminam credunt. Sed magnam vim in Idiotis habet perſuaſio.

Lobus ipſe, in quo hæc Faba naſcitur, deſcribitur ab eodem Cluſio Exot. lib. 3. cap. 8. ſed quia mihi una contigit lobo incluſa, eum hic delineabo. Exactæ rotunditatis eſt, niſi quod unâ parte, quâ abſciſſus erat à reliquo, pollicis craſſitie latior, per ambitum nervo duro ac ſolido cingitur, latitudine trium pollicum cum ſemiſſe, longitudine quatuor, appendici enim aliquid adhæret, quo nectebatur reliquæ parti. Duabus conſtat tunicis membraneis, exterior craſſior eſt, ex purpureo fuſca, crebris fibris undatim diſcurrentibus intertexta. Interior tenuior glabra, quâ fabam tangit lutei coloris; quâ cum exteriori nectitur, nigrior, ex nervo qui ambitum cingit, ramuli multi diſperguntur inter utramque tunicam, nutritioni procul dubio inſervientes.

FABÆ LOBI CARTILAGINEI Cluſii Exot. lib. 3. cap. 9. mihi ſunt quatuor, orbicularis figuræ, utrinque aliquanto in medio protuberantes, unciam circiter latæ; quædam tamen majores, quædam minores, in ambitu ferè undiquaque tanquam annulo nigro cinctæ, quem utrinque linea flava ſtipat, duræ ſunt, ex puniceo nigræ, aſperæ aliquantum. Lobus ipſe, in quo continentur, ibidem à Cluſio deſcribitur, quod quatuor uncias cum ſemiſſe ſit longus, binas, aut paulo amplius latus, cartilagineo potius quam duro aut lignoſo cortice conſtans, dorſo duplici veluti criſtâ inſignito, cartilagineâ & ſinuoſâ, ad extremum uſque lobum protenſâ, cujuſmodi alios etiam habet. Rugoſus autem erat cortex & coloris nigri, tres tantum Phaſeolos in ſe continens.

Eſt & alia HISCE AFFINIS, tam quoad colorem, quam quoad formam, ſed minor aliquanto, & eo diſcrepans, quod annulus ille tantum partem fabæ cingat (quarta enim pars eo caret) quodque non niger ſit, ſed in medio albus, utrinque tenuem & exilem

exilem lineam nigram habens, quam ſtipat rubicunda, ita ut circa fines recurrant, non ſine levi prominentiâ.

Figuræ ejuſdem, ſed paulo major eſt alia LUTEI COLORIS, nigris maculis conſperſa, cujus cingulum nigricans, nudam relinquit quartam partem compreſſiorem, utrinque lineis ambitur luteis, longitudine eſt unciæ unius, ſed paulo latior.

Ad fabas Lobi Cartilaginei referrem illam, quæ colore, aſperitate, eam planè repræſentat, niſi figura differret, quæ non orbicularis, ſed alterâ parte ſinuoſa aliquantum eſſet, cor quodammodo referens; cinguli quoque longius à ſe invicem diſtant fines.

CORDIS FIGURAM habet purpurea, lævis, toroſa & minus compreſſa, unciæ unius circiter longitudine & latitudine, cingulo luteo, hoc habens peculiare, quod, ubi ſinuatur, foramen habeat quadratum, pulpâ albicante, ſed durâ refertum, cui procul dubio adhæſit petiolus, quo lobo ſuo nectebatur.

ALIA eſt MAJOR coloris obſcurioris, ſeſcunciam ferme in Diametro habens, variis ſinubus & prominentiis, tam in extremitatibus, quam in corporis medio, dotata, tuberum inſtar, quocirca TUBEROSAM vocare libet; alioquin lævis, ſaturatâ purpurâ, nullo hilo aut cingulo diverſi coloris dotata.

MINIMA reſtat Faba, quam potius ad Phaſeolos referrem, purpurei etiam coloris, dimidiam unciam longa, lata quartam, utrinque ad latera compreſſa. Oblonga enim eſt & toroſa, hilo nigro, alteram ſaltem partem ſed latus perreptante, lævis & lubrica, per utrunque ſinum perforata, non Naturâ, ſed arte.

FABA ÆGYPTIACA quid ſit multum diſputatur. Proſper Alpinus de Plantis Ægypt. cap. 33. Culcas ſeu Colocaſiam eſſe putat, at Cluſius Exot. lib. 2. cap. 13. fructum quendam peregrinum proponit ac deſcribit, quem Dioſcoridis Fabæ Ægyptiacæ reſpondere autumat; cujus cum mihi nucleus ſit, eum primo Palmæ ſacciferæ fructum eſſe arbitrabar, ob magnam quam cum eo obtinet affinitatem; ſed re melius ponderatâ, cum fructu primo peregrino à Cluſio, loco adducto, deſcripto magis convenire exiſtimabam. Eſt enim iis prorſus ſimilis, quos in lacunis ſeu cellulis, inſtar favi Veſparum diſpoſitos narrat ibidem autor. Faba aut nux eſt parva inſtar glandis pumilæ, unciam penè longa, & in ambitu craſſa, coloris fuſci, ad luteum tendentis, lævis, in mucronem deſinens. In infimâ aut obtuſiore parte, rimula quaſi quædam eſt, ex quâ inæqualis eminet ſubſtantia, undique dentato cincta ambitu, ut haud inconcinnè rictui anguino aſſimilaveris. Cortice tegitur duro, quem frangere mihi fas non erat, ut de interiori ſubſtantiâ conſtaret, ſiquidem unicus ſaltem mihi ſit hujus generis fructus.

FAUFEL, Malabaribus Pac vulgo, nobilioribus Areca dicitur, ad nuces à quibuſdam refertur, fructus eſt duûm generum, quidam enim nucem Moſchatam magnitudine refert, quidam oblongior eſt & major; quamvis poſteriorem hanc ad Faufel an referre debeat dubitet Cluſius lib. 1. Hiſt. Arom. cap. 25. ac exotic. lib. 2. cap. 3. nucleum palmæ Pinus arbitretur. Nos hic de vero Faufel. Fructus hi deni aut duodeni, ſuis involucris villoſis tecti, dependent ex arbore Areccâ, craſſis & oblongis pediculis, qui in inferiorum ramorum alis naſcuntur. Cum ſuo involucro longitudine eſt unciarum duarum cum ſemiſſe, foris colore flavo, ſub tenui cortice villos & filamenta aurea continens, quæ ipſam nucem exterius densè ſtipant. Nux vero ipſa dura eſt, alterâ parte ſeſſilis, coloris exterius cinerei, rugoſa, interiore ſubſtantiâ variegatâ ex purpureo & albicante undatim permiſtâ medullâ, quæ mollior eſt dum externo involucro detinetur, durior quando aliquamdiu exempta aſſervatur. Pars ſeſſilis, quæ ad pediculum vergit, albicante membranulâ ambitur, totus fructus primo aſpectu nucem Moſchatam refert, niſi quod alterâ parte ſeſſilis ſit, alterâ magis acuminetur.

Arbor in quâ creſcit in magnam altitudinem aſcendit, trunco æquali propemodum ubique craſſitie, cortice tecto adeò lævi, ut nulli aſcenſum præbeat, niſi aptatis ad pedes laqueis aut vinculis, vel cincto per intervalla caudice, fune ex ſparto aut aliâ materiâ confecto. Rami ſurſum vergunt & inflectuntur, ut procul intuentibus orbem quodammodo conficere videantur. Folia pectinatim ramos veſtiunt, alioqui palmæ foliis ſimilia, ſubſtantia arboris fungoſa eſt, teſte Garciâ, maritima amat.

Mauritani ſingulis diebus Areccam ſeu Faufel maſticant cum Cardamomo, purgandi ventriculi & cerebri cauſâ. Miſcent ſiccatam & contuſam, cum Betre, Calce & Lycio, & maſticant, ut gingivas firmet, dentes ſtabiliat, ſtomachum roboret, ſanguinis rejectiones, vomitus, & alvi profluvia ſiſtat. Inſipida ferme eſt & adſtringentis facultatis, imma-

immatura ſtupefacit & inebriat, unde à quibuſdam uſurpatur, ut temulenti dolores & cruciatus non ſentiant.

Hunc Faufel trium generum eſſe obſervavit Bauhinus Pinac. lib. 12. ſect. 6. 1. latere uno preſſius, altero latius & majus. 2. minus nigricans, durius, Checanyn dictum. 3. à cujus maſticatione homo ut vino inebriatur.

Oblongior iſte fructus, qui Faufel ſubſtantiâ & colore plane refert, quemque ſupra dixi Cluſium exiſtimare eſſe nucleum ex fructu Palmæ Pini, Bauhino eſt fructus Palmæ cujus fructus oblongus Faufel ſimilis, Avellanæ Indicæ genus oblongum quibuſdam. Sine involucro tres ſuperat uncias longitudine, & quatuor ambitu ſuo, inciſuris & ſulcis craſſioribus & profundioribus in ſuperficie dotatur quam Faufel, ſed colore, ſubſtantiâ variegatâ plane cum Faufel convenit, duritie quoque, unde politus hic fructus & lævigatus, raros quoſdam refert lapides. Conficiunt enim ex eo, Scyphos parvulos, thecas ovales, aliaque opera pulcherrima.

Inter FRUCTUS PEREGRINOS mihi non ſatis perſpectos, nec, quod ſciam, ab aliis deſcriptos, primo occurrit SESSILIS quidam, excavatus, pulpam quandam



tenuem exſiccatam continens, pari modo cavam, ut nucleum alium ambiviſſe ſuſpicio ſit. Parte inferiore & ſeſſili foramen habet, quod tamen cultro majus redditum videtur, tantæ magnitudinis, ut nucem avellanam capere poſſit, per quod interiorem ſuperficiem luſtrare licet. Cinereus, aſper, inæqualis, ad rotunditatem accedens, figurâ fermè lapidis Brontii, in circumferentiâ pollices ſex cum dimidio obtinens.

Eſt alius OVALIS CINEREUS aſper, ovum parvum Gallinaceum figurâ referens, paululum Acuminatum, ſed parte craſſiore pediculi ſervans veſtigia. Ab hoc pediculi puncto ad ſummum apicem pollices duos cum ſemiſſe habens, in ambitu quatuor, concuſſu ſonitum ab incluſi nuclei attactu edens, ſed nullis prominentiis aut tuberculis inæqualis. Affinitatem quandam habere videtur cum fructu 2. Garetti, à Cluſio lib. 2. Exot. cap. 16. deſcripto.



Tertius quodammodo figurâ refert fructum quem Cluſius lib. 2. Exot. cap. 16. vocat Coxco Cypote, colore fuſco, præ lævore ſplendens, in utroque apice, cineream & falcatam

catam quandam habens prominentiam. Nec fructus mihi videtur, nec alterius fructus officulum, quia cavus, mollis, leviſſimus, nullum in ſe nucleum habet, nec in aquâ ſubſidet. Si acu aut cultello pupugeris, facile ad interiora penetraveris; potius fungi genus quoddam dixero. Ovum columbinum majus figurâ refert.

Quartus elegans eſt, alterâ parte ſeſſilis, nucis Moſchatæ magnitudine, cortice conſtat tenui, cujus pars tertia ſcabra eſt, inæqualis, coloris cinerei, ferme inſtar Cupularum glandium. Reliquum læve, ſplendens, politum, coloris ſpadicei, lapidem Bufonium, quem Crapaudinam vocant, colore & lævore ferme refert. Parte ſeſſili foramen eſt, non naturâ, ſed caſu proculdubio impreſſum, per quod & corticis tenuitas, & nuclei, ei innatantis ferme, conſtitutio videri poteſt. Eſt autem nucleus, cortice paulò minor, unde concuſſus fructus alliſu ſonum excitat & ſtrepitum, cæterum ipſe nucleus exterius coloris eſt purpurei, ſed interius albi. Sunt qui Fructum Balſami Americani eſſe putent.

Quintus ejuſdem ferme cum priori eſt magnitudinis, parte alterâ lævis & lubricus, cum exiguâ prominentiâ in medio, colore luteo, figurâ ovali, aliquantulum ad angulos obtuſos protuberante. Parte alterâ inæqualis & ſcabra, ſeptem ſinubus ſeu foraminibus in medullam perviis præditus, coloris cinerei, nucleum nucis juglandis quodammodo referens, ſed lignoſus & durus etiam hac parte eſt. Ego arbitror affinitatem magnam habere cum 6. fructu deſcripto à Carolo Cluſio lib. 2. Exot. cap. 30. Quidam veram nucem Metel eſſe arbitrantur.



Alius Dactylum ferme figurâ æmulatur, oblongus, compreſſus aliquantum, duas uncias longitudine ſuperans, utrinque acuminatus, unam latitudine, colore purpureo, ſtriatus & rugis inæqualibus dotatus. Aut è genere Nucum eſſe videtur, aut os majoris alicujus fructus. Lignoſus namque eſt, durus, an vero in ſe nucleum contineat non liquet, quia concuſſus non reſonat, nec frangere licet, cum unicus tantum mihi ſit. Neſcio an ad Zabucayo referri debeat, de quo poſt ſumus acturi.



Ovalis denique figuræ os mihi eſt, ovum gallinaceum parvum magnitudine æquans, ſed utrinque acuminatum, lignoſum, flavum, nucleum continens, qui moto & concuſſo fructu reſonat. Tectum verò fuiſſe videtur pulpâ quâdam candidâ, cujus reliquiæ tenaciter adhuc ei adhærentes conſpiciuntur.

Cum navibus Belgarum, quæ hoc Anno MDCLIII. in Norvegiam appulerunt, fructum quendam gemellum accepi, duorum prunorum majuſculorum invicem cohærentium magnitudine. Alter verò illorum appendicem habebat roſtratum, nucis Avellanæ minoris magnitudine. Nec genuinum ejus colorem, nec pulpam, aut nucleum delineare poſſum, quia interiore nucleo aut ſubſtantiâ ſpoliatus erat, & exterior ſuperficies vernice obſcurè flavâ obducta. In extremitate appendicis colore nigro ſplendente præditus, ex eo namque, retentâ naturali figurâ, pixidem fecerunt Tabaco ſternutatorio deſtinatam. Alioquin figurâ non plane diſſimilis ei quem deſcribit Carolus Cluſius Exot. lib. 2. cap. 16. inter eos, quos à Jacobo Garetto accepit. n. 16. ſed differt magnitudine, cohærentiâ & appendicis ſitu.

CAP. XXVII.

Galla non perforata, Gariophyllus Regius, Gelum, Gemma Nucis Maldivenſis, Globuli ſaponarii, Guanabanus, Guatapana, Homoucul.

GALLA fructus eſt variarum arborum accidentarius, præcipue vero Quercus & earum quæ glandes ferunt, nucis juglandis minoris magnitudine, globoſus, colore luteo. Provenit Sole è Geminis exeunte, &, ſi æſtu nimio excipitur, areſcit protinus, nec amplius adoleſcit. Quædam rugoſa eſt & Græcis Omphacitides vocatur, Coriariis expetita, quædam lævis. Quædam etiam perforata eſt, quædam non. Mihi una eſt exactè Sphæricæ figuræ, imperforata, quo nomine hæc addo. Illud Gallis peculiare eſſe ſolet, quod quotannis, aut annonæ fertilitatem, aut ſterilitatem, aut aërem peſtilentem præſagiant. Si enim rumpantur integræ quæ perforatæ non ſunt, muſcam, aut araneum aut vermiculum exponit. Si muſca volat, futuri belli, ſi repit vermiculus, annonæ penuria, ſi currat araneus, peſtilentium morborum præſagium eſt. Ex iis quæ perforatæ ſunt, hæc animalcula exierunt: in non perforatis ſemper reperiuntur. Unde ſtatuunt quidam, Quercum & animal & fructum gignere.

Vim habet adſtringendi validam, trita excreſcentias omnes, fluxiones gingivarum, & uvæ, oris exulcerationes cohibet. Nucleus dentium cavernis inditus, dolorem ſedat. Cremata carbonibus donec flagret, & vino, aceto, aut acidâ muriâ exſtincta ſanguinem ſupprimit, capillos denigrat aceto aut aquâ macerata. Ubi adſtringendum, ſiſtendum aut ſiccandum, locum habet. Conficitur quoque ex eâ Atramentum ſcriptorium, cujus formula hæc præ reliquis commendatur: ℞. Gallar. Craſſiuſcule confract. ʒv. Vitriol. Roman. ℥iij. Gum. Arabic. ℥ij. Salis ʒj. In vaſe fictili Vitreato, ſuperfunde vini albi ferventis ℔. v. ℥iiij. Occluſo Vaſe ſeptendecim diebus inſolato, vel poſt fornacem relinquito, quotidie rudiculâ miſceto.

GARIO-

GARIOPHYLLUS REGIUS fructus eſt, à nemine, quod ſciam, hactenus deſcriptus, florem potius quam fructum figurâ referens, longitudine eſt grani hordei, ejuſdemque ferme latitudinis, oblongus, anguloſus, ſex vel octo cuſpidibus alternatim è lateribus erumpentibus, & in ſummitate quaſi coronulam conſtituentibus, colore ferrugineo, odore Gariophyllorum aromaticorum, ſapore acri & plane Garyophyllaceo. Provenit in Inſulâ Macciam Indiæ Orientalis, ab incolis vocatur THINCA RADOI, quod exponunt Gariophyllus Regius.

Magno in pretio apud Indos ſunt hi Gariophylli, & ad nos raro deferuntur. Unicam ſaltem ferunt eſſe hujus fructus arborem in totâ Indiâ, in medio dictæ Inſulæ ſitam. Flores ubi producit hæc arbor, decidunt flores reliquarum arborum, quæ communes ferunt Gariophyllos. Arbores etiam reliquæ verſus hanc ſe incurvant, honorem quaſi deferentes, ut ajunt qui viderunt. Rex Inſulæ Satellitibus hanc arborem ſtipat, quamdiu fructum fert, ne quis præter ipſum eo gaudere poſſit. Hæc ex ore ejus qui in Inſulâ fuit, & arborem ſe vidiſſe teſtatur; quæ ſi vera, mira. Fructus filo per longitudinem trajicere ſolent, ut armillarum loco, ob odoris gratiam, in brachiis geſtentur.

GELUM ex Oriente vocat Clariſſ. Vir D. Johan. de Laet, fructum ſeu baccas quaſdam exiguas, purpureo cinereas, rotundas, coriandrorum magnitudine, quæ alterâ parte apertæ & tribus quaſi loculamentis diſtinctæ, adeo ut trifolii figuram minutam ea foramina eleganter exprimant. Fructus hic pelliculâ ſaltem conſtat, nec aut ſucci aut nuclei quicquam in eo inveni, ſapore adſtringente. Baccis aderant petioli quidam, aut foliorum quaſi fragmenta, quæ ad figuram foliorum Roriſmarini accedere mihi videbantur, ſed non adeo longa erant. Forſan Negunda eſt & Gariophyllus Plinii.

GEMMA NUCIS MALDIVENSIS, figurâ eſt ſphæricâ, puſillum ovum columbinum magnitudine referens, lævis, dura, nitens, colore maximâ ex parte luteo, niſi quod alterâ parte candicet aliquantum. In extremitatum altero, veſtigium quoddam apparet inæquale, ubi matrici ſuæ adhæſiſſe videtur, in aquis ſubſidet; Pondere eſt Drachmæ unius ſemis. Cocci Maldivenſis dicitur Gemma, ſeu Germin, quod in ejus naſcatur Meditullio & in germen quaſi concreſcat, margaritarum nitore æmulum.

Magni in ipſâ fit Indiâ, commendatur enim non ſecus ac medulla ipſius Cocci, ad omne genus Veneni pellendum, & febres malignas fugandas. Antidotum enim eſt præſentiſſimum, & quaſi Panacea quædam. Indi annulis aureis & argenteis hunc lapidem includunt, ita ut foramen relinquant per quod cutim tangat, ita ſe à Venenis & incantamentis liberos futuros ſperant, quamdiu hoc geſtaverint amuletum.

GLOBULORUM SAPONARIORUM hiſtoriam deſcribit Nic. Monardes ſimpl. Med. cap. 65. & Oviedus lib. 9. Fructum hunc creſcere ait in pumilâ arbore, magis contortâ quam rectâ, veluti Ruſcus, cujus folia filici ſunt ſimilia.

Oviedus quoque folia filicis utcunque referre ait, niſi quod minora ſint, ſed arbores ipſas celſas & formoſas eſſe ait. Fructus magnitudine ceraſi, rotundus, colore fuſcus (corollâ inſignitum vult Oviedus, quam tamen in meis non invenio) colore exterius ſubruſſo (ſubflavum vocat Oviedus) lentâ quadam pulpâ tectus, quâ ſublatâ relinquitur ſphæra quædam maximè rotunda, coloris nigri, adeo dura, ut non niſi malleo, aut aliâ re quapiam confringi poſſit. Hoc ſemen amarum exiguum in ſe habet.

Pulpa exterior ſaponis vices ſubit: ſi enim binis aut ternis cum calidâ aquâ veſtes abluantur, multò nitidiores redduntur, quam ſi ſaponis librali pondere elotæ forent. Plurimam enim ſpumam excitant, eoſdemque effectus præbent, quos ſapo, paulatim liqueſcentes, donec ſolæ ſpherulæ nigræ ſuperſint, quæ officulum ſunt hujus fructus. Sed notat Oviedus, ſi quis frequentius eo utatur, pannos urere & corrumpere, quocirca ſemel tantum eluiſſe ſuffecerit. Sphærulæ nigræ perforantur ut ex iis fiant coronæ ad preces Catholicorum numerandas idoneæ, adeo elegantes ac ſi ex Ebeno eſſent con-

fectæ, tum diutini usus, quoniam difficulter confringuntur. Fructus ipse adeo amarus est, ut nullum quadrupes aut avis eum degustet.

GUANABANUS Scaligero, ABAVO aliis, BAOBAB Alpino, cujus semina & fructus particulas tenemus, in Insulâ Zeilan provenit. Fructus est magnitudine mali citrei mediocris, denso duroque cortice ut cucurbita vestitus, nullis excurrentibus sulcis; extremâ ejus parte mucronatâ, quâ arbori adhæsit, pediculo crasso & firmo, sulcorum rudimenta cernuntur, in quibus lanugo quædam est, quemadmodum in malis Cidoniis, reliquo corpore lævis. Altera extremitas, non in mucronem, sed in obtusam rotunditatem desinit, ut primo aspectu Cucurbita sicca appareat, colore fusco. Pulpam continet, subrubram, friabilem, quæ facile in pollinem resolvitur, acidam, ori gratam, adstrictionis expertem, per quam sparsa sunt semina renibus Animalium similia, seminum Anagyridis æmula, duro cortice, qui rubente quâdam membranâ tegitur, quâ demptâ semina fusca ad nigrum inclinantia & splendentia cernuntur, intus medullam albam continentia, edulem, avellanæ nucleum sapore æmulantes.

Pulpâ candicante utuntur Æthiopes in febrium ardoribus, sitis sedandæ gratiâ, jucundâ aciditate præditâ, unde & quidam Gossypium in aceto vocant. Siccata friabilis est, sic ut digitis trita in pollinem redigatur, permanente perpetuò aciditate.

GUATAPANÆ arboris fructus, mihi maximè convenire videtur cum eo quem describit Clusius Exot. lib. 2. cap. 21. inter eos quos à Walichio accepit, sub nomine URURORIA. Arbor verò, in quâ nascitur, ipsi non Guatapana, sed Juruura est in Wiapok Americæ nascentis. Planus est, unciam ferme latus, binas longus, contortus instar siliquæ Cytisi legitimi, major tamen, coloris flavescentis, semen continens planum.

Ad vulnera curanda utuntur eo incolæ, hostium telis in bello inflicta; succum enim contusi hujus fructus in vulnera instillant, quo consolidantur.

Fructus, qui sub nomine HOMOUCUL à Clariss. Viro D. Joh. de Laet ad me transmissus est, magnam affinitatem habet cum fructu ab Imperato lib. 28. Hist. Natur. delineato, sub nomine Garophali Pliniani tabula secunda. Ejus autem mentionem facit Plinius lib. 12. cap. 7. Est, inquit, etiamnum in Indiâ Piperis grani simile, quod vocatur Gariophyllon, grandius fragiliusque. Tradunt in Indico luco id gigni. Advehitur odoris gratiâ. Garcias ab Horto lib. 2. cap. 3. Negundo id vocare videtur, in Balagate Sambali, in Malavar Noche. Arborem verò ita describit: Provenit in Balaquate & Malavar, arbuscula quædam Persicæ magnitudine, frequentibus ramis, qui recisi frequentiores, lætioresque renascuntur, foliis Sambuci, simili modo per ambitum serratis & aliquantulum hispidis: flos ex cinereo candidus, fructus niger, Piperis magnitudine aut paulò major. Fructus autem hic, quem sub nomine Homoucul accepi, magnitudine est Piperis, aut paulò minor, rugosus, aromaticus, caudatus, jam nigro, jam luteo, jam griseo colore, quod ratione maturitatis contingere puto. Gustu acri, amaro aliquantum, gratum ori halitum præbens.

CAP. XXVIII.

Yecotl, Ig, Kapock, Karovata, Leguminis genus, Leplap, Limonium prægnans.

YECOTL fructus longus est unius unciæ cum semisse, ejusdemque ambitus, multis veluti squammis, imbricum modo dispositis, constans, in medio nonnihil compressis, oris tenuioribus & nigricantibus. Levis est, nucleo vacuus, quales omnes fuisse, qui ex Novâ Hispaniâ sunt allati, testatur Clariss. Vir D. Johan. de Laet lib. 5. Ind. Occident. cap. 3.

Arborem

Arborem, in quâ crescit, vocant Hispani Palmam montensem, sed Indi nonnulli Quaichtlepopotli. Ex unâ radice duos aut tres profert truncos, qui flores ferunt candidos & odoriferos, racematim pendulos, & in sex foliola distinctos, ex quibus nascuntur fructus jam delineati, quos quidam similes esse ajunt pineis nucibus, colore castaneæ.

IG, seu grana Terebinthi, magnitudine Pisa æmulantur, crassiori innixa petiolo, ex flavo purpurascentia, inæqualibus quibusdam tuberculis prædita sunt. Ab Avicennâ fructus hic Ceranum viride vocatum videtur.

Quidam statuunt fructum hunc esui aptum, sed stomacho adversari, calefacere, urinam movere, Venerem stimulare, contra Phalangiorum morsus valere ex vino bibitum. Rawolphius Hædoporici lib. 2. cap. 8. plura observavit genera, & quidem in majorem & minorem distinguit. Minoris grana magnitudine Pisa æquare ait, qualia sunt ea quæ nos tenemus. Fructus non minus jucundi saporis esse asserit Pistaciis, eamque ob causam inquilinos abunde iis vesci, perinde ut nos Pineis & Avellanis. Nasci magnâ copiâ in Persiâ, Mesopotamiâ, Armeniâ, racematim cohærente fructu, ut Pistaceæ.

Tomento quodam subtilissimo, bombacem referente, me donavit Clariss. D. D. Nicolaus Wichman, quod in Indiis KAPOC vocari affirmabat, & ex fructu arboris laniferæ depromptum arbitror. Molle est instar serici, candidum, in glomulos contortum, qui tamen ubi expanduntur subtilissimæ lanæ aut serici potius naturam exprimunt. Ejus usum in Indiâ Orientali esse ajunt ad farctus, eo enim instar tomenti utuntur ad lectos & culcitra farcienda.

Lana mihi videtur arboris laniferæ, descriptæ à Clusio Exot. lib. 1. cap. 14. in hunc modum. Arbor est procera, multis ramis prædita, quos sepiunt numerosa folia, ut conspicere est in salice. Fructus fert siliquarum penè instar, sex uncias longos, quinque in ambitu crassos, à pediculo sensim augescentes, cute verius quam cortice tectos, cinericei coloris, rugosos, extimâ parte mucronatos, in quinque partes dehiscentes, plenos, tenuissimo, mollissimo, & candidissimo tomento, in quo latebant multa semina nigra, legitimi Xyli semine minora, tomento seu lanæ non adhærentia, ut in Xylo, sed libera & circum quinque veluti assulas longas, mediam siliquam occupantes, nascentia. Eâ lanâ non utuntur ad stamina ducenda, quemadmodum alii Xylo: nimis enim brevis est, sed pulvinaria eâ implentur. Ad quam rem commodissima mihi esse videtur, ut quæ vulgari tomento, imo vel ipsâ plumâ mollior sit. Paulò post ait se ab aliis accepisse etiam à Mollucensibus in stamina torqueri (aliâ tamen ratione, quàm vulgo linum, lana aut Xylum) iisque staminibus suas vestes sarcire. Bauhinus vocat Gossypium Javanense salicis foliis.

Inter Insulæ Maragnanæ Brasiliæ Septentrionalis fructus est KAROVATA, Gallis *Cypreceville*, **Slyp-tongen** aliis dictus. Hic in plantâ provenit, quæ folia producit ulnam fermè longa, & duos pollices transversos lata, crassa, utrinque aculeata valde, è quorum medio erumpit scapus, cui duos circiter palmos supra solum confertim annascuntur quinquaginta & interdum longè plures fructus, digitalis longitudinis, pyramidis triangularis in modum, intus & extus flavescentes, optimi saporis & palato pergrati. Plenus est fructus spongiosâ quadam materiâ & pluribus osculis, seu seminibus minutis. Succus illius ex acri dulcis est, gratus palato, sed si quis vescatur, sanguinem è linguâ

atque gingivis elicit. Is ipsus fructus est, quem capite 23. sub titulo CARAGUATÆ descripsimus, hic aliquanto fusius quædam erant repetenda.

LEGUMINIS peregrini genus ab amico accepi, sed quod ejus nomen, aut unde advectum, ignoro. Figurâ est lenticulari, magnitudine Pisi majoris, cortice lævi, duro, ex albo splendente ac flavescente, maculis nigricantibus parte alterâ pictum. Quandoque colore albo Opali modo resplendente, & nigrâ Zonâ ab alterâ parte cinctum reperiri, ex quibusdam granis, quæ possideo, colligo.

LEBLAP seu LABLAB lobus est brevis & latus, quaterna grana, oblongiuscula, nigra, hilo albo, valde longo, prædita, continens. Ex Prosperi Alpini sententiâ, provenit in arbore Sarmentosâ, quæ ad vitis magnitudinem crescit, figura similis vulgari Phaseolo, flores fert bis in anno, vere & Autumno, Phaseolorum floribus aliquatenus similes, à quibus siliquæ longæ, instarque fabarum latissimæ, dependent, quæ semina nigra Phaseolis plane similia continent. Ægyptii Phaseolis illis in cibo frequenter utuntur, suaves namque sunt gustui. Mulieres decoctum cum croco ad menses ciendos propinant. Commendantur præterea ad Tussim, dispneam & urinam movendam.

LIMONIA MALA omnibus sunt notissima, sed nescio quî factum quod nostrates Limoniis Citriorum dent titulum, multum enim inter se distant, tam magnitudine, quam succi & pulpæ quantitate ac sapore, Corticum quoque crassitie & viribus. Limoniorum horum genus rarum videre mihi contigit non semel, eorumque etiamnum teneo exemplum, quod PRÆGNANS non immerito dici meretur. In se enim, parte eâ quæ petiolo doratur & ramo nectitur, aliud continet pomum exiguum, avellanæ magnitudine, exteriore cortice flavo, medullâ albicante, & succo suis distincto loculis, omni ex parte majori respondens. Duos ejusmodi fructus minutos, quos ex alvo maternâ extraxi, adhuc inter loculamenta asservo. Putabam à nemine hoc animadversum prius; sed, post aliquod tempus, inveni in Cistâ Medicâ Hornungi Epistolam 245. Doldii, hæc verba. Nuper contigit, ut Pharmacopola quidam Citrium magnum aperiret, & in medio reperit aliud pomum, suo cortice eleganter obductum, semina verò nulla erant in parvo. Novum prægnans est pomum, Pomo, in sua matrice propriâ extra terram. Hæc ille: sed in eo discrepantiam invenio, quod mea poma non Citrea, sed Limonia fuerint, & meum fœtum non in medio, sed in altero extremitatum, quod petiolum tenet, gestaverint, ut verisimile sit, tam matrem quam fœtum, per eundem petiolum nutritum fuisse.

Lenticula rubicunda ab aliis minoribus lenticulis figurâ non differt, sed solo colore rubicundo. Hic verò locum obtinet, quia quidam existimant eum esse lenticulæ speciem, ex quâ rubrum coctum pulmentum, quo Esau primogenituram suam fratri vendidit, Gen. XXV. 30. & seqq.

CAP. XXIX.

Mani ac cachem, Manobi, Mecaxuchitl, Myrobalani.

FRUCTUM mihi à Clariss. Viro D. Johan. de Laet transmissum sub titulo MANI AC CACHEM existimo esse Herbæ à Brasiliensibus dictæ MUNDUBI, quam describit Margravius Hist. Plant. lib. 1. cap. 17. addit enim ad hunc locum, Clariss. Vir D. Joh. de Laet, ab Hispanis in Americâ vocari MANI, à Peruanis ANCHN. Historia ejus hæc est.

MUNDUBI

MUNDUBI Brasiliensibus herba, in pedalem assurgit altitudinem, caule quadrato aut striato, ex viridi rufescente & piloso. Hinc inde enascuntur ramuli, primo quasi caulem amplectentes, & foliolis angustis acuminatis stipati, mox habent nodum, ac trium vel quatuor digitorum longitudine extenduntur, continetque quilibet nodus quatuor folia, duo semper sibi opposita, paulo plus quam duos digitos longa, sesquidigitum lata, superne lætè viridia instar Vitrioli, inferne paululum canescentia, nervo conspicuo & subtilibus venulis quasi paralelis dotata, raris quoque pilis vestita. Ad exortum ramulorum, qui folia gerunt, prodit pediculus, sesquidigitum circiter longus, tenuis, flosculum gerens flavum & per oras rubentem, duobus foliolis constantem, more viciorum aut trifolii. Radix illius haut longa, tenuis, contorta, filamentosa, cui adnascuntur folliculi ex albicante colore grysei, figurâ minimæ cucurbitæ, oblongæ, magnitudine Myrobalani (talis est fructus meus) fragiles. Quilibet autem continet in se duos nucleos, pelliculâ saturatè purpureâ vestitos, carne intus albâ, Oleaginosâ, sapore Pistaceorum, qui comeduntur cocti & inter bellaria apponuntur. Multum tamen comesti capitis dolores causare ajunt, fructu integro quassato, nuclei intus strepunt.

Clariss. Vir D. Johan. de Laet lib. 10. Hist. Ind. Occident. cap. 2. ait tostum non modò palato gratum, sed & corpori salubrem, ex eo etiam oleum exprimi ad multa utile.

MANOBI



MANOBI fructus eſt Braſilienſis, ſub terrâ naſcens, modo tuberum. Devinciuntur inter ſe tenuibus filamentis, continentque nucleum Avellanæ magnitudine & ſapore, putamen haud firmius eſt ſiliquâ Piſi ſiccâ, colore leucophæo. Oblongi ſunt, nervulis multis ab unâ extremitate in aliam incerto ordine tendentibus, an verò folia ſemenque ferant ſe ignorare ait Lerius, qui Hiſt. Americ. cap. 13. eos deſcribit. Monardes in Hiſt. Simplicium cap. 60. eos delineare quoque videtur. Iconem exhibuit Clariſſ. Vir D. Johan. de Laet. Nuſquam per Americam inveniri dicitur præterquam apud flumen Marannon. Recens & exſiccatus editur, torreri autem præſtat, adponitur ſecundis menſis bellariorum loco, quoniam ventriculum valde exſiccat & roborat, ſed, ſi liberalius edatur, gravedinem capitis generat. Temperatus videtur.



MECAXUCHITL fructus eſt ſimilis Piperi oblongo, qui miſcetur potui CACAO, eique addit gratum ſaporem, corroborat cor & ventriculum, attenuat craſſos & lentos humores, & inſigne eſt Alexipharmacum contra venena. Colliguntur fructus in faſciculos tres ſimul & cortice quodam obvoluti decuſſatim ad nos adferuntur, longitudine unciarum ſeptem, tenues inſtar funiculi, non multum à Pipere longo differentes. Herba ipſa, in quâ creſcit, humi repit, caules habet teretes, contortos & læves, præterquam ubi pediculi foliorum enaſcuntur, quæ fert grandia, craſſa & quaſi rotunda, odorata, acris ſaporis. Vide Clariſſ. Virum D. Joh. de Laet lib. 5. Indiæ Occid. cap. 4.

MYROBALANORUM vox aliter à Græcis, aliter ab Arabum interpretibus capitur: Græci enim, ut Dioſcorides & Galenus, per μυροβαλάνου vocem, glandem unguentariam intellexerunt; nec in uſu habebant fructus eos, quos Avicennæ & Serapionis interpres vocat Myrobalanos, utpote qui rectius ad pruna referuntur. Arabibus Delegi.

Quinque ejus genera figurâ & viribus diſcrepantia in uſu ſunt, quæ etiam in diverſis arboribus proveniunt. Flava ſeu citrina, Arabibus Azfar: Indica ſeu nigra, Aſuati, Chebula, Quebulgi, Bellerica, Beleregi: Emblica, Embelgi.

Naſcuntur in arboribus, magnitudine prunis ſimilibus, ſed, ut fructu, ita foliorum diverſitate diſcrepantibus. Flava Sorbi profert folia: Nigra ſeu Indica foliis eſt Salicis; Bellerica foliis Lauri, ſed pallidioribus, & ſubcinericiis; Chebula folia habet Perſicis ſimilia.

Guſtu ſunt adſtringente & acido, Sorborum immaturorum modo, refrigerant igitur & ſiccant, unde & ſucco eorum immaturo in alvi profluviis utuntur Indi. Exſiccatis nos utimur, & quandoque in Indiâ conditis. Ventriculum bile liberant, in infuſione, decocto, febribus bilioſis, Dyſenteriæ & calidis conſtitutionibus appropriati, iis obſunt qui viſcerum laborant obſtructionibus. In ſubſtantiâ exhibiti, magis adſtringunt quam laxant, dantur à Drachmâ unâ ad quinque in infuſione, ad uncias duas.

CAP. XXX.

CAP. XXX.

Nabuch, Nux Indica, Myristica, Pinea, Pistacea, Vomica, Phaseoli varii.

NABUCH Arabum, Nabca Ægyptiorum. Arboris fructus est Loti magnitudine, spinosæ instar Acaciæ, folia habentis Jujubæ similia, sed latiora, flores albos, parvos instar Jujubarum, à quibus pomula erumpunt, rotunda, odorata, dulcia, gustui suavia, cerasorum æmula, quæ apud Primates Turcas & Ægyptios sunt in magno precio.

Arbor bis in anno, Vere scilicet & Autumno, flores fructusque maturat, fœcundissimaque existit, sed Vere ad maturitatem fructus non producit, ut Autumno. Fructus hujus usus est recentis & viridis pro cibo; perinde enim atque cerasa nostra comedere solent. Frigidus & siccus est in primo gradu; immaturus adstringit, unde in ventriculi relaxatione, tam fructu ipso, quam ejus expresso succo, per os, aut in Clysteribus utuntur. Maturi fructus decoctum aut infusum, in febribus pestilentibus frequens, resistit malignitati, cor roborat, bilem purgat, sitim sedat. Maturus esui jucundus, sed parùm nutrit, ac nimio esu stomachus offenditur.

NUX INDICA fructus est arboris quam Lusitani COQUO vocant, ob tria illa foraminum vestigia, quæ in fructus cortice ligneo apparent, ac cercopitheci caput illum repræsentare faciunt, vel, ut quidam volunt, quod in hisce arboribus libenter hæc animalia stabulentur. Avicenna Giausi Alhend, quod nucem Indicam sonat, vulgò MARO vocant.

Arbor est magna, foliis Palmæ aut Arundini similibus, latioribus tamen aliquanto, cortice lævi, materia ligni solida, ad fabricas idonea, nec minus elegans & splendens, quam juglandis, flore castaneæ, solo arenoso & vicino mari gaudens. Ejus rami, ut in Palmâ, deorsum arcus instar flectuntur, dorsoque sunt eminentiori, unde folia nascuntur palmæ dactiliferæ similia.

Ex inferiorum ramorum, quà caudici adhærent, alis rami alii nudi enascuntur, qui quinas aut senas proferunt crassas nuces, quandoque multo plures. Nux ipsa magnitudine æquat caput infantis, triquetra aliquantum est & figuræ ovalis. Exterius crasso & villoso tegitur munimine, sub quo cortex ligneus durus niger, qui exactè poliri potest. In altero extremitatum tria habens foramina, oculos duos & os referentia, in altero verò acuminatur. Sub hoc cortice nucleus est, albus, dulcis, ut nucleus Avellanæ, in quo liquor est suavis & gratus, potui aptus.

Vix arborem esse existimo, quæ majorem in vitâ communi habeat usum, hac ipsâ. Ex ligni materiâ naves fabricantur; ex ramis, qui in Malavar OLLA vocantur, ædium fiunt tecta, navium tabulata & opercula, stragula, culei, aliaque ejus generis utensilia. Has arbores in duas distinguunt classes, alteram fructibus ferendis asservant, alteram vino coquendo deputant. Præcisis enim ramis vascula apponunt, ad liquorem quem SURAM vocant excipiendum. Hic est instar musti, & decoquitur, ut diutius asservari possit, atque tum ORAQUA vocant. Destillatur quoque ex eâ spiritus, quem FULA dicunt, spiritui vini plane similis facultatibus & viribus. Si Soli exponatur antequam destilletur, in acetum degenerat. Solis æstu exsiccata & coagulata in saccharum cogitur, quod JAGRA dicitur.

Nucis extimum villosum involucrum inservit nautis, nam ex eo rudentes & funes navibus necessarios conficiunt, qui in aquâ marinâ incorrupti manent. Illo quoque tanquam stupâ naves obturantur ac stipantur. Ex cortice ligneo vasa & scyphi tornantur, ac carbones fiunt aurifabris utiles. Medulla ipsa tenera & delicata, instar Amygdalarum est, bene nutrit, cum saccharo aut sagrâ editur. Ex eo trito, ut ex Amygdalis, lac exprimitur, cum quo coquitur oriza aliaque edulia. Exsiccata hæc medulla COPRA dicitur, quæ alio defertur ac venditur, eâque utuntur ut castaneis, neque minus grata palato est. Ex eâdem ita exsiccatâ torculari exprimitur oleum dulce, non modo utile ad lucernas, sed & ad orizam condiendam. Nervis etiam conducit, in contractionibus & doloribus. In ipsâ medullâ contentus liquor, suavis est & dulcis, nullum parit fastidium, ac longo tempore durat.

Quanto autem recentior est nux, tanto liquor suavior. Mihi nucum harum aliquot sunt exempla, tam involucro exteriore villoso tecta, quam iis privata, polita

& impolita, tum artificiose cælata & excisa, tum in vasa redactum lignosum putamen.

Nux myristica seu Moschata, fructus vel Aroma est omnibus notissimum, utpote cujus usus est in eduliis. Trium generum accepi, Marem, fœminam & Regiam. Mas rarus est & fœminâ pretiosior, oblongus, duarum circiter unciarum. Fœmina vero illa est, quâ vulgo utimur, figuræ ovalis ut plurimum. Utriusque arborem accurate descripsit Clusius Exot. lib. 1. cap. 15. & 16. Tertium genus, quod Regium vocant, minutum est & rarum.

Arbor, quæ fœminam fert, procera est, Pyro haud minor, perpetuo virens, frequentibus ramis prædita, quos alternatim inæquali serie ambiunt, folia mali aurantii foliis similia, si appendicem cordatam exceperis, brevi pediculo nitentia, in ambitu non serrata, sed venis quibusdam, à medio nervo in latera excurrentibus, insignita. Fructus mali Persici magnitudine, orbicularis, supremo pediculo vicina aliquantulum, turbinatus, ex tenuioribus extremis ramulis, oblongiusculo, crassiusculoque pediculo subnixus, singularis. Operimentum exterius, quod fructum tegit, densum est, ut in juglande, sulcum habens per longitudinem fructus excurrentem, eumque in duas partes secantem. Sub ipso Macis est, nucis corticem ligneum retis instar ambiens, qui rubicundus est, sed aëri expositus flavescit. Sub ipso cortex ligneus durus, sed tenuis, quo discisso in conspectum prodit nux ipsa, qualis vulgo in officinis venditur.

Maris vero arbor folia habet majora & crassiori pediculo prædita, interdum pedis Romani longitudine, trium unciarum latitudine, color parte pronâ canescens, supinâ viridis & splendens, nervosa. Summo rami fastigio adhærent fructus, crasso brevique pediculo nexi, qui quandoque bini, terni, quaterni & plures simul conspiciuntur, ut in nuce juglande, similes superioribus quoad integumenta, nisi quod majores & longiores sint, obtusiores quoque.

Nux Moschata calefacit ordine secundo, adstringit, oris suavitatem commendat, fœtorem mansa tollit, visum acuit, ventriculum & Jecur roborat, Lienem tumidum absumit, urinam movet, fluidam alvum sistit, flatus discutit, frigidis uteri affectibus confert, maximè recens, saccharo condita, lentigines faciei emendat. Oleum, quod per expressionem ex eâ paratur, fragrantissimum, nervorum & articulorum diuturnis doloribus à frigore ortis confert & ventriculum roborat.

Nucis Moschatæ minutum genus mihi obtulit juvenis quidam nostras, qui illud secum nupere ex Indiis attulit, vocarique ait linguâ gentis Nucem Moschatam Regiam. Ego cum primum viderem, nucem Moschatam immaturam, vel ejus rudimentum esse putavi. Sed ille, ut maturam & perfectam esse ostenderet, per medium dissecuit, ac ostendit non modo colore, sed & succulentiâ & odoris fragrantiâ, majores maturas superare. Ovalis est figuræ & reliquis similis, nisi quod magnitudine vix grandius superet Pisum.

Pinus, Græcis πίτυς, Germanis Fichtenbaum / vulgo à Botanicis in tria genera dispescitur, domesticum, montanum & maritimum; sed Bauhinus quindecim ejus enumerat species. Nos, quia trium specierum, ex iis, quas Bauhinus recenset, tenemus fructus, de iis saltem agemus.

Domestica, arbor est procera, erecta, cortice scabro & subrubente, materiâ robustâ, subflavâ, odoratâ, pingui. Rami ordine prodeunt, ternis per intervalla germinibus, ut ejus summum in amplam latitudinem, ad rotæ similitudinem, spargatur. Foliis longis, angustis, numerosis, in modum setæ productis, totos ramos vestientibus. Nuces & fructus in rotunditate, modicè oblongas, turbinatâ figurâ, implentes utramque manum, ex lignosis squammis compactas. Sub singulis squammis bini ut plurimum continentur nuclei, oblongi, ossei, subnigro quodam pulvisculo obsiti; seminis medulla intus pinguis, gustu dulcis & odorata, non bipartita. Fructus integer uvam repræsentat, at ubi dehiscit, quod calore Solis contingit, Rosam centifoliam imitatur. In multis Italiæ locis provenit, præsertim in agro Ravennate.

Cortex exsiccat, folia refrigerant, resina calefacit, discutit, purgat, emollit. Folia tusa & illita inflammationes impediunt. Cortex suffitus partus & secundinas ejicit, potus alvum sistit & urinam movet; Decoctum foliorum, corticis nucis & ligni, ex aceto dentium dolores collutione mitigat. Nuclei boni & crassi sunt succi, multum nutriunt, sed non facile concoquuntur.

Im-

Impinguant, Venerem ſtimulant, tabidos, reſolutos & ſtupidos juvant, renum & veſicæ ulcera ſanant.

Alterum genus montanum eſt, comam habens breviorem, folia rudiora & acutiora. Nuces & fructus minores, ferè inſtar Cupreſſinarum, longiores, in acutum deſinentes, reſinoſas, autumno dehiſcentes.

Iiſdem ferme pollent viribus, quibus prima dotatur, adſtringunt valide, tum folia, tum nuces, tum cortex & Reſina. Succus nucum recentium in primis commendatur ad mammas extuberantes in virginibus comprimendas, & alia ubi opus adſtrictione validiore.

Fructus ille qui à Luſitanis dicitur PINHAS DE BRASIL, Braſilienſibus MUNDUY-GUACU, Margravio Nux Cathartica, Arboris eſt ad ficus magnitudinem & figuram excreſcens, ligno molli & fragili, folia habet circa ramos inordinate poſita, quodlibet ſuo pediculo ſemipedem longo inſiſtens, ſuntque viridia, ad tactum mollia, foliis ficus aliquomodo ſimilia, ſed non ita profunde ſecta, verum ſubrotunda, & anterius quaſi in tres angulos deſinentia. Lignum & folia fundunt è lacteo aquoſum ſuccum, floſculos fert copioſos racematim, parvos, quinque foliis conſtantes, viridibus anterius, deorſum incurvatis, in medio flavis ſtaminibus, quæ decangularem ſtellam referunt, ſuavis odoris. Sequitur hos fructus turbinatæ figuræ, ſeu inſtar juglandis mediocris, & ejuſdem magnitudinis, primo viridis, mox flavus, ubi plane maturuit fuſcus; finditur ſponte in tres partes. In quolibet fructu ſunt tres nuclei, magnitudine nucleorum dactylorum, in tribus concamerationibus diſtincti, cortice nigro, corticis caſtaneæ craſſitie, in extremitate ſunt maculæ albæ. Ipſe nucleus Amygdalæ figurâ & magnitudine, albus inſtar cuticulæ ovi, exterius etiam pelliculâ albâ obductus, ſaporis inſtar Amygdalæ.

Valide purgant tres aut quatuor nuclei comeſti, & quidem nimis ſi pellicula interior non ſeparetur. Arbor facile tranſplantatur, nam ramus deciſus & terræ infixus, aliam arborem progenerat; ideo ad ſepes vivas faciendas, circum hortos uſurpatur, nam cito creſcit & fructus fert. Nuclei ab omnibus pelliculis liberandi, & leviter torrendi, additis correctoriis in vino macerandi, ſic exhibendi tres vel quatuor. Ricinum Americanum ab hoc diverſum vide apud Piſonem lib. 4. cap. 51. Braſilienſes vocant Nhambu-Guacu, Luſitani Figuero de Inferno.

NUX PISTACEA, quibuſdam Therebinthus Indica Theophraſti, arbor eſt Therebintho ſimilis, foliis colore ex viridi in luteum inclinantibus, Therebinthi modo è ramuſculis utrinque emergentibus. Floret in cacuminibus racematim ut Rhus, exiguo rubro flore. Nuces avellanam oblongam referunt, cortice albo cruſtoſo, magis quam oſſeo. Externâ tunicâ aridâ cinericeâ, deciduâ, medullâ internâ viridi, dulci, ſubacri. Ex Perſiâ, Arabiâ & Syriâ importari ſolet, quamvis in Italiâ quoque in hortis ex nucleo proveniſſe aſſerat Cæſalpinus.

Calefacit nux, humectat, impinguat, roborat, aperit, ſed non multum nutrit, obſtructiones Hepatis reſerat, ventriculum roborat ex ſententiâ Arabum. Ad Venerem ex-

citandam quidam magnopere commendant, macie & marasmo affectis prodest. Contra serpentum morsus valere existimant quidam.

NUX VOMICA officinarum, Nuces vomicæ Seplasiis, quas Metellas genuinas crediderunt Matthiolo. Fungus Orientalis Cæsalpino; quid re verâ sit, aut ex quâ arbore proveniat, nondum certo constat. Corpus est compressum, circulare, instar fungi, abjecto pediculo, in centro apex quidam est, superficies exterior tenuis, lanugine obducta candicante & ad viriditatem inclinante.

Ad Canes & Aves interficiendas iis utuntur; homini etiam noxias existimat Matthiolus; sed Millichius & Renodæus innoxias. Brasavola se ex iis potiones somniferas parasse refert. Imo sunt qui Antidotis permisceant. Compertum quoque est, non omnia, quæ Brutis animalibus Venena sunt, homini nocere.

PHASEOLORUM peregrinorum varia mihi sunt genera, coloribus & magnitudine discrepantia. E Maraghon allatos mihi transmisit Clariss. Vir D. Joh. de Laet, qui figurâ & colore maximâ ex parte conveniunt cum iis, quos describit Carolus Clusius Exot. lib.2. cap.13. Sunt enim magni, compressi, hilo exiguo albo, renali figurâ, quidam prorsus candidi, quidam prorsus nigri, quidam variegati, colore albo & nigro, albo & purpureo, albo & flavo, albo & rubicundo.

Est & mihi Phaseoli Indici genus quod colore cum Leblab convenit, sed in reliquis discrepat. Rotunditate ad Pisi majoris figuram accedit, colore atro purpureo, hilo albo, sed exiguo, medullâ albâ, ut in reliquis Phaseolis. Tegitur lobo membranaceo, cinerei coloris, rotundo apice incurvato. Quilibet verò lobus non nisi unicum obtinet fructum. Ex Indiâ Orientali, cum nostris navibus advectus est à Chirurgo quodam, & mihi dono datus. Sed in Lobo suo adhuc reclinantem fructum ex Hispaniâ mihi attulit Amicus optimus D.D. Ottho Sperling.

CAP. XXXI.

Palmæ sacciferæ, Pinan, Pindoba, Piper Benin, longum, album, nigrum, Tamarindorum fructus, Taniock, Tlilxochitl, Tribulus aquaticus, Vasthema, Zapucanus interior, alia.

IN Americæ Insulâ quâdam desertâ, Coronopez dictâ, genus quoddam palmæ extat, quod fructus suos in involucro quodam pyramidali condit, sacco ei simili, per quem vinum Hippocraticum colant Pharmacopœi, ab ipsis Manica Hippocratis dicto, quo nomine & à Carolo Clusio dicta est SACCIFERA, Saccus creberrimis quibusdam fibris, spadicei coloris, transversim & oblique, ab infimo ad supremum excurrentibus, contextus est, viginti duas uncias longus, eâ parte, quâ patet, septem latus. In sacco hoc fructus continentur, cum externo & viridi suo involucro, juglandis magnitudine, in quibus orbiculares aliæ nuces continentur, adeo duræ, ut cum difficultate ferreo malleo confringantur, etsi putamen non adeo crassum existat. Fructus, quos ego teneo, omni ex parte orbiculares non sunt, sed sessiles & compressi quibusdam in locis, colore griseo ad cœruleum vergente. Nucleus figurâ respondet cortici, sapore leguminoso, aliquantulum amaro, lupinorum instar. De usu eorum adhuc nihil constat.

PINAN Indiæ Orientalis fructus est, vel potius, ut mihi videtur, fructus cortex, tenuis nucis Moschatæ amplitudine, superficie externâ rugosâ, purpureo nigricante, internâ & convexâ flavescente ex nigro mixto, ut in nuce Moschatâ. Charta, cui hic fructus inerat, etiam frustulum continebat, nuclei, ut arbitror, omni ex parte quoad externam figuram & colorem, fragmentum nucis Moschatæ referens; sed sapor diversus, adstringens nempe & parum aromaticus. Hic ille fructus est, quem suprà Indos cum calce vivâ miscere diximus, cui Ciriboam intingunt, ut eo os purgent.

PINDOVA fructus eſt palmæ nuciferæ Braſilienſis, caudice quinque aut ſex pedes craſſæ, cortice cinereo glabro. Folia fert alata, maximâ ex parte ſurrectâ, prope foliorum exortum, rami ſunt propendentes, qui proferunt racemos quatuor aut quinque pedes longos, floſculis plenos, poſt quos etiam racematim proveniunt fructus, vel centum in uno racemo, qui maturi decidunt. Eſt autem fructus ovi magnitudine & figurâ, vel paulò minor, faſtigium in ſummitate habens acuminatum, alterâ extremitate inſidet calici ſeu capulæ, ut nux Pinea, ex foliis triangularibus conſtans. Maturus exterius è viridi flaveſcit. Cortex exterior filamentoſus, ut in Cocco, ſed non admodum craſſus; illo detracto apparet pauca caro Crocei coloris (ſed in meo fructu, utpote vetuſto, nigri) nullo manifeſto ſapore; quæ ab Æthiopibus comeditur. Hæc ambit nucem duriſſimam, ovalem, ejuſdem craſſitiei cum Cocco. Hac diſcuſſâ, apparet intus in cavo, per interſtitium, more juglandis diſtincto, nucleus, magnitudine juglandis, candidus, duriuſculus, ſaporis ſuavis & dulcis.

Ex carne Croceâ fit oleum Croceum, quod in lucernis uſurpatur. Ex nucleo limpidiſſimum per expreſſionem, ad condiendos cibos, quam diu recens eſt. Quod etiam loco olei Roſacei uſurpatur; ſed vetus lucernis ſaltem inſervit. Ex foliis fiunt tecta domorum, ſtoreæ, corbes & alia. Majo menſe matureſcit fructus.

PIPER, Græcis πέπερι, duûm eſt generum, longum & Rotundum. Rotundum vel nigrum vel album: Longum pariter vel album, vel nigrum.

Nigrum Piper Rotundum, planta eſt ſarmentoſa, imbecillis & caduca inſtar lupi ſalictarii, quæ ut fulciatur, pedamentis indiget; quocirca Indi ad arborem Faufel ſerere ſolent, quam circumvolvendo ſcandit, ſarmenta habet frequentibus nodis & geniculis

distincta, quæ humi sparsa radices agunt. Ad singulos nodos singulare protrudit folium, alternatim, nunc in hac, nunc in illâ parte, hederaceum fermè, tenue, latum, quatuor quandoque Unciarum latitudine, in mucronem desinens, non serratum, quinque nervis præditum.

Ad ramorum internodia uvæ nascuntur, teretes & oblongæ, multis granis orbicularibus, nunc majoribus, nunc minoribus, scopo adhærentibus. Grana perpetuo virent, præterquam Decembri aut Januario, ut maturari incipiunt, ità sensim nigrescunt.

Piper album rotundum in aliâ crescit plantâ, attamen priori sarmentis & foliis adeo simili, ut non major inter eas sit differentia, quam inter vites quæ uvam albam & nigram proferunt.

Quamvis Ludovicus Romanus arborem, quæ album Piper profert, crassiorem & proceriorem, foliisque majoribus esse referat. Rariores sunt plantæ Piperis albi, nec nisi certis Malavar & Malaccæ locis crescit, atque in usus magnatum tantum cedit.

Piper longum Orientale album, in plantâ diversissimâ à rotundo provenire vult Linscotanus & Garcias ab Horto: sed Clusius, qui ramulum ejus ex Javâ nactus erat, non multum differre docet. Folia tenuiora dilutiorique viriditate, tum breviore pediculo, pluribus nervis prædita. Fructus Julorum instar, ad singula internodia oriuntur, ex ipsius folii oppositâ parte. Cætera non addit, quia integram plantam ipsi videre non contigit.

Piper longum nigrum, Piper Æthiopicum Matthioli, Piper nigrorum Serapionis. Provenit in siliquis nigris racematim, Pisorum aut Phaseolorum modo, granis Pipere nigro minoribus, & pertinaciter siliquis inhærentibus. Nascitur in Æthiopiâ apud Arabes.

Omne Piper calefacit gradu tertio & exsiccat. Integra grana nigri, rotundi, quotidie devorata iis auxiliantur, qui ventriculi dolore, tum ex flatu, tum cruditatibus exorto, laborant. Aceto & sale virentis & immaturi Piperis nigri racemos condiunt Indi & asservant. Piper candidum nigro calidius, longum verò calidius adhuc, rotundum utrumque majorem invicem habent affinitatem, quocirca monet Garcias, ne temerè unum pro altero substituatur.

Piper longum Brasiliæ, idem esse putabam cum eo quod supra Ciriboa diximus, licet separatim mihi sint, diversis titulis transmissa: sed re bene ponderatâ, & collatis invicem fructibus, differre animadverti tam magnitudine quàm sapore & aliis circumstantiis, adeoque longè majorem convenientiam habere cum Mecaxuchitl, de quo supra à nobis actum.

Piper benin illud esse suspicor, quod Clusius Arom. lib. 1. cap. 2. vocat uvam caudati Piperis, & Lusitani Pimenta del Rabo, Garetti Piper ex Guineâ. Cubebis ferè simile, pediculo subnixum exiguo, rotundum, plenum, aliquantulum rugosum, subnigricans, eâdem acrimoniâ quâ Piper præditum, aromaticum, racematim cohærens. Uva mea uncialis est & grana aliquo modo colore ad purpureum tendunt, ac quasi pulvere consperſa visuntur. Granis viginti quinque tota constat uva, inhærentibus longiusculo petiolo & incurvato suis singula pedicellis; communis Piperis granis minora sunt aliquanto.

Tamarindorum fructus, manipulatim algâ quâdam compactos, & pulpâ suâ conditos ad nos attulerunt naves Belgicæ, quæ anno MDCLIII. ex Indiâ Orientali huc venerunt. Fructus est siliquosus, oblongus, quatuor aut quinque unciarum longitudine, colore fusco, pulpâ molli & acidâ, fibras ad latera duras, longas, transversas quoque habens, in petiolum durum uncialis longitudinis terminantes. Semina seu nucleos crassos, inæquales, duros in se continebant, qui tamen ex hisce nostris siliquis, maximâ ex parte, exempti erant. Arborem in quâ crescunt ita describit Prosper Alpinus de plantis Ægypt. c. 10. Tamarindus, quem Develside appellant, arbor est pruni magnitudine, ramis densis, myrthi foliis, flores fert albos, mali Aurantii floribus perquam similes, ex quorum medio exeunt quatuor fila alba & tenuissima, ex quibus siliquæ crassæ producuntur, primo virides, tandem cinericiæ, & tales quales jam descripsimus. In Indiâ, felici Arabiâ, & Æthiopiâ proveniunt. In hac arbore mirum, quod ejus folia Solem semper sequantur; nam ipso Occidente omnia in se clauduntur, eodem Oriente aperiuntur, ac siliquas quas noctu ambiebant nudas relinquunt.

Foliorum infuso vel decocto, ad vermes puerorum necandos, utuntur, alvum enim solvunt,

ſolvunt, acida ſunt & guſtui non ingrata, in hunc modum & fructu utuntur. Arabes ſiliquas immaturas ſaccharo condiunt, ut & pulpam ipſam, ut ſecum per longa itinera deferant, iiſque ſitim exſtinguant. Decoctum Tamarindorum ex aquâ, in febribus malignis valde utile, ſitim enim & calorem extinguit, acres & bilioſos humores per alvum ejicit, in renum inflammationibus & gonorrhœâ ejus uſus frequens commendatur.

TANIOCK ex Oriente, potius calicem floris alicujus, quam fructum refert; Pediculo tenui inſidet corpuſculum cinereum ſemiunciæ longitudine, quod mox ab ortu in quatuor dehiſcit partes, quæ contortæ in acutum deſinunt. In medio parva quædam ſtamina ſeu filamenta viſuntur. Cujus arboris aut plantæ ſit fructus ignoro, nudum enim nomen accepi.



TLILXOCHITL herba eſt volubilis, foliis plantaginis ſed longioribus & craſſioribus, ſcandit arbores, eaſque complectitur, fert ſiliquas oblongas anguſtas & quaſi rotundas, quæ Balſamum redolent novæ Hiſpaniæ. Fructus, quem teneo, longitudine eſt unciarum octo, latitudine dimidii digiti, exterius ex viridi luteus, interius pulpâ nigrâ odoratiſſimâ præditus, minutiſſimis granulis nigris refertus. Ferunt duas ſiliquas aquâ maceratas, mirifice urinam movere. Miſcetur alioqui celebri potioni ex Cacao confectæ, fructus certè odore gratiſſimo.

TRIBULUS AQUATICUS, Butomos Damocratis Anguillar. Licet in Italiæ fluminibus ac lacubus, alibique in Germaniâ ſit frequens, apud nos tamen exoticus eſt.

Folia habet lata, ſubrotunda, craſſa, parte averſâ maculatâ, nervoſâ, per ambitum ſerratâ, craſſis pediculis, caulem craſſum, pinguem. Radicem longam, fibroſam, capillaceam. Fructus quadruplici armatus eſt ſpinâ ſeu mucrone, duabus aliis protuberantiis obtuſis, in medio eorum extantibus, cortice membranoſo, albâ intus medullâ, guſtu caſtaneis haud abſimili, unde & vulgus caſtaneas vocat aquaticas. Bellariorum loco menſis apponuntur. In annonæ defectu, quandoque ex nucleo farinam conficiunt, ex quâ panes ſub cineribus affant, ut guſtui ſint gratiores.



VASTCHIMA fructus eſt unciarum duarum longitudine, craſſitie minimi digiti, contortus, & in ſpiras à Baſi in ſummitatem circumvolutus, exteriore ſuperficie tomentoſus, & quaſi vellere quodam obductus, quod ubi abraditur, nigra apparet ſtriarum ſuperficies. Pediculo adhæret tenui, fuſco, quinque unciarum longitudine. Duo ejus generis mihi fructus ſunt, quorum alter rectus, alter contortus & in ſe convolutus pari modo tomento obductus. Neſcio an Abaremo ſit Piſonis lib. 4. cap. 29.



Alium fructum tomentoſum mihi exhibuit Clariſſ. Vir D. Henricus Fuirenius. In eo tomentum lene, & breviculis conſtans fibris albo purpureis, nucem ambit nigram ſplendidam, oblongam, majoris avellanæ magnitudine, cujus cortex ater, lævis, durus, ligneus, in quo nucleus eſt, quem deſcribere non licet, quia, unicus ſaltem cum mihi ſit ejus generis fructus, frangere nolo. Sed puto eſſe fructum arboris Jetaibæ, ex quâ Balſamum Canimæ depromitur.

ZABU-

ZABUCAIO arbor eſt Braſiliæ altiſſima, cortice cinereo, duro & inæquali, inſtar Quercus veteris. Folia ejus juniora rufa ſunt, vetuſtiora viridia, ſimilia foliis Mori, in ambitu ſerrata & quodammodo intorta. Calices producit capaciſſimos & ſummæ duritiei, ore in terram obverſo, & operculo inſtar pyxidis opertos.

In iis continentur nuces jucundi ſaporis, quæ, ubi maturitatem fuerint conſecutæ, excuſſo tegumento è calicibus decidunt, & gratum Incolis ſuppeditant alimentum, ſapore Piſtaceis ſimili.

Calidi ſunt in ſecundo gradu & ſicci in primo, Venerem excitare dicuntur, potiones & pultes ex iis conficiunt; oleum quoque exprimitur, Amygdalino ſimile: præſtat aſſatis quam crudis veſci, quod caput tentent.

Nuces pluſquam triginta uni calici inhærent, mediante viſcoſâ materiâ, figurâ fermè triangulari, Myrobalanis Chebulis ſimiles. Mihi duo ſunt, quorum major longitudine eſt unciarum duarum, utrinque acuminatus, & Zonis quaſi quibuſdam per longitudinem excurrentibus cinctus, colore gilvo. Pixides, quibus fructus continetur, tantæ ſunt duritiei, ut Zapuyeris non ſolum vaſa potoria, ſed & diſcos & ollas ſufficiant; fructuſque fert tam copioſos quandoque, ut integro exercitui alendo ſufficiat. Lignum putredini mire reſiſtit, & ob duritiem molendinorum ſaccharinorum axes ex eo fabricantur. Cortices contuſi & præparati, naupegis loco ſtupæ ſunt.



Sub nomine PALMÆ INDICÆ fructus, lapide durioris, mihi oblatum eſt corpus quoddam, juglandis magnitudine, colore luteo, cujus pars altera lævis eſt, ſed inæqualis, monſtroſam faciem quodammodo referens: altera verò pars corpora quædam anguloſa, terrenâ ſubſtantiâ unita & coagulata, oſtendit. Ætitem adeo repreſentat, ut fuerint qui non fructum aut vegetabile corpus, ſed lapidem eſſe exiſtimaverint.

SEMINA.

CAP. XXXII.

De Seminibus.

QUAMVIS variorum ſeminum mihi ſit haud contemnenda copia, quæ ætate corruptionem ſubeunt & ſationi inepta redduntur: paucorum ſaltem & rariorum ex Indiâ, Ægypto & Cretâ, &c. advectorum hic fiet mentio, ne hanc plantarum partem taciti præteriiſſe videamur. Majoris igitur momenti breviter ſaltem enumerabimus, additis eorum nominibus, qui plantas ipſas deſcripſerunt. Amanati plantam non invenio à quoquam delineatam, Aſphalati Cretici herba deſcribitur à Proſpero Alpino de plantis Exot. lib. 1. cap. 7. Bamiam Honorius Belli Epiſt. 5. ad Cluſium, Bauhino Alcea Indica parvo flore, quibuſdam exotica Malvacea Bammia. Lobel. in Adverſariis, Cluſius in Hiſt. Plant. ſub nomine Alceæ Ægyptiacæ delineat. Ceris Cretica à Lobel. in Adverſ. Cupreſſus paſſim à multis, Matth. Lobel. Dodon. Cordo, Goſſipium Matthiolo, Guiland. Fuchſ. Dodon. Leontopodium Creticum Proſp. Alp. Plant. Exot. lib. 1. cap. 51. Leſban qui deſcripſerit nondum à me viſus, Lotus Cretica ſiliquoſa quæ Cluſio dicitur Planta in Hiſt. Bauhino eſt Lotus Pentaphyllus, ſiliquoſus, villoſus, Lobelio in Adverſariis Oxytriphyllum alterum Scribonii. Melochia Alpini Bauhino eſt Corcoris Plinii, in quâ opinione etiam eſt Lobelius & Lugdunenſis. Olus Indicum Avicennæ Rawolfio. Petroſelinum Macedonicum Matthiolus deſcribit, Lobelius in adverſariis & alii, Apium Macedonicum Bauhino, Nabka eſt Alpino Paliurus Athenei. Oenoplia ſpinoſa Honorii Belli. Epiſt. 5. ad Cluſium. Seſamum delineat Matthiolus Lobelius, Dodoneus, Tabernamontanus, alii, Sophera Galegæ proxima Alpino, Hoxoquamoclit Camerario, Sophera Lentiſci foliis Honorio Belli Epiſtol. 4. ad Cluſium. Vide quæ in ejus deſcriptione ab Alpino prolatâ deſiderat Caſpar Bauhinus Pinac. lib. 9. ſect. 6. In coſtæ, inquit, extremitate malè poſuit folium, dein ſiliquas dependentes facit, cum ſurſum ſpectent. Styracis Hiſtoriam perſequitur Plinius lib. 12. cap. 25. Matthiolus quoque Lobelius, Tabernemont. Geſnerus. Sumach mihi in horto creſcit & fructus ac ſemina profert. Deſcribitur à Matthiolo, Lobelio, Camerario, & aliis.

Vulgarium ſeminum, quæ in loculis ſervo, addam ſyllogen, quæ paſſim reperiuntur apud authores, qui de plantis ſcripſerunt, ut Myagri Monoſpermi, Myrrhidis, Scorzoneræ Hiſpanicæ, Siſari, Cepæ, Cucumerum, Trifolii odorati, Plantaginis Roſeæ, Phaſeoli purpurei, albi, nigri, Calendulæ proliferæ, Violæ marianæ albæ, Cœruleæ, Chriſtophorianæ, Perfoliatæ, Raparum, Loti odoratæ, Heſperis, Hyoſpiami Hiſpanic. Galegæ, Acetoſæ Americanæ, Cardui mariæ, Angelicæ, Amaranthi majoris, Graminis Mannæ, Tordilii, Alyſmatis, Cyani variis floribus, Arachidnes, Ricini vulgaris, Americani, Stramonei, Lathyridis flore eleganti, Milii ſolis, Cardui ſphærocephali, Cardui Lactei, Chamepyteos, Monſpeliaci, Evonymi, Gentianellæ, Helleboraſtri, Parietariæ, Nucis Veſicariæ, Aquilegiæ flore pleno, Periclymeni, Alkakengi, Laurozini, Ari, Chondrillæ elegantis, Cicutæ, Indis, Boni Henrici, Dulcamaræ, Sigilli Salomonis, Amaranthi medii, Been

Albi,

Albi, Syringæ, Pisa Æthiopica, Scorpioidis majoris, Panacis peregrini, Lupini cœrulei majoris, Rhapontici veri, Loti Tetragonolobi, Phalaris, Crupinæ, Thlaspios, Bliti albi, Milii Hispanici, Sonchi Africani, Sorbi torminalis, Meliloti Italicæ, Lactucæ, Nigellæ, Lathyridis, Scabiosæ Centauroidis, Valerianæ Græcæ, Atriplicis Americanæ, Lentis majoris & minoris, Othonnæ flore pleno, floris Solis, Cochleariæ Chrysantemi, Viburni, Meleagridis flore albo, Panacis Asclepias, Ligustri Hispanici, Cnici, Abel Mosch, Magabæ, Tebeschi ex Oriente, &c.

Semen MAX ceu MUNGO, quale describit Garcias ab Horto l. 2. c. 21. mecum communicavit Vir Clariss. Erasmus Brochmand, non quidem nigrum, sed viride adhuc. Figurâ mihi magis convenire videtur cum semine lithospermi, quam coriandri, ablatâ exteriore tunicâ, substantiâ est albicante, sapore leguminoso. Pabulum equorum esse in Indiâ scribit Garcias, & ab hominibus quoque comedi; Incolas autem in Guzavate & Decan, in febribus uti hoc modo: Febricitans cibis abstinet per decem, vel quindecim dies, (quod durum) post quos hujus seminis decoctum illi propinant, in quo nonnihil pulpæ remanserit, deinde cortice delibratum, & instar Orizæ coctum, febricitanti exhibent, Panem vero triticeum non nisi post multos dies.

CAP. XXXIII.

Gummata.

AMMONIACUM gummi sic dictum, quod in Africâ juxta Cyrenen, & Ammonis Oraculum gignatur, arbore quadam aut frutice ferulaceo succum hunc stillante. Vocant autem hunc fruticem cum radice Agasyllim: Colligitur mense Junio. Probatur bene coloratum, ligni & calculorum expers, thuris similitudine, minutis glebis, densum, sincerum, nullâ sorde spurcatum, gustu amarum, odore castorei.

Mollit, extrahit, calefacit, tubercula duritiesque discutit, alvum solvit assumptum, partus extrahit, lienem consumit pondere ʒj. Articulorum & Coxendicum doloribus prodest, Asthmaticis, Orthopnoicis, quibus pectus lento scatet humore, cum melle aut succo ptisanæ, auxilio est: duritiem enim & tophos discutit.

GUMMI ARABICUM verum ex Acaciâ Ægypti spinâ destillat, laudatur vermiculorum in speciem contractum, vitri modo pellucidum, purum. Proximum est candidum; sordidum & resinosum inutile. Illud, quod in officinis vendunt pro Gummi Arabico, est miscella gummi variarum arborum.

Vim habet inspissandi, refrigerandi, cutis meatus obstruendi, medicamentorum acrimoniam hebetandi. Ambustis ex ovo illitum, pustulas non patitur erumpere.

BDELLIUM lachryma est arboris Saracenicæ, gustu amara, translucida, taurini glutinis modo intus pinguis, si tactu subigatur mollescens, ligni ac sordium expers, incensa odorem unguis marini præbens. Ejus lignum supra delineavimus.

Calefacit & emollit durities, Hernias aquosas cum salivâ jejuni discutit, partus extrahit, suffitu vulvam laxat, Calculos comminuit, urinam movet. Valet ad vulsa, rupta, laterum dolores & flatus discursantes. Emplastris miscetur, quæ contra nervorum durities ac nodos fiunt, contusa resolvitur affuso vino aut aquâ calidâ.

Ex arbuſculâ CAA-OPIA tractus Braſilienſis Gummi quoddam elicitur magnarum virium. Si enim cortex hujus arboris medius incidatur, præſertim quando incipit florere, & linquatur per unum aut alterum diem, exſudat lachrymam Croceo rubeam, quæ coagulatur, initio mollis, ſed ſenſim indureſcit. Magnam affinitatem habet cum Gutta Gemu, nam purgat eodem modo & diſſolvitur; ſed eſt rufi magis & nigrioris paulò coloris, tingitque colore aureo paulò ſaturatiore. Diſſolvitur in ſpiritu vini: Luſitani vocant COMA LACRA.

Mihi à Clariſſ. Viro D. Joh. de Laet tranſmiſſa maſſa purpureo colore nigricat, & impurior, feſtucis & ligni particulis adhærentibus; ſed diſſolutum flavo tingit colore.

Gummi aut lachrymam hanc ex arbore eliciendi hunc modum invenit Guilhelmus Piſo. Ignes luculenti ſtruuntur juxta arborem, quorum poteſtate cortex dehiſcit, majoremque fundit lachrymæ copiam, quæ in maſſam coagulata ſervatur. Hujus Gummi in aquâ diſſoluti affrictu impetigo tollitur. Licet tantæ efficaciæ non ſit, ac Gutta Gamba, tamen à Drachmâ ſemis ad Drachmam unam, per integram noctem in aceto ſcyllitico, aut ſpiritu vini maceratum, ex vino propinatum, ventrem ſolvit, fortiterque per inferiora evacuat: ſed Pillulas accedente ſtimulo, ſi ex eo fiant, melius officium ſuum facturas putat Piſo; quod ob tenacitatem difficilius diſſolvatur in potionibus.

Arborem, ex quâ hoc Gummi petitur, deſcribit idem Piſo de facultatibus ſimpl. l. 4. c. 9 in hunc modum. CAA-OPIA humilis ac tenera eſt arbuſcula guttifera, à Luſitanis PAO DE LACRA dicta, quod Gummi, ſeu gutta quædam viſcoſa ex ejus cortice defluat, paſſim & è quovis terræ genere progerminat. Ligno eſt lento, cortice è cinereo rufeſcente, diſpeſcitur in multos ramos, folia habet ſolida, inferiore parte ex viridi rufeſcente aſpera, ſuperne dilute viridia & ſplendentia. Florum in Umbellas congeſtorum rudimenta ſunt globuli bruni, magnitudine lentis, qui ſucceſſu temporis protrudunt

dunt flores quinque foliolis conſtantes, exterius ex viridi flaveſcentis coloris, interius tomento albo veſtitos, & ſtaminibus luteis ſubtilibus repletos. Poſt flores proveniunt Baccæ, primo virides, magnitudine Ceraſi, rotundæ, quæ diſſectæ, ex molli quo teguntur cortice, ſucci multum eleganter flavi exſudant. Intra corticem verò continetur pulpa alba, conſtans meris Cylindris, juxta ſe poſitis, qui ſibi invicem cohærent. In extremitatibus ramorum, qui florum rudimenta, aut flores ſuſtinent, ſemper duo folia acuminata, brunni coloris, compacta ſunt invicem, & haſtam ſeu venabulum referunt; Hæc decerpta ex pediculo Croceum humorem emittunt. Florent hæ arbores potiſſimum menſe Novembri & Decembri: Januario & Februario baccæ ſunt maturæ.

ELEMI Gummi, cujus ſit arboris lachryma, nondum adhuc certo conſtat. Quidam Cedri eſſe putant, quidam oleæ Æthiopicæ, quidam ignotæ arboris. Rarò verum ad nos adfertur. Quod probum, Scammonio ſimile eſſe debet, reſinoſum, fulvum, ſtillis exilibus conſtans, mordax.

Commendatur in primis ad vulnera ſananda Emplaſtris aut unguentis additum. In calvariæ fracturis ſumme conducit, medicamentum præclarè ſuis fungens partibus, genuinum haberi ubi poteſt.

GALBANUM liquor eſt ferulæ Syriacæ, optimum habetur quod conſtat granulis multis, merum, thuris effigiem præbens, pingue, non lignoſum, nonnihil ſeminis è ſuâ ferulâ habens, odore grave, neque humidum, neque aridum.

Calefacit, extrahit, diſcutit, menſes ac partum trahit, appoſitu, vel ſuffitu, lentigines tollit aceto aut nitro perunctas, ad tuſſim veterem & Dyſpneam exhibetur. Cum vino & Myrrhâ toxicis adverſatur, & mortuos extrahit partus. Hyſtericos, Epilepticos, vertiginoſos, ſuffitu ſuſcitat.

GUMMI HEDERÆ ex Hederâ colligitur arboreâ, menſe Majo, vulneratâ juxta majorem truncum arboris. Uſque adeo magnum non habet uſum, niſi quòd pediculos necare & pilos evellere ſoleat.

OPOPANAX ſuccus eſt plantæ ferulaceæ, Panax dictæ Heracleum, vel, ut quidam volunt, Chironium. Colligitur conciſâ radice & caulibus, tribus digitis ſupra terram. Probatur amariſſimum, intus candidum aut ſubflavum, foris ad auri colorem inclinans, læve, pingue, Galbani inſtar lenteſcens, friabile, grave olens, &, dum reſolvitur, propius ad lacteum liquorem accedens.

Purgat pituitam lentam, craſſam, è remotis partibus, cerebro, nervis, juncturis, thorace. Frigidis competit affectibus, tuſſi antiquæ, viſus imbecillitati, ſpirandi difficultati, podagræ, gonagræ; lienis tumorem levat, hydropi, ſtranguriæ conducit, menſes movet, uteri affectibus auxiliatur. Solutum in aceto dentium dolori & eroſioni confert. Potum cum aceto ante acceſſionem, rigores febriles tollit.

SAGAPENUM ſuccus eſt plantæ cujuſdam, quæ Sagapenum dicitur, ferulaceæ, Panaci affinis, quæ in Mediâ naſcitur. Optimum habetur, quod ſincerum, pellucidum, foris ruffum, intus cum frangitur flavis aut candicantibus guttis compactum, inter digitos lenteſcens, medio inter Silphium & Galbanum odore, acri guſtu.

Purgat pituitam craſſam, humores lentos & aquas è ventriculo, inteſtinis, cerebro, nervis, thorace, pulmone, juncturis. Morbis frigidis cerebri & nervorum, Epilepſiæ, Paralyſi, tremori, colicæ & ventriculi dolori ſuccurrit; lenta ex pulmonibus & thorace educit, tuſſi antiquæ confert; ſplenis duritiem & inflationem curat cum aceto illitum, menſes movet, fœtum evocat, uterinis affectibus ſuccurrit, attenuat, diſſipat & reſolvit.

SARCOCOLLA lachryma eſt arboris in Perſide naſcentis, thuri ſimilis, fructicoſæ, ſpinoſæ, ramis nodoſis. Gummi ipſum album eſt thuris modo, cum acrimoniâ & amarore quodam.

Pituitam & crudos humores expurgat, à nervis, juncturis, & partibus remotioribus. Senibus, Pituitoſis, Aſthmaticis, tuſſientibus commoda, ſed calvitiem accerſere, corpus impinguare, & ſperma augere creditur. Aurium ulceribus putridis & ſanioſis imponitur, vulneribus cavis inſpergitur, ad novæ carnis regenerationem.

TACAMAHACA ex novâ Hiſpaniâ adfertur, colligitur ex arbore Populo magnitudine reſpondente, odoratâ, fructum ferente rubrum, ſemina papaveris modo, colore eſt Galbani, unguibus albis, odore gravi.

Calidum eſt Gummi, reſolvit, maturat, diſſipat dolores & tumores. Uterinis affecti-

bus in primis conducit, emplastri modo umbilico impositum, & suffitu naribus admotum; dolores, ab humoribus frigidis & flatulentis ortos, Emplastri modo dissipat. Defluxiones reprimit linteo exceptum, ad utramque aurem; temporibus admotum ad oculos defluentes detinet, inditum dentibus corruptis dolorem mitigat, & corruptionem prohibet. Ventriculo conducit, juncturarum & nervorum vulneribus impositum, spasmum impedit & curationem accelerat.

TRAGACANTUM succus est aut lachryma Tragacanthæ plantæ spinosæ, ex cujus radice exstillat. Probatur album, pellucidum, gracile, leve, sincerum, subdulce, salivâ lentescens. Viribus parum differt à gummi Arabico, aut vulgari, cutis poros obstruit, fauces exasperatas lenit, tussim mitigat, catharros curat in Linctibus. Contra dolores Renum & Vesicæ cum cornu Cervi usto, Drachmæ pondere bibitur in passo liquefactum.

CAP. XXXIV.

Succi varii inspissati.

ALOE tam de plantâ ipsâ, quam de succo ex eâ expresso capitur, ex Indiâ allato. De plantâ aliàs egimus, hic succus venit expendendus, cujus duo præcipua genera in officinis extant. Alterum arenosum, quod fæx & crassamentum quasi est alterius, Caballinum dictum quibusdam, quia illo utantur Veterinarii in equorum curatione. Alterum HEPATICUM, quod Hepatis modo coactum & condensatum sit. SUCCOTERINUM alii vocant à nativo solo, Insulâ scilicet Succoterâ, in quâ copiosè provenit optimæ notæ.

Eligenda pinguis, nitida, calculorum expers, subflava, hyeme friabilis, æstate molliuscula, Hepatis modo coacta, facile humescens, eximieque amara. Lavatur quandoque ut quod arenosum est subsidat & abjiciatur, & quod pingue ac leve est retineatur.

Bilem & pituitam purgat, affectibus ventriculi & cerebri appropriata. Ferunt crebrum ejus usum, sensuum instrumenta & corpus reliquum ita præservare, ut nullo insanabili affectu tentari possint. Sensus acuit, Hepati confert, Ictero medetur; iis verò noxia quibus Hæmorrhoides dolent. Foris admota adstringit, & ora venarum agglutinat; intus aperit.

ASA à quibusdam duplex constituitur, dulcis seu odorata, quam officinæ BELZOINUM vocant, & fœtida, quæ est Avicennæ ALTIT.

ASA DULCIS, BELZOINUM officinarum, BENZOINUM & Ben Judæum quibusdam, Laser non esse, firmis satis argumentis ostendit Garcias ab Horto lib. 1. Arom. cap. 5. Arbor in quâ provenit procera est, vasta, pulchra, umbram late diffundens ob ramorum frequentiam, quos pulcherrimo ordine digestos, & in altum sublatos habet, caudice est crasso, materiâ prædurâ & firmâ, folia minora aliquanto Citri seu Limonii foliis, non tamen adeò virentia; sed parte aversâ candicantia, quæ in minoribus ramis enascuntur, ad salicis folia magis accedere videntur, latiora tamen sunt, sed minus longa. Quidam Agallochum, seu lignum Aloës hanc arborem esse arbitrantur. Nascitur in silvis Malaccæ loco humidiore. Vulnerantur arbores ut majori copiâ effluat. Novellæ Benjuvi de Boninas, quod odoratius, proferunt. Præfertur reliquis Amygdaloides, quod ungues seu maculas candidas Amygdalarum instar admixtas habet, ac in Insulâ Zeilon provenit. Quidam tria constituunt genera. 1. Amygdaloides. 2. Nigrius. 3. Nigrum odoratius, cui tamen Asæ nomen proprie competere non existimant quidam.

In pectoris & pulmonum vitiis locum habet, Chymici flores ex eo præparant, quibus multum tribuunt in hisce affectibus. Odoratum cum sit, in suffimentis & odoramentis locum obtinuit haud infimum. Ex eo quoque fucum eximium faciem & manus dealbantem hoc modo præparant. ℞. Assæ dulcis ℥j. spiritus vini ℔j. stent in infusione per biduum in B. tepido & quotidie aliquoties agitentur, destilla igne mediocri in B. ad siccitatem. Liquor servetur, cujus si guttas aliquot in aquam communem aut Rosaceam infuderis, lacteam totam reddet, quâ lavanda facies, &c.

ASA FOETIDA, Altit Avicennæ, Anjuden Indorum, Succus Lybicus, Medicus, Syriacus, Cyrenaicus, duûm est generum: alterum quod ex caule provenit, καυλὸν seu scapa-

ſcaparium; alterum quod ex radice ῥιζίων Radicaceum vocabant. In officinis duplex invenitur Aſa Fœtida. Una pura & tranſlucens, altera impura & turbida, quam Germani ſtercus Diaboli & Teufels-dreck vocant. Quibuſdam Laſer eſſe putatur. Acoſta refert ſe à quodam accepiſſe, ſuccum hunc ex Plantâ quâdam foliis Coryli extrahi, conciſo caule, deinde in bubula coria conjici, prius illita ſanguine, cum tritici farinâ permiſta conſervationis gratiâ, eamque ob cauſam, ſi quid in Laſere furfuribus ſimile conſpiciatur, non adulterationis, ſed puritatis potius eſſe indicium.

In Indiâ frequens ejus uſus eſt, tam in Medicamentis, quam cibis condiendis. Juſculis & oleribus commiſcent, confricato ex eâ lebete; ad dejectum appetitum commendatur, faſtidia tollit, flatus diſcutit. In dolore dentium eorum cavernis inditur, in Venere proritandâ etiam eâ utuntur Indi, magnique apud eos eſt pretii. Apud nos odorandam eam præbent mulieribus hyſtericis, magno commodo: dolores ſedat, & commotiones tollit.

Balsamorum tres mihi ſunt ſpecies ordine explicandæ. Nobilitate merito primum locum occupat Orientale, cujus ſpecimine donatus ſum à D. D. Henrico Fuirenio. Quia accurate ſatis ejus hiſtoriam perſecutus eſt Proſper Alpinus, qui in Ægypto ejus notitiam ſibi comparavit priſcorum autoritatibus conformem; ex eo pauca hic ſunt repetenda.

Planta Balſami Orientalis ab antiquis Arabiæ Medicis Baleſſan, à Græcis Balſamum vocata, Arbuſcula eſt ad magnitudinem Cytiſi creſcens, folia gerens pauciſſima, inſtar Rutæ, iis tamen candidiora, ſeu colore viridi ſubalbido, perpetuoque virentia. Ejus lignum gummoſum ac lene apparet, colore exterius ſubrubro, ramulis longis, rectis, gracilibus, paucis foliis inordinatim dotatis. Folia ſimul terna, quina, aut ſeptena, alæ adnata. Ramuli ipſi odorati, gummoſi, digitis tenaciter adhærentes.

Flores fert parvos, albos, Acaciæ proximos, ternos in ſingulis alis; in umbellæ formam, ſumme odoratos, à quibus ſemina promanant flava, folliculis nigris, ſubrubentibus, contenta, valde odorata, intus humorem flavum melli ſimilem habentia, ſapore ſubamaro, parumque acri, linguam ferientia, opobalſamum redolentia; Therebinthi fructuum figuræ & magnitudinis æmula, extrema aculeata, & medium craſſum obtinentia. Ex fiſſuris ramorum hujus fruticis egreditur quidam liquor in canicularibus diebus, ſicut lac ex Tithimallo.

Opobalſamum menſe Junio, Julio, Auguſto, partim ſponte, partim ſtipite ferro ſcarificato deſtillat, in vitreaque vaſcula recipitur. Quod ſtatim eductum colore eſt albo, qui paulo poſt in viridem, tertio in aureum, & demum in melleum mutatur. Ejus ſucci ſubſtantia primo turbida eſt, craſſaque ut oleum ſtatim ab olivis expreſſum, poſtea tenuiſſima & clariſſima, demum Therebinthi modo craſſeſcit, odore eximio in primis atque acutiſſimo, Therebinthum redolens, cum ſuaviori odoris fragrantiâ, ſapore amaro, acri, adſtringente. Primis diebus leviſſimum eſt, adeo acuti & validi odoris, ut aliquibus inter odorandum ſanguinem è naribus elicuerit: in aquam ſtillatum, præ levitate non deſidet, ſed ex alto in eâ projectum, parumper in ipſâ mergitur, fereque continuo aſſurgens, ſupra totam aquæ ſuperficiem totum expanditur, eique miſcetur, & citiſſime ita in eâ diſſolvitur, ut ab aquâ maximâ difficultate ſeparatum ſecernatur; in quâ paulo poſt concreſcit atque coagulatur, coagulatumque totum ſtylo ab aquâ eximitur, quod tunc colore lacteſcit, ſive album ut lac viſitur. Quanto hic ſuccus annoſior, eo fit inodoratior, atque ad motum ſegnior. Liquor hic primo albo colore conſpicitur, mox paucis diebus in viridem mutatur, Olei craſſitie, dein attenuatur, & poſt aliquot annos aureus redditur. Demum ſenectute craſſeſcit inſtar Therebinthinæ, ut ſupra innuimus, ac in aquâ ſubſidet, & lente ſupra aquam fertur, ac tardiſſime in eâ diſſolvitur. Quocirca Opobalſamo quatuor juxta hanc varietatem tribui poſſunt ætates, adeò ut in ultimâ ſenectâ, neque ſupra aquam natet, neque multum ſuaviter oleat.

Vires Balſami pro ratione ætatis differunt: cum recens eſt, igneis & aëreis abundat partibus & ſuaviſſimo halitu. Per os exhibitum viſcerum putredinem & corruptiones tollit, abſceſſibus Hepatis & renum conducit, pulmonis ulceribus prodeſt, in bolo aut linctu. Vulnera citiſſime conſolidat; condiendis & à putredine ſervandis corporibus etiam olim quandoque inſerviebat. Theriacæ compoſitionem ingreditur.

BALSAMUM ANIMÆ, vulgo Canimæ dictum, ex arbore diſtrictus Paraybe provenit, quæ Jetaiba dicitur. Ligno eſt duro, albo, cortice lento, punctulis ex albo flaveſcentibus. In ramis continet folia directe oppoſita, figurâ parvâ, ſed oblongâ, viridia, ad tactum lævia, nervo ſecundum longitudinem & venulis tranſverſis, eleganter inferius conſpicuis, prædita. Fractæ ſiliquæ ſeu malleo contuſæ continent in ſe ſubſtantiam farinaceam filamentoſam, pallide ſubincarnatam, tactu molliſſimam, referentem farinam ſiligineam leviter humectatam, quæ pulteſcere incipit, ſaporis alioqui farinacei & ſubdulcis. Huic autem ſubſtantiæ tres aut quatuor lapides, magnitudine dactylorum, ſunt involuti, figuræ ovalis, ſed in duobus lateribus compreſſi, duri, glabri, coloris caſtanei. Pulpa comeditur cruda, eſtque ſaporis haud contemnendi, quâ animalia & homines in peregrinatione ſæpe ſe ſuſtentant.

Ex ipſâ arbore Balſamus ſeu lachryma deſtillat, pellucida, & nunc albicans, nunc flavens, quæ tandem ſuccino fit maximè ſimilis colore & duritie: JETAICICA Braſilianis, ANIME Luſitanis dicta. Hæc prunis impoſita ſuaviſſimum reddit odorem. Hic Balſamus quia per meatus corticis inferioris decidere ſolet, effoſſâ tellure, ſub arboris trunco & radice extrahitur, ſub finem æſtatis, menſe Februario. Monardes ex vulneratâ arbore in Novâ Hiſpaniâ colligi teſtatur, haud aliter quam Maſtiche aut Thus. Eo utuntur in Cephaleâ & Hemicraniâ. Solus ſuffitus ad roborandum caput & reliquas partes ſufficit, frigore affectas. Calidus & ſiccus eſt in ſecundo gradu, nervoſis partibus in primis, vi ſuâ aromaticâ, & peculiari calore prodeſt illitus, aut Emplaſtri formâ applicatus. Vulnera mire & cito glutinat.

Folia arboris contuſa lumbricos expellere, ſi exhibeantur, aſſerunt, interior corticis

cis ſubſtantia raſa, & aquæ impoſita contra ventriculi ventoſitates, in potiunculæ formam præparatur, & alvum movet.

BALSAMUM INDICUM, ex Hiſpaniâ novâ & Peru adfertur, ex arbore mali Medicæ magnitudine, foliis Amygdali majoribus, obrotundioribus & magis acuminatis, floribus, in extremis ramorum flagellis, luteis, initio loculorum oblongorum ſpecie, ſed procedente tempore, quorundam veluti foliorum, cæteris longiorum & latiorum, in quorum extremitatis cavitate ſemina incluſa continentur candentia, & in quendam pallorem inclinantia, oblonga & pauliſper contorta, ſeminibus mali Medicæ ſimilia.

Inciſo, quovis anni tempore, hujus arboris cortice aut ſtipite, ſed præcipuè exactis jam atque deſinentibus imbribus, liquor ille nobilis ſtillat è fulvo in nigrum inclinans colorem, ſapore acri & pauliſper amaro, odore vehementi, ſed tamen gratiſſimo.

Quarto ferme ordine ſiccum & calidum eſt, ſubtilium partium, non ſine quadam adſtrictione & roboratione. Extrahitur idem decoctis ſurculis minutim inciſis ex aquâ, & vitro excepto innatante liquore, ſed viribus inferius eſt hoc Balſamum.

Tres quatuorve guttæ horis matutinis ante cibos linctæ, ventriculum frigidum roborant, urinam & renum veſicæque excrementa evocant, obſtructa aperiunt, reſpirationis difficultati medentur; ventriculi & alvi dolores ſedant, calorem augent, juventutem conſervant; peſſis inditum fœtus mortuos extrahunt, partum accelerant, ſterilitati medentur, dolores externos mitigant, flatus diſſipant & tumores. Cerebrum & Nervos roborant, Paralyſi auxiliantur; Nervorum origini impoſitum frigidis morbis prodeſt, Colicis Iliaciſque & articulorum doloribus utile. Vulnera recentia glutinat, inveterata ſanat, febrium rigores tollit, cervici dorſoque illitum.

BEZETTA rubra, ſeu Torna Solis Bezedini, Pannus ſubtilis eſt lineus, tincturâ rubicundiſſimâ & eleganti imprægnatus, mihi à Sereniſſ. Principis Chriſtiani V. Pharmacopœo induſtrio, Chriſtophoro Herfurt, dono data; ſed quomodo præparetur, quæque ejus ſit conficiendi ratio, ignorabat ipſe. Santali rubri tinctura videtur, quâ pannus eſt infectus.

Ad rubram tincturam corpori & eſculentis inducendam utuntur, ut Tornâ Solis vulgari; ſed hæc longe elegantior, Coſmeticis apta, hoc habens peculiare, quod aquæ colorem ſuum immerſa communicet, ægre vino, neutiquam ſpiritui vini.

De CANCAMO diſputant, quid ſit. Quidam Laccam eſſe putant, quos redarguit Garcias ab Horto, eo quod Cancamo, tanquam odorato, uſi ſint in ſuffitibus veteres: Lacca autem odorata non ſit. Quidam Benzoi Cancamum eſſe volunt, quos etiam in errore verſari docet, quod Cancamum in Arabiâ proveniat, Benzoi non item. Cancamum igitur illud eſſe exiſtimat, quod ANIMÆ vocant in officinis. Lachryma verò eſt arboris Arabicæ, myrrham quodammodo referens viroſi guſtus, quâ tanquam thymiamate utuntur. Triplex eſſe volunt. Unum quod fulveſcit & pellucidum eſt, alterum quod nigricat & Taurino glutini, ſeu Colophoniæ ſimile eſt, tertium quod pellucidum & reſinaceum.

CATE, quod Manardus veterum Lycium eſſe exiſtimat, mihi titulo Gummi Categu ab Herfurto donatum, naſcitur in Cambajâ, Bacaim, Manorâ, & in continente Goæ. Succus eſt coloris ruffi, arboris magnitudine Fraxini, folio minuto Ericæ vel Tamariſci ſimillimo, perpetuò virente. Florere ajunt, non fructum ferre, multis ſpinis horret, materies ligni robuſta, dura, denſa, ponderoſa, putredini non obnoxia, ex quâ Piſtilla fiunt ob pondus, ad Orizam deglumandam. Incolæ arborem Hacchic vocant.

Succum hoc modo extrahunt: Ramos hujus arboris, minutim conciſos, in aquâ coquunt, dein contundunt, cum farinâ Nachavi (ſemen id eſt nigrum & minutum, conficiendis panibus aptum) & cujuſdam ligni nigri, quod ibi naſcitur, ſcobe, paſtilli aut Tabellæ formantur, quas in umbrâ ſiccant, ne Solis ardore vires pereant.

Ad confirmandas gingivas, deſiccandum & conſtringendum, optimum eſt medicamentum, ut & ad alvi profluvia curanda, oculorum dolores tollendos: in ſummâ, ubi adſtrictione & roboratione opus eſt, utiliter adhibetur.

Cate, quod ego teneo, non in paſtillos eſt redactum, ſed maſſa quædam eſt purpurea, ad nigrum inclinans, laminatim quaſi cohærens, fiſſilis & friabilis, dura, ſed fragilis, adſtringens cum levi acrimoniâ, pondere unciarum fermè duarum.

COLOPHONIA duplex eſt: veterum & recentiorum. Veterum ex Colophone olim advehebatur, & reſina erat liquida, quam Cordus ejuſdem arboris eſſe cenſet,

ex quâ Elemnia Resina profluit, Cedri videlicet. Recentiorum Pix est, quæ confusa quasi est, & ex multis congesta, ac in massam indurata, quæ igni liquata & depurata, durior & siccior evadit, quibusdam Pix Græca; quibusdam Pix Burgundica, de quâ postea.

Emplastris permisceri solet, quæ vim habent emolliendi, quâ potissimum pollet.

EUPHORBIUM succus est acerrimus, herbæ ejusdem nominis, quæ progressu temporis in arborem degenerat ferulæ speciem gerentem, hujus folia incisa liquorem dictum destillant, qui facile concrescit. Duo ejus sunt genera: unum Sarcocollæ modo pellucidum, flavum, Pisi magnitudine, in guttas æquales densatum, modice cavernosum: alterum in utriculis, quibus excipitur, in massam densatur, candicans aut vitri colore. Eligendum est purum, translucens, candidum aut flavum, acre, quod levi linguæ contactu os accensum diu tenet. Non sine molestiâ tunditur, nec nisi diligenter obturatis & munitis naribus.

Calidum & acre est in quarto gradu, suffusiones illitu discutit, cum melle coxarum doloribus prodest. Cariosis ossibus in primis conducit, squammas eodem die eximit, contra serpentum morsus commendatur. Humores ossi impactos occultâ qualitate exsiccat, sine noxâ partium adjacentium, ut observavit Fabricius Hildanus cent. 2. obs. 92.

GLYCIRRIZÆ succus olim ex Cretâ optimus adferebatur, jam Bambergensis ex Germaniâ commendatur, unde copiose adfertur: commendatur dulcissimus, mollis, recens, purus, tenax, & qui confractus splendescit, nigerrimus, qui linguæ subditus totus liquescit.

In scabritie asperæ arteriæ efficax est, Tussim sedat, æstuanti stomacho, thoraci, & jecinori conducit, vesicæ scabiem, renum dolores curat, sitim sedat, vulnera glutinat.

GUTTA GAMBODIA, Gutta Gamba, quibusdam succus laxativus & flave rufescens Bauhini, succus undecimus Clusii, qui Gitta Jamau dicitur, Gutta Gamandræ, gummi gutta, &c. Succus est purus, nullis sordibus infectus, fulvi coloris, liquore aut salivâ madefactus, flavo colore inficiens. Diu multumque de eo, cujus plantæ esset succus, disputatum est, donec Jacobus Bontius in Methodo Medendi Indicâ cap. 9. ejus historiam nobis dedisset in hunc sensum. Planta, quæ guttam Gambodiam fert, similis est Esulæ maximæ Javanicæ, & in tantam crescit altitudinem, ut arbores mediocres attingat, quas hederæ modo in silvis amplectitur, crassitie brachii humani. Ex hujus caule vulneratâ succus hic effluit, colligitur & inspissatur. Crescit copiose in Cambodiâ regione Chinæ vicinâ, unde etiam nomen sortitus est succus.

Evacuat sine molestiâ ac torminibus, serosos humores, biliosos item & tenues, sine morâ, tam per vomitum, quam per secessum suo fungitur munere, potest aliis permisceri Syrupis, Pulveribus, Conservis, sed in pillulis minus operatur. Vis vomitiva infringitur, additis guttulis aliquot spiritus vitrioli; item si per dies aliquot in aceto aut spiritu vini maceretur, ac sic blande purgat. Datur à granis quatuor ad octo. Grana tria pueris etiam exhiberi possunt, cum aliis, ratione affectus & dispositionis ægri. In hydropicis, quibus singulariter prodest, grana novem aut undecim præberi possunt. De hoc succo acriter disputarunt Reudenius & Hogsteterus peculiari tractatu, quem consule.

HYPOCISTIDIS succus sub finem Veris ex plantâ exprimitur, & in umbrâ siccatur. Aut sicca planta & trita maceratur per biduum aut triduum in aquâ, deinde parum ebullit, colatur & fortiter exprimitur, quod residet, rursus coquitur ad mellis crassitiem. Insigni pollet vi adstringente, refrigerat, repellit.

LACCA officinarum, Myrrhæ similis Avicennæ, Chermes Arabum quorundam, Formicarum alatarum stercus Amato. Formicæ enim magnæ in Pegu hanc materiam elaborant, ex arbore succum exsugentes (unde plerumque formicarum alæ ei permistæ occurrunt) & ramulis agglutinantes, quos ramulos deinde exsiccant in umbrâ.

Alii verò statuunt instar Gummi aut Resinæ ex arboribus sponte exsudare & concrescere. Quidam legitimum Cancamum esse putant. Duplex habetur, cum bacillis, quam Laccam Sumetri vocant, eo quod ex Sumatrâ, seu Trapobanâ Insulâ adferatur: altera in glebis, sine surculis, Lacca Comberti dicta. Est & alia Lacca factitia, quâ pictores & infectores utuntur, quæ huc non spectat. Mihi est tam in bacillis, quam massâ.

Præmansa lacca pulcherrimo colore rubro inficit. Eâ utuntur qui Laccam seu Ceram Hispanicam conficiunt, ad litteras obsignandas. Fabri lignarii & torneatores eâ etiam utuntur, ut & aurifabri. Extat in officinis ex eâ compositum Dialacca, quâ ad obstru-

obstructiones aperiendas utimur. Exsiccat & calefacit ordine secundo, ventriculum & Jecur roborat, eorumque infarctus expedit, Ictericos curat, aquas pellit. Eluitur eo modo quo docet Matthiolus lib. 1. in Diosc. cap. 23. nempe trita aquâ fontanâ cui Aristolochia & Schenanthos ad æquas partes incoxerit, lavatur pistillo semper agitando, quoad clarescat, quod resedit coletur & siccetur.

LADANUM succus est ex foliis Cysti Ledum dicti exsudans. Optimum & minimè adulteratum, odoratum esse debet, subviride, facile mollescens, pingue, resinosum, arenularum aliarumque sordium expers, quale ex Cypro adferri solet.

Vim habet Calefaciendi, molliendi, spissandi, ora venarum aperiendi: capillum fluentem continet, addito vino, myrrhâ & myrti oleo, cicatricem decoram reddit, aurium doloribus cum hydromelle succurrit, Pessis junctum, secundinas elicit & vulvæ duritiem sanat. Dolores, tussim & alvum sistit, cum vino veteri.

MANNA, quâ in officinis utuntur ad alvum lubricandam, quid sit, disputatur. Matthiolus in cap. 73. lib. 1. Dioscoridis, rorem esse vult, seu liquorem suavem, qui ex aëre veniens, sublucanis temporibus, arborum ramis & frondibus, herbis, lapidibus, & solo interdum invenitur hærere, qui brevi temporis curriculo coalescens, grumosus in gummi morem efficitur. Ejus duo genera in Italiâ observavit, alterum ab Orientali plagâ, alterum à Calabriâ. Orientalis rursum duas agnovit species. Una quæ Mastichina dicitur, à granorum Mastichis similitudine, & est præstantissima; altera vilior & minùs efficax Bombycinâ, quæ exhausta est Mastichina, saccharo adulterata. Sed Donatus ab Altomari existimat Mannam, quæ in Apuliâ & Calabriâ è fraxineis legitur foliis, è cœlo haudquaquam decidere, sed ex ipsâ plantâ desudare. Idque argumento esse, quod inciso arboris Fraxini cortice, ardente Syrio, absque aliquo cœli rore exsudet & in lachrymas concrescat. Cujusmodi Mannæ primum exsudantem succum & liquorem, in granula ac squammas concretum, unà cum corticis Fraxini frustulo, ex Apuliâ & Calabriâ mihi attulit Clariss. Vir D. D. Thomas Bartholinus. Communi candidius est, & inter dentes masticatum strepitum edit. Sed non adeò dulce ut vulgare. Autores dictos ut conciliemus, statuere licet Mannam & roris modo è cœlo delabi, & concretam in herbis reperiri, & haustam ac attractam à Fraxino subtiliorem ejus partem rursus effundi cortice sauciato.

Manna ad calidum parum inclinat temperamentum, alvum clementer movet, quocirca pueris & prægnantibus præberi potest, bilem educit, sitim exstinguit, aperit, emollit, lævigatque gulæ corporisque partes, medicamentum plane innoxium.

MASLACH Turcis familiare, succus est papaveris albi, qui ex capitibus incisis elicitur. Unde totos agros papavere albo, ut nos tritico, serunt, ut inde succum hunc eliciant, qui apud eos & Persas in quotidiano est usu, ad pondus Drachmæ unius. Ajunt quotidie Pisi magnitudine ab iis devorari, ut animosiores fiant, & pericula spernant. Is qui semel & sensim ei assuevit, nisi indies iteret, brevi tabidus moritur, & si per dies quatuor aut quinque intermittat, in idem incidit periculum.

De MECHOACÆ radice supra à nobis actum, sed quia ejus succus mihi à Clariss. Viro D. Joh. de Laet transmissus, de eo hoc in loco etiam agendum. Fit autem hoc modo. Recentes radices, corticibus benè mundatis, exprimuntur per pannum, expressum relinquitur per aliquot horas, ut subsideat, quod subsedit siccatur in umbrâ, vocant TAPIORA. Hoc succo expresso quidam utuntur loco Scamoneæ, ad cujus species pertinere arbitrantur, & conficiunt ex eo tabellas cum saccharo, quas mirifice ajunt operari. Dosis succi expressi est à Drachmâ unâ ad Drachmas duas. Humores serosos & Phlegmaticos, bilem item evacuat, affectibus ventriculi, intestinorum, capitis doloribus inveteratis, Hydropi & prostrato appetitui conducit.

MYRRHA, Bola Indis, lachryma seu concretus succus est arboris nascentis in Arabiâ, Ægyptiacæ spinæ similis, quæ incisa in substratas tegetes destillat, pars verò circa caudicem concrescit. Theophrastus 9. Hist. Plant. cap. 4. Arborem dicit minorem esse, & fruticosiorem arbore Thuris, caudice duro, contorto, cortice lævi, folio aculeato, crispo, spinâ horridulo.

Myrrha alia πεδιάζιμος, seu campestris, quæ expressa destillat & excipitur STACTE. Quamvis quidam Stactem putant esse rorem, qui ante corticem ferro solutum, spontè & sine plagâ, quasi saliva quædam exsudat: alia χαβιρέα. Inter ejus verò species, primas tenet τραγλοδίλικη, à loco natali denominata, quæ subviridis, pellucida & mordax.

2. tenuis Bdellii modo lentescens. 3. καυκαλὶς nigra & retorrida. 4. ἐργασίμη, quæ aspectu gummi refert. Eligenda est myrrha friabilis, lævis, undiquaque concolor, quæ confracta intrinsecus lineas candidas intercurrentes habet, unguium speciem præ se ferentes: minutis glebis, amara, odorata, acris; ponderosa, & picei coloris, inutilis. Non hic prætereunda utilissima Galeni observatio lib. 1. de Antid. cap. 11. ubi ait Myrrham transmutari in Opocarpatum, suscipiendo non solum ejus figuram, sed venenatam quoque qualitatem: si igitur in Myrrhâ animadverterimus multas esse glebas diversas, admodum quoad odorem & saporem differentes à verâ, non absque ratione, judicabimus eam mutatam in Opocalpatum. Ita quoque observatum Galbanum mutari in Sagapenum, & Cassiam in Cinamomum.

Myrrha calefacit & exsiccat ordine secundo, capitis vulnera glutinat, fœtum, menses, & Lumbricos ejicit, vi abstergendi oculis medetur, ulceribus conducit, crassas cicatrices planat; Tussi veteri & Asthmati conducit, calefaciendo, desiccando & abstergendo prodest.

Myrrhæ Drachma una ex vino Cretico calido pota, horâ unâ ante paroxysmum, datur utiliter quartanariis, sed sudare in lecto oportet, atque ter id repetere, vel in formâ pillulari exhiberi potest. Ad Cicatrices tollendas & faciem erugandam, valet oleum myrrhæ.

Ova ad duritiem cocta, secantur per medium exemptis Vitellis, replentur pulvere myrrhæ, & in cellâ humidâ liquescit in oleum, quod crebro illinitur. Fucum ex eo ad mulieres, quæ faciem perpetuo conservare volunt in juvenili candore absque rugis, vide apud Matthiolum lib. cap. 67.

Olibanum seu Thus liquor est arboris thuriferæ in Arabiâ; quidam plures ejus constituunt species, colore & magnitudine granorum differentes tantum. Primum est Indicum, quod maximis & inæqualibus glebis constat, lividum, nigricansque, candicantibus aut flavis maculis varium. 2. Mammosum, oblongis grumis mammarum formâ compositum. 3. Masculum, parvis, rotundis, candicantibus aut flavis granis, interdum singulis, interdum geminis quasi testiculis constans. 4. Orobæum, minimis granulis, Ervo æqualibus, odore masculo simile. 5. Manna thuris, quæ nil aliud est quam pollen & farina, ex crebrâ concussione in sacculis abrasa.

Vi pollet calefaciendi & adstringendi, oculorum caliginem discutit, cava ulcera complet & ad Cicatricem perducit, vulnera glutinat, sanguinem sistit, impetigines, ambusta, perniones, ulcera manantia, paronychias, mammarum inflammationes, sanguinis excreationes sanat, consolidat, suffitibus utile, sed assumptum à sanis, insaniam causare volunt.

Opium est liquor lacteus qui ex Papaveris nigri scapo leviter inciso colligitur. Probatur candidum, vel Leoninorum pilorum modo flavescens, in massam veluti ex granulis diversi coloris coactum, grave, densum, solidum, sine sordibus existens, amarum, gustu calidum, odore gravi & viroso, somnum inducens, & in aquâ promptè liquescens, quod in Asiâ minore in placentulas unciarum quatuor, vel Selibræ pondo cogitur. Quidam tria genera constituunt: Album, quod ex Cairo adfertur, forte Thebaicum; Nigrum & durum ex Aden: Flavescens magis & mollius ex Cambajâ.

De ejus qualitatibus primis disputant, veteres frigidum in quarto, at moderni calorem cum amaritudine, & vim sudores movendi in eo animadverterunt, facultate tamen narcoticâ conjunctâ in magnis doloribus colicis & aliis aliquot granorum pondere exhibent.

Opium, quod apud nos in usu est, potius Meconium quam opium esse multi putant: extractum nempe & torculari expressum ex capitibus, & frondibus Papaveris; quod evincunt festucæ & folia, quæ in ejus massâ quandoque reperiuntur.

Pix burgundica à quibusdam Resina Pini esse putatur, alba, ad flavedinem tendens. Sponte quandoque ex arbore profluit, odore non ingrato: quandoque vulneratur cortex arboris, copiosius ut emanet, præsertim cum jam succo abundet.

Calefacit & humectat, consumit & separat, articulos roborat, tumores duros resolvit, dolores sedat, Emplastris juncta pus promovet. Ad tussim inveteratam etiam commendant cum Becchicis aliis. In primis certo experimento comperi, emplastri modo clavis pedum aut manuum applicatam dolores lenire, & paulatim ejusmodi tumores eradicare.

San-

SANGUIS DRACONIS, Cynabarum verum Dioſcoridis. Succus eſt ex arbore quæ Draco dicitur, & in Chartagine Peruanâ provenit, teſte Manardo cap. 38. Arbor magna eſt, cortice tenui, qui facile incidi poteſt, unde effluit liquor ille, qui ſanguis Draconis dicitur. Duplex habetur, nativus, & factitius in panes coactus, ex rubricâ, pice Colophoniâ. Utriuſque mihi copia. Verus ſanguis Draconis colligitur & in maſſulas oblongas, pyramidales, foliis arboris involutas, cogitur, colore exterius prorſus inſtar ſanguinis coagulati, aut lapidis Hæmatitis, unciarum duarum longitudine, unius circa baſin latitudine, ab eâ enim paulatim acuminatur. Puriſſima eſt ſubſtantia, multum differens ab eo, qui in panes eſt coactus. Quælibet maſſa pendet Drachmam unam cum ſemiſſe: cum frangitur coloris eſt rubicundiſſimi & Cynabrii. Vide Cluſium rarior. Plantar. lib. 1. cap. 1.

Refrigerat & adſtringit, unde profluvia alvi ſiſtit, ſanguinem undiquaque fluentem reprimit, capitis defluxiones in partes inferiores delabentes prohibet, ſi ejus pulvis capiti inſpergatur. Vulnera recentia glutinat, gingivas à putrefactione liberat, dentes ſtabilit. Pictoribus etiam quandoque inſervit, ad colorem rubicundum inducendum.

SCAMONIUM vocatur tùm planta ipſa, tum ſuccus qui ex ejus colligitur radice, & in uſus Medicos aſſervatur ac inſpiſſatur. Planta ipſa ex radice unâ longos tenues & viticuloſos protrudit Cauliculos, quibus vicinos frutices & pedamenta amplectitur, folia habet lata acuminata, lævis Smilacis inſtar, flores candicantes, radicem longam, craſſam, candidam interius. Succus laudatur nitidus, rarus, levis, colore ſimilis glutini taurino, fungoſus, tenuibus fiſtulis, guſtu linguam non urens, colligitur menſe Junio. Datur à granis 5. ad 12.

SANDARACHA ARABUM, ſeu VERNIX, eſt gummi reſinoſum ex junipero, quod inter Succos & Gummata ambigit. Vernix verò dicitur, quod verno tempore colligatur, exſudet & concreſcat. Dicitur verò Sandaracha Arabum, ad diſtinctionem Sandarachæ Græcorum, quæ metallicum eſt, Auripigmento affine & venenum exitioſum.

Eligitur recens, pellucida, pallida; vetus flaveſcit, friabilis eſt, Maſtiches modo.

Vim habet adſtringendi & in uſu frequenti eſt ſcriptoribus & Pictoribus, qui ex eâ conficiunt vernicem liquidam, addito oleo lini, ad picturas & tabulata illuſtranda. In ſuffitibus etiam locum obtinet.

STYRAX CALAMITA ſic dicta, quod olim in cannarum calamis ex Pamphyliâ aſportaretur; Styrax vero quia ſtriatim ex arbore deſtillat. Lachryma eſt ſeu concretus ſuccus arboris cujuſdam malo Cotoneo ſimilis. Præfertur flavus, craſſus, reſinoſus, albicantibus grumis præditus, in ſuâ odoris gratiâ permanens, qui dum mollitur melleum liquorem fundit.

Calefacit, emollit, concoquit, tuſſi medetur, deſtillationibus, raucedini, gravedini & interceptæ voci, menſes ciet, alvum mollit cum therebinthinâ in pillulis. Diſcutientibus & acopis miſcetur, cataplaſmatis & emplaſtris. Ad ſuffitus & odoramenta adhibetur thuris modo.

Ex eâ in Syriâ oleum conficitur Styracinum, quod calefacit & emollit, ſed caput tentat & ſomnum conciliat.

SUCCUS POMORUM RUSSICUS calore ignis ita inſpiſſatus eſt, ut in placentas redactus circumferatur, quas ſpiratim convolutas in uſum aſſervant. Lentus eſt, viſcidus, niger, ſapore acido non ingrato. Ejus ſpecimen ex Ruſſiâ mihi attulit Vir Clariſſ. D. D. Chriſtianus Stougardius P. M.

Sitim ſedare, refrigerare, eduliis miſtum, gratum iis conciliare ſaporem ajunt, nec credo ventriculo inimicum.

SUCCI ÆGYPTIACI titulo granula quædam minuta, compreſſa, purpureo nigricantia, mihi dedit amicus: ſed ex quâ planta, aut unde petitus, quaſque vires habuit, non addidit; mihi plane eſt incognitus.

Cap. XXXV.

Plantæ Marinæ & Zoophyta.

VEGETABILIA rariora, quæ radices in terrâ agunt, quæque ex eâ petuntur, hactenus persecuti sumus, partim integra, partim quoad principaliores eorum partes, quantum quidem instituti postulabat ratio, & eorum in Museo nostro requirebant exempla. Nunc Marina contemplanda veniunt, quæ ortus sui primordia Mari & aquis debent.

ANDROSACE seu Cotyledon Marinus, illud ipsum esse arbitror, quod à Celeberrimo Viro D. D. Aurelio Severino, Anatomico & Chirurgo Neapolitano clarissimo, FUNGI MAPPAM vocari intellexi. Describitur verò eruditè à Lobelio in adversariis pag. 165. in hunc modum. Perelegans est, sed perpusilla planta hæc umbilicata, & videtur à genere earum quas Parasiticas festivè quis dixerit, propterea quia non nisi alienâ quadrâ vescitur cibo ac disco. Innascitur fermè super dorsis striatis Chamæ Conchæ (etiam lapillis, cujus mihi exemplum) quæ humi obvoluta sit, vacua hospite suo vesco, apud Italos Cape Tondo vocato. Pedicellis Cirrhisve glabris, nitidis, exilibus, uncias binas altis, crebribus, surrectis, singulis singulum Clipeolum, medio centro fulcientibus, Circinatum umbilici cum ouracis appensis in memoriam revocantibus, unde Monspelienses umbilicum marinum vocarunt, notissima ibi piscatoribus stagni Magalonensis & Lateræ accolis. Frontignanæ etiam refluæ stagnantisque aquæ salsæ innumeras plantas obruunt. In fundo quippe, inque aquâ, non in aëre crescunt & vivunt. Virent primo ex squallido cinereoque colore. Postea egesti undis exceptique littore albescunt uti Conchilia & Corallinæ vocatæ, quas gustu subsalso & amaro æmulantur. Semen nullum habent. Urinas movent, materiam articulis impactam digerunt, ventrem sistunt. Sicca est planta potius quam calida, multum diuretica.

ARBUSCULAM MARINAM CORALLOIDEM, quam à magnitudine ita vocat Clusius Exot. lib. 6. cap. 1. forsan ad Alcionia retulerit quispiam. Inter reliquas, duas ejusmodi possideo, quæ fermè notis omnibus respondent iis, quæ à Clusio sunt delineatæ. Quia verò quædam in iis observaverim, à Clusio non animadversa, eas delineabo. Ex Norvegiâ ad me delata est utraque colore albicante ad flavedinem tendente, qualis in Zinzibere observatur. Major longitudine est pedum quatuor, in multos ramos laterales, in alteram partem nutantes, divisa. Caudex infimâ parte dilatatur, ut manifeste appareat, scopulo eam inhæsisse, non quidem in fibras radicum divaricatur, sed in amplitudinem paulatim extenuatam extenditur, in ambitu pedem ferme æquantem, crassitie brachiali. Et quamvis crassus videatur, materiâ tamen constat friabili, fungosâ, quæ ob salsedinem facile resolvitur in aëre humidiore, unde fit, ut hujus rami mihi hiberno tempore multi deciderint, & in arenaceam resoluti substantiam perierint. Quamvis semel atque iterum in hypocausto exsiccaverim, ut primum tamen aëri humidiori exponitur, eum attrahit & mollescit. Rami innumeris tuberculis sunt obsiti, qui, dum recens adhuc erat planta, capita simiarum haud ineptè referebant, oculis, naso & ore. Quod Clusius quodammodo animadvertisse videtur, dum externè orbicularibus notulis distinctos refert. Planta tota tenui & gummoso cortice tecta apparet, ubi bene exsiccata est; alioquin, quod corticosum est, pulverulentum apparet. Color rubicundus, qui in Clusii plantâ visebatur, non fuit naturalis, sed ascititius, ut recte suspicatur. Saporis certe salsi admodum, sed non adeo ut merum referat Sal, sed potius arenosum quid, cum Sale permistum.

Altera quam possideo arbuscula, minor est, trium scilicet pedum, figurâ plane priori respondens, sed basis ejus abrupta, & quia melius exsiccata, non ita in aëre humido resolvitur ut prior. Nutat etiam in alteram partem, ut solent vegetabilia marina pleraque. Plures deinceps ejus generis nactus sum plantas ejusdem naturæ & proprietatis.

CORALLIA, quamvis à quibusdam ad lapides referantur, tamen à non paucis ad plantas marinas lapidescentes trahi solent, tum quod eorum sub aquis mollitiem præsupposuerint, tum quod consistentiam duriorem tum primò ea acquirere putarint, ubi extracta & aëri exposita fuerint. Vocatur ergo Lithodendra quibusdam, Dentritis Plinio, Gorgonium aliorum. Corallia tamen sub aquis mollia non esse experimentis probare

bare conatur ultima Tyrocinii Chymici editio à Pelshowero procurata Wittebergæ Anno 1650. sic enim lib. 2. cap. 10. p. 153. differit: Generosus Dominus Johannes Baptista de Nicolo, Eques Massiliensis, & Regius Piscationis Corallorum in Regno Thunetano præfectus, certò mihi confirmavit, quod cum Anno 1585. mense Julio in mari Bizertino regni illius Thunetani Piscationem instituisset, cupiditate naturæ Corallorum investigandæ adductus, juvenem funibus sufficienter longis alligatum, & pondere viginti quinque librarum in utrâque manu, ad descensum liberiorem, in mare istud centum perticas profundum demiserit, ipsique in mandatis dederit Corallium ut evelleret, & inter evellendum curiosè attenteque observaret, an molle, durumve esset. Qui, ubi rursus ascendisset, utrâque manu Corallum attulerit, constanterque asseruerit, illud non minus in suo mari, quam supra illud, durum esse; & se, cum ad octo perticas aut circiter prope fundum maris appulisset, magnam ibi frigoris vim sensisse. Imo quod ipsemet etiam, cum relationi ejus fidem adeo non haberet, in mare, cum retia, quibus corallia piscari solent, contrahenda essent, antequam in ipsum aërem efferrentur, ad profunditatem unius perticæ se immerserit, & Corallium reti adhærens manu prehenderit, idque tum æque durum, ac cum aëri externo esset expositum, observasse. Idem etiam confirmavit Ong de la Poitier, Nobilis Lugdunensis, qui Anno 1613. ab ejusmodi piscatione reversus est. Quod si ita sit, magno certè in errore hactenus versati sunt Præceptores nostri contrarium docentes, pergit idem Author. Retulit quoque Dominus de Nicolai, quod Vere, quando Corallium evellitur, liquor quidam lacteus ex eo inter frangendum emanet, qui decidens super lapidem, lignum, ferrum, aut aliam materiam, Corallium producit.

Est autem Corallium frutex marinus ramosus, sub aquis viridis, qui extractus lapideam acquirit soliditatem. Quando succus lapidescens, ob peculiarem ejus dispositionem se poris insinuat, atque in suam convertit substantiam, lapidescere incipit, sed soliditatem debitam demum ab aëre ambiente acquirit. Colorem vero ex seminio habet. Immaturos Corallos vidit Anshelmus Boëtius, fusco, viridi, alioque colore tinctos, qui per maturitatem rubedinem acquirebant, ut fructus alii rubicundi. Corallis, dum eximuntur, multa extrinsecus adhærent, quibus depositis, nativus color se prodit. Coralliorum variæ sunt differentiæ, tam ratione colorum quàm conformationis. Sunt enim rubicunda, alba, nigra, striata, stellata, articulata, solida, fistulosa, scabra, porosa, racemosa, &c. Ea quæ tenemus nos breviter delineabimus.

CORALLIUM RUBRUM est vegetabile marinum, cujus truncus paulatim se in varios ramos dispescit, instar arboris foliis & fructibus destitutæ, colore eleganter rubicundo. Falsum enim est, quod Plinius lib. 32. Natur. Hist. cap. 2. asserit, Corallia rubra baccas habere similes cornis, specie & magnitudine. Substantiam habet lapideam, quæ poliri exacte potest. Nascitur & per se, & ex aliis quibus adhæret. Vidi Pisis in Italiâ fruticem elegantem Cranio humano innatum. Quin etiam alias plantas lignosas quandoque investit, & ad modum earum divaricatur, ut, dum integræ sunt, nemo à veris Corallis eas distinguere possit. Ipsum verò Corallium rubrum investitur tunicâ quâdam albâ, quam politurâ demere oportet, ut se prodat rubedo. Si igni applicetur, in crustas separatur ejus substantia, quarum una alteram vestit, ut tunicæ in cæpis, quamvis id alioquin non appareat. In mari Tyrrheno circa Massiliam, & adjacentia loca, copiosè invenitur. Quo pacto Corallia rubra amissum colorem recuperent, vide apud Anshelmum Boëthium de Gem. lib. 2. cap. 154.

Vim habet exsiccandi, adstringendi, & refrigerandi. Cor, Ventriculum, & Hepar roborat, sanguinem purificat. Si à viro gestetur, coloratius redditur, & elegantius rubet, quam si à muliere; si à morte proximo, aut periculosè ægrotante gestetur, pallescit & colorem mutat, imò futuros morbos, coloris mutatione, denotare volunt. Amuletum habetur puerorum contra terriculamenta, fascinationes, incantationes, venena, Epilepsiam, &c. collo appensum, aut brachiis gestatum. Venenatis & contagiosis morbis resistit, si pondere Drachmæ semis exhibeatur. Si infanti primum nato, grana x. ex materno lacte, ante alium cibum exhibueris, ab Epilepsiâ tuetur, menstrua cohibet, gonorrhœam sistit, sanguinis rejectiones & fluxus Dysentericos sanat, Renum & Vesicæ Calculos expellit, cicatrices extenuat, ulcera carne explet, lachrymas sistit, dentitionem puerorum promovet, si id crebro mordeant. Quæ omnia efficacius præstant illa quæ Chymici ex eo præparant, Tincturæ, Sales, & olea, de quibus multi multa scripserunt.

IMMA-

IMMATURI CORALLII plantam elegantem mihi dedit Sereniſſimus Rex Noſter Fredericus III. Anno 1649. 6. Febr. Radicis loco erat Maſſa, gypſea quaſi, Corallium album referens, ex quâ ab uno latere varii rami obtuſi, nodoſi, & ſcabri emergunt, ad ſemipedis altitudinem, ab alterâ verò parte Coralli immaturi planta, pedes duos cum dimidio alta, juxta radicem varii & tenues ſtolonum ſurculi emergunt inordinati & incurvi. Planta ipſa juxta radicem craſſitie eſt minimi digiti, ubi ad pedis circiter longitudinem excrevit, caulis cortortus aliquantulum, & nodis tribus ex ramuſculorum abruptorum reliquiis dotatus divaricari incipit & attenuari, uſque dum in ſummitate in 22. tenuiſſimos filamentorum inſtar extenuetur ramuſculos: plana eſt planta, ut omnes marinæ, interiore ſubſtantiâ conſtans ligneâ, quæ Corallinâ cruſtâ quaſi obducitur, & incruſtatur. Hunc fruticem eundem eſſe arbitror, cum eo quem poſtea ſub titulo plantæ Marinæ Reſedæ facie delineabo. Sed quia ab hac omnia vaſcula ablata ſunt, peculiaris jam videtur.

Eodem tempore addidit FRUTICIS CORALLOIDEI ramum, qui omni ex parte refert hirſutum cornu cervinum, quod lanugine obducitur adhuc novellum, adeò ut tale cornu in lapideam ſubſtantiam converſum quis juraret. Ramus primarius dimidii pedis longitudine, craſſitie pollicis grandioris, ad latera in duos alios divaricatur ejus craſſitie, quorum inferior, ubi unciæ unius longitudine emerſit, rurſum in duos alios diſpeſcitur. Horum inferior, ubi per tres uncias emerſit, alium protrudit minorem, aliquanto tenuiorem, qui in duplicem deſinit apicem, eodem pacto ramus ille, qui hunc ſequitur, niſi quod brevior ſit ob apices abruptos. Alter proximus trunco ad ſeptem ſe extendit uncias & prope apicem etiam divaricatur in duos ramos extenuatos. Superior ramus in quatuor ſcinditur brachia, quorum longius pedem ferme æquat, duo ad latera poſita divaricantur bifariam. Ei etiam nodi quidam adhærent, rudimenta quaſi novellorum brachiorum exhibentia. Mirum in hac ſpecie, quod ſi ſuſpendatur ut libere in aëre pendeat, ac digitis pulſetur, ſonum edit metallicum, perinde ac ſi ex ære eſſet conflatum, cum tamen nullum ullius metalli veſtigium in eo viſatur, ſalſâ & lapideâ conſtat ſubſtantiâ.

CORALLIUM ALBUM, quoad lævitatem & ſplendorem ac denſitatem ſimile eſt rubro, ſed colore differt, qui hic albus eſt & lacteus. Mihi, præter alia fruſtula, maſſa quædam eſt, trium unciarum latitudine, quatuor longitudine, variis fiſtulis & foraminibus prædita, tantæ amplitudinis, ut pennam anſerinam ejus cavitatibus inſerere liceat. Pendet verò uncias quinque. Ferrandus Imperatus Corallium album fiſtuloſum vocat.

CORALLII Albi, in ventriculo Hirci reperti, tres particulæ ex tractu Nidroſienſi mihi ſunt tranſmiſſæ. Harum una longitudine eſt unciarum duarum, craſſitie pennæ anſerinæ, præter extremitates dilatatas, duas habens hiſpidas, poroſas extuberantias, Cotyledones rectiùs dixeris, ipſa verò ſubſtantia potius os quàm Corallium refert. Reliquæ duæ particulæ unciales ſunt, ejuſdem ſubſtantiæ, earumque major unum habet Cotyledonem.

ALCIS CORNU refert fruſtum Corallii albi, ſed diverſæ prorſus ſubſtantiæ à prioribus, nec enim cavitates ſeu Cotyledones habet, ſed ſolidius eſt, trium unciarum longitudine. Ex trunco ubi aſcendit, unciam circiter unam dilatatur, ac rami plani & obtuſi alium protrudunt ramuſculum, cujus pars abrupta. Hinc altius ubi procedit amplius dilatatur, ac mox in quinque ramos diſpeſcitur, quorum duo, latus ſiniſtrum occupantia, ſibi ex adverſo ſunt poſita, reliqua ordine, ut digiti in manibus, locantur, ſed ab invicem longiuſcule divaricantur. Aſperiuſculum eſt, & poris quibuſdam ſuperficiariis præditum.

CORALLIUM ALBUM RAMOSUM FOSSILE, truncus eſt quinque unciarum, rudis, aſper, ad cinereum tendens, inæqualis, poroſus aut exeſus quaſi, craſſitie brachii infantilis, variis protuberantiis, & abruptorum ramorum reliquiis deformis, quibuſdam in locis ſtriatus, foraminibus hinc inde ſcatens, multis inæqualitatibus in ramorum fracturis: ſub terrâ defoſſus hic truncus fuiſſe videtur.

CORALLIUM ALBUM GENICULATUM E MINERIS ERUTUM, longitudine eſt unciarum duarum, craſſitie pollicari, colore ad luteum inclinante, ſuperficie lævi & politâ, niſi ubi ramuſculi decerpti, quorum veſtigia ſuperſunt poroſa, inæqualia & aſpera. Fuerunt autem ſeptem numero ramuli, ex quibus quinque minores, duo verò

verò majores & crassiores. Quamvis superficies ipsa, ut dixi, polita sit, per longitudinem tamen excurrunt lineæ, non rectæ, sed hinc inde, pro ratione corporis, quandoque obliquæ & contortæ.

GENICULATI truncus cum radice, corpus est quinque circiter unciarum longum, eâ parte, quâ radicem constituimus, amplum, nodosum, ex albo flavescente cum nigris quibusdam maculis, læve; sed ex adverso in alas quasi divaricatum & aliquantulum cavum, in se lutum, cui immersum fuit, continens. Genu grande ubi constituit, de se fundit ramum tenuem, trium unciarum longitudine, pennæ olorinæ crassitie, cui circa basin annatus fuit alius minor, sed jam abruptus. Corpus hoc exterius læve & glabrum est, totum solidum & non porosum, in quadam exterioris superficiei parte, ubi non candicat, sed ad luteum ac nigrum inclinat, lineis quibusdam tenuibus per longitudinem excurrentibus præditum.

CORALLIUM NIVEUM; ejus mihi exiguum est frustulum, duarum circiter unciarum, in quamplurimos ramusculos divaricatum, sed tenues admodum, ut crassitie culmum hordeaceum non superent, sed omnes eleganter nivei, & nullâ maculâ infecti. Totum corpus vix scrupulum pendet.

Quod nomine CORALLII PURIORIS in dentes efformati accepi, nihil aliud mihi esse videtur, quam particulæ quædam à Corallo albo abruptæ, figurâ triangulari acutâ, quâ dentes canis Carcharias quodam modo æmulantur.

CORALLIUM MINERALE RUDIUS, in varias fictum est formas, vel potius informe est corpus, porosum, cinereum, váriis abruptorum ramorum prominentiis deformatum, basi inæquali, nodosâ, quatuor unciarum, ex quâ emergit stipes ejusdem longitudinis, etiam nodosus, inæqualis, cinereus, porosus, vermicularis, cinereus. Sed omnium pulcherrimum & maxime admiratione dignum est in hoc corpore, quod ex nodis circa basin, Corallium rubrum, elegans, variis in locis enascatur, ut non immerito hoc corpus matrem Corallorum nuncupare valeam, ob frequentia Corallii rubri rudimenta in eo existentia.

CORALLII ALBI genus quod Imperato dicitur, MADREPORA RAMOSA, massa grandis est, novem librarum, ramis quamplurimis invicem involutis, nunc minoribus, nunc majoribus, in quorum extremitatibus foramina sunt crispa internâ superficie, sex quasi membranaceis sepimentis prominentibus. In his foraminibus animalcula nidulari verisimile est, siquidem conchas minutas in iis deprehendi, de quibus suo loco. Superficies exterior, quibusdam in locis candida est, quibusdam luto quasi quodam obducta, variorum colorum: ubi frangitur, interius candicat. Exterius adhæsere tubuli quidam marini, & alia excrementa.

Saxo parvo, magnitudine ovi gallinacei, sed anguloso, inæquali, coloris nigricantis, griseo quodam succo lapidescente consperso, adnatum est CORALLIUM GRISEUM, trium unciarum longitudine, totidem latitudine, in varios ramos divisum, qui in alios rursum divaricantur, inæqualiter dispersis ramulis, quorum quidam vix dimidiam superant unciam.

CORALLIUM TUBEROSUM PUNCTATUM illud esse videtur, quod Bauhinus vocat Corallium album verrucosum, punctatum. Clusius verò Exoticorum lib. 6. cap. 7. Plantam Saxeam Abrotanoides, descriptio enim plane convenit, si magnitudinem exceperis, quæ diversa est à meâ. Planta est saxea, quodammodo ad naturam Coralli accedens, porosa, quinque unciarum, in multos ramos divisa, qui deinde in alios minores sese spargunt, quodammodo Abrotani fœminæ, seu Chamecyparissi Plinii foliorum formam referentes. Nam brevibus tubulis, instar minutissimorum foliorum, constant, serie quadam dispositis, sed magis multiplici in trunco, in crassioribus ramis fere attriti sunt, ut foramina duntaxat relicta sint, tanquam foliorum tubulatorum vestigia. Sed extremi ramuli in mucronem obtusum desinentes integri sunt. Substantiâ est durâ, albâ, salsum saporem retinens, marina enim est & è saxis procul dubio in mari abrupta.

CORALLI NIGRI mihi ramus est, sex unciarum longitudine, quà crassior pennam anserinam non superat, paulatim verò attenuatur, & non rectà, sed per anfractus ascendit, ramusculi abrupti vestigia circa summitatem ostendens. Totus ater est, nec admodum porosus aut ponderosus.

PLANTA MARINA RESEDÆ FACIE, cujus ramusculum describit Clusius Exot. lib. 6. cap. 6. in maximam quandoque excrescit magnitudinem. Mihi enim ramus est quatuor ferme pedum in multos ramulos divisus. Planta plana est, ut Marinæ pleræque, nullos ramos, nisi ad duo latera, transmittens, interior substantia lignosa, albicans, obducitur cortice duro, nigro, splendente & ad naturam Corallii nigri accedente, qui rursum salsâ & albâ materiâ obducitur, efformatâ in modum vasculorum rugosorum, quæ semina matura plantæ Resedæ continent, ex albo cinerea, minora paulo & infimâ parte ut plurimum ipsis ramulis connexa, vacua, fragilia & quæ digitis attrita facile in pulverem solvuntur, saporis salsi.

Aliam parvam ejusdem generis teneo, pedis circiter longitudine, quæ integra est, & adhæret Corallio albo, supra quod crevit, cuique stricte adhæret. Extremitates ramulorum nudatæ vasculis suis, Cartilagineæ sunt, duræ, flexiles, unde arbitror Coralli genus quoddam esse, nondum maturum. Ignoravit Clusius ex quo mari petatur hic frutex; nostri ex mari Norvegico, Nidrosiam spectante, eruti sunt. Radicem nullam habent, sed è Coralliis nascuntur, quasi eorum essent rami. Ramulum exacte delineavit Clusius loco citato.

FRUTEX MARINUS elegantissimus Clusii, Corallium nigrum colore æmulatur. Describitur Exot. lib. 6. cap. 2. Meus duos fermè pedes altitudine attingit, amplitudine uncias octo, quâ latissimus, durus, lignosus, flexilis, planus flabelli instar, basi latâ inæquali, quâ rupi aut lapidi adhæsit, ex quâ emergit substantia solida, lata, unciæ unius cum semisse altitudine, quæ in ramos duos latos mox dispescitur, ex quibus minores producuntur, qui deinde in innumeros alios minusculos dirimuntur, in longum & latum se dispergentes, tam miro ordine, ut simul quodammodo coalescant, vacuaque tantum quædam spatia relinquant, Cribri, aut Reticuli foramina imitantes. Integer frutex nigri purpurascentis colore nitente est obductus. Sed Salsuginosæ materiæ, cujus meminit Clusius, nulla apparent vestigia. Meus enim hic frutex nudus plane est, & Corallium nigrum splendore imitatur. Potius ad Palmas marinas Theophrasti, quam ad Corallia, referendum putat Clusius. Mihi præter hunc integrum & alia ejus generis sunt frusta, ejusdem naturæ & consistentiæ.

FUCUS VERRUCARIUS seu VERMICULARIS, Frondipora & Eschara marina Imperati, planta est marina, trium aut quatuor pedum altitudine, totidem ferme latitudine, ex basi latâ quâ lapidibus adhæret, ex quibus etiam nutrimentum trahere videtur, in ramulos multos, tenues, spisse divaricatur, qui in latitudinem, ut omnes plantæ marinæ, diffunduntur, substantiâ coriaceâ vestitæ, tunicâ quâdam ex polline & tomento quasi confectâ, multis nodis foraminosis præditâ, verrucis quasi plane obsita esset. Hæc verò tunica facile abradi potest, cum mollis sit & nitrosa, ac pro ratione divaricationis ramorum eos vestit. Quando adhuc sub aquis crescit, colore est viridi obscuro, sed exsiccatus albedinem contrahit, ut alii fuci, unde ramuli vermiculis fermè sunt similes repentibus & varie implicatis. Planta ipsa plana est, & non nisi raro ramos ad latera transmittit. Ejus mihi quinque sunt exempla, quædam vasta, quædam mediocria, quædam parva. Unus horum fruticum mihi allatus est, qui adhuc lapidi trium pugnorum magnitudine inhærebat, subviridi, & sulphureum ac nitrosum quid præ se ferenti, ex quo non parum nutrimenti traxisse probabile est.

FUCUS CORALLINUS NIGER, Corallina officinarum, Fuci aut Musci marini species est, quæ, quia Corallis quandoque adhæret, Corallina dicitur, quamvis etiam in scopulis, testis, & aliis fructibus marinis reperiatur. Mollis est quamdiu sub aquis hæret, extracta & siccata riget ob salsedinem. Quædam erecta est, quædam humi sparsa, color nunc albus, nunc rubeus, nunc flavescens, nunc cinereus, nunc niger, nunc herbaceus. Dioscorides Bryon Thalassion vocat, Theophrastus ad fucos refert & Trychophyllon vocare videtur.

Medici utuntur Corallinæ pulvere, pondere Drachmæ unius, in vino, ad Lumbricos necandos & pellendos, nam amaritudine quadam cum adstrictione prædita est. Mihi est ejus generis quoddam nigrum, non articulatum, aliud candidum, quod ex Ostrearum Norvegicarum excrevit conchis, eis adhuc adhærens. Est & aliud lapidi ovali, avellanæ magnitudine, ita connatum, ut hystricem fermè referat.

Ad

Ad hos fucos QUERCUS MARINA Theophrasti referenda, cujus Iconem dedit Clusius Exot. lib. 6. cap. 4. Tomentosâ investitur tunicâ, sed verrucis caret, & ad eam altitudinem, aut magnitudinem non assurgit, quam ostendit Fucus Verrucarius. Ea, quam ego possideo, pedalis ferme est altitudinis, latitudinis paulo minoris, in multos eosque planos ramos expansa, qui deinde in minores dividuntur, tenella cornua cervina lanugine tecta æmulantes, substantiâ molli, flexili, tomentosâ, quæ quo magis ad basin vergit, eo durior. Radicem habet nullam, sed in basin latam desinit, quæ Saxis aut Conchyliis adhæret. Rami variè implicantur & cohærent, corpus planum constituentes. Rubicundo colore prædita non est hæc planta, sed cinereo & albicante. Ex Norvegiâ ad me delata.



MILLEPORA Imperati, marinum est germen, substantiâ ad Corallium accedente, sed magis molli & arenosâ, quæ ramos infinitos junctim ex se fundit, obtusos, æquales, in extremitate porosos. Sed rami hi non ultra unciam longi, æquales, haud acuminati; coloris cinerei. Pedem dimidium altitudine superat frutex meus.

RETEPORA ejusdem Imperati est instar folioli Chartæ Pergamenæ crispæ, confusè aliquomodo complicatæ, infinitis foraminibus perviæ, ut exiguum rete aliquo modo referat, colore ex albo in luteum tendit. Frustum, quod ego teneo, longitudine & latitudine vix unciam superat, ut jam est contortum, sed, si explicari in planum posset, longè foret amplius.

PENNÆ MARINÆ nomine ad me transmissum ex Norvegiâ corpus gracile, oblongum, cartilagineum, quadrangulum, interiore substantiâ albicante, quodammodo extremitatem pennæ anserinæ plumis denudatæ referens, exterius membranâ subluteâ tectum. Tenuis licet sit hæc penna, crassitie extremitatem pennæ anserinæ non supe-

rans, longitudine tamen æquat tres pedes Romanos. Nullam video habere affinitatem cum Pennâ marinâ à Gesnero, Rondeletio, Aldrovando & aliis descriptâ; ut quo referam vix habeam; hic interim locum obtineat, donec commodior detur.

FAVAGO Alcionium secundum Dioscoridis esse putatur, quo nomine & hic de eâ agendum. Est autem massa quædam, ex innumeris constans pelliculis seu vesicis, iis similibus, quæ ex Pisis excorticantur dum coquuntur, invicem unitis, & spongiæ instar concretis, vacuis, colore ex albo flavescente, pugni quandoque magnitudine, quandoque major, quandoque minor.

Generatur juxta Aristotelem hunc in modum. Purpura, Mytili, Buccinæ, aliaque ejus generis ostracoderma, emittunt lentorem quendam, seu humorem mucosum, velut à seminis naturâ, semen verò eorum nullum est. Ex illo, purpuris verno tempore congregatis, veluti favus ex putaminibus cicerum alborum, inter se cohærentibus, coagmentatur, quem, pro maris spumâ, Pharmacopolæ quidam falso ostentant. Nullus autem huic meatus est apertus. Neque fiunt, neque nascuntur ex eo purpuræ. Sed est veluti expurgamentum quoddam. Ipsum Aristotelem de Hist. Animal. lib. 5. cap. 15. differentem audiamus. Purpuræ verno tempore eundem in locum sese colligentes, condunt quam favaginem nominant, quæ velut favus est apum, verùm non ita elegans, sed quasi è putaminibus Cicerum alborum, multa inter se composita, struem unam, suâ cohæsione coagmentarint. Nullum iis patet foramen, neque ex iis purpuræ enascuntur, sed cum purpuræ, tum etiam reliqua testis inclusa, è limo ferè & materiâ putrescente oriuntur. Illa verò coagmentatio, favo similis, tanquam purgamentum, tam iis quam Buccinis evenit. Nam Buccinis quoque favificare in more est. Itaque ne ea quidem, quæ ex testaceis favos salivant, alio modo quam cætera testis inclusa generantur. Verum melius atque uberius, quoties præsunt, quæ ejusdem sunt generis. Emittunt enim, cum suos ordiuntur favos, mucorem quendam, ex quo putamineæ cellulæ illæ constant. Hæc ergò rupta, diffusaque omnia, humorem, quem continebant, in terram demittunt. Mox, eo quo effuderint loco, reperiuntur Purpurulæ, exordio admodum exiguo consistentes, quas sibi annexas gerunt, quæ grandes capiuntur.

Inter eos quos ego teneo Favos unus est, qui pertinaciter Algæ marinæ adhæret frustulo, ex quo pusillæ & subtiles enatæ sunt plantulæ, Fuci Marini Ericæ similes.

SPONGIAS MARINAS quidam ad Zoophyta referunt, quidam ad Fungos. Sunt autem corpora quædam fistulosa, ex lanâ quasi stipata, & mucagine membranosâ compacta. Supra lapides & testacea in mari crescentes, ex radice, seu basi latiori. Vim in se habent motivam, quâ se constringere & dilatare valent. Si enim aut procellis concutiantur, aut ab aliis petantur, se versùs radices constringunt, & firmiter locum in quo sunt amplectuntur. Si vero quidpiam earum abrumpatur, regeneratur, ut aliæ vegetabilium partes. Purgant se ipsas in arenis à mucosâ substantiâ. Proprium earum est, humorem copiose imbibere, seque constringere & dilatare. In mucagine quâ scatent, quicquid in iis est vitale, consistere videtur, quo se movent, sed dilatatio & constrictio à pilosâ dependet materiâ. Variæ earum sunt differentiæ, ratione duritiei & mollitiei, densitatis & raritatis, præsertim verò ratione figuræ externæ. Sunt enim globosæ, latæ, digitatæ, ramosæ, aliarumque figurarum.

Ramosæ seu digitatæ mihi unum est exemplum præ reliquis decorum, longum pedem circiter unum, latitudine pari, in quatuordecim digitos seu ramos divisum. Ex radice planâ & angustâ ubi emersit, mox in massam crassam & latam se extendit, quæ in digitos dictos divaricatur, quorum apices tenuiores & subtiliores multo sunt reliquis partibus, forsan quod nondum soliditatem & perfectionem suam acquisiverint. Est una quæ palmam manus cum quinque digitis exactè satis refert. Sunt præterea aliæ minores, paucioribus constantes digitis, & figuræ variæ, planæ quoque, & inter eas una, quæ PISCEM GALEUM pulchre refert. Longitudine est pedis Romani, cum unciis quatuor, capite destituitur, sed quà latior est circa collum, uncias obtinet duas, Pinnâ quoque dotatur unâ, dein paulatim attenuatur in caudam usque, quæ in acutum desinit & incurvatur. Præterquam quod tota substantia verè sit spongiosa, superius & inferius crebris dotatur foraminibus grandioribus, profundis satis, per quæ nutrimentum attrahere & vivere existimo. Ex Insulis Feroënsibus advectæ sunt omnes.

Anno

Anno MDCL. menſe Octobri ad me SPONGIAM ELEGANTEM à Cluſio dictam tranſmiſit Vir Reverendus & Clariſſ. D. M. Janus Schelderupius, Epiſcopus Bergenſis meritiſſimus, gener meus dilectus. Quam è mari vicino eruerunt, & plane notis omnibus reſpondet ei quam Exoticorum lib. 6. cap. 11. deſcribit idem Cluſius, niſi quod magnitudine paululum diſcrepet. Mea hæc non inhærebat ſaxo, cum eam acciperem, ſed ab eo avulſam docet pediculus planus, qualis eſſe ſolet vegetabilium marinorum. Forma ſpongiæ tota eſt infundibuli, aut floris, tota cava & infimâ parte quâ ſaxo adhærebat valde anguſta, deinde ſenſim ſe attollens expandebatur, inæqualiter tamen, cum uno latere ad decem unciarum altitudinem aſſurgeret; adverſo ad ſeptem; oræ inæquales & ſinuoſæ, foliorum formam quodammodo exprimentes. Amplitudinis Diameter ſupernâ parte ſedecim erat unciarum, exteriore parte lobos quoſdam quaſi foliola quædam adnata tenebat, interiore ſinus quoſdam & prominentias. Tota autem materia vulgares ſpongias referebat. Sed plana, tenuis erat, adhærente pediculo unciam unam longo, in extremitate plano.

Aliam eodem tempore addidit idem gener meus, quam ad ſpongias aut plantas marinas an referenda ſit dubitare licet. Ex pediculo ſemiunciali, craſſitie calami ſcriptorii, in extremitate plano, multi ramuli, varie diſperſi & intricati, aſſurgunt in altitudinem pedis fermè & ſe dilatant in latitudinem ſemipedis, ac plantam conſtituunt planam, & obductam adeo tenui materiâ ſpongioſâ, ut pervia poris tota ſit, quibus ſubtilis & ſplendens materia ſalſuginoſa inhæret. Tenuis eſt chartæ modo, figura plantam refert in ambitu ſinuatam, & ſpongiæ modo mollem. Integra non eſt, ſed ex parte mutilata, tenera admodum & delicatula.

Spongia uſta acris eſt, digerentis facultatis, exſiccat potenter, præſertim nova, & vulnerum glutinationem promovet, ſanguinemque erumpentem cohibet. Communis alioquin ejus uſus ad mundandum & lavandum corpus, abſtergit enim valide & mundat.

TUBULARAM non voco, poroſum illud corpus purpureum, quod Imperatus eo donat nomine, & quibuſdam Alcionium Mileſium dicitur, ſed maſſam quandam ex cruſtoſis vermiculorum tubulis conglobatam & varie contortam. Implicantur enim & intricantur diverſi tubuli, craſſitie pennæ Gallinaceæ, miris adeò modis, ut explicari & extricari nullo modo poſſint, & maſſam conſtituunt inæqualem, tuberoſam, ad rotunditatem aliquo modo inclinantem.

Sunt mihi præterea variæ PLANTÆ MARINÆ in aquis creſcentes, & in noſtro mari frequentes, quæ cùm apud nos minus ſint raræ, de iis hoc loco pluribus agere non ſtatui.

Cujus generis ſunt: Muſcus Marinus Capillaceus, multifidus niger. Muſcus Marinus Goſſipio ſimilis; Alga vulgaris, ſeu gramen marinum latum, radice in fibras diſperſâ. Filum, ſeu Cuſcuta marina, Capillara Imperati, quam Epithymo aſſimilat. Quercus marina veſiculis prædita. Quercus marina cochleis minutiſſimis undique Margaritarum inſtar obſita. Fucus marinus caule Muſco ſpongioſo obducto. Fucus marinus caule & ramis fœniculaceis, foliis in ſummo latis & Quercinis. Quorum omnium pars major ſaxis & lapidibus adhuc adhæret, iis baſi latiori impacta.

Hæ marinæ plantæ quare vocentur Fuci egregie docet Ferrandus Imperatus Hiſtor. Nat. lib. 28. cap. 9. his verbis. Eſt quædam Fuci ſpecies, ſimilis radici plantæ terreſtris, ex quâ nobiliſſimus color purpureus extrahitur, quo genas olim pingebant mulieres. Hinc fucus dictus eſt à colore fucato, quem eo ſibi inducebant. Color verò hic exterius obſcurus, ſi planta in aceto maceretur, paulatim in purpureum & rubicundum degenerat. Vide autorem ipſum linguâ Italicâ Neapoli editum.

QUERCUM vero MARINAM hanc, quæ diverſa eſt ab eâ quam ſuperius deſcripſimus, eleganter delineat Cluſius lib. 1. Hiſt. Plant. Rarior. in hunc modum. Naſcitur hæc planta in ſcopulis, qui mari alluuntur, aut marinâ aquâ operiuntur, ſine ramis, ſed oblongis latiſque foliis, adeò mollibus, ut cum æſtus receſſit nullo modo ſuſtinere ſe queant, ſed in ſaxis ſtrata aut diffuſa reperiantur. Multifida verò ſunt hæc folia, & ſecundùm alarum exortus, atque cavitates, bullas quaſdam, aquâ plenas, eminentes habent, eorum verò extrema in quoddam velut rudimentum exigui Cucumeris deſinunt, ſubflaveſcens, aquâ plenum. Atrâ viriditate prædita ſunt, quamdiu ſub aquis latent, aut recenter à marinis aquis ejecta, ſiccata autem nigreſcunt, & glutinis inſtar ſplendent.

Nullis radicibus firmantur, ſed Lepadum modo ſaxis, aut Oſtreorum teſtis adhærent.

Mirum profecto, quomodo non hæc ſolum, ſed & reliqua ejus generis Vegetabilia ſaxis tam pertinaciter adhærere, & ex iis nutrimentum trahere valeant. Siquidem plantæ, quas ego poſſideo, licet magnæ ſint, tam exiguis inhæreant lapidibus, ut vix ramulo nutriendo ſufficere poſſe quis exiſtimaverit, etiamſi pleni eſſent ſucco, quo tamen plane deſtitutos credo, cum non magis ex hiſce, quam ex pumice, aquam aut ſuccum expreſſeris. Modum igitur Vegetandi & nutriendi peculiarem habere Marina, neceſſum eſt.



MUSEI WORMIANI HISTORIÆ DE ANIMALIBUS LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Animalium differentiæ.

EXPEDITIS fossilibus & vegetabilibus potioribus & rarioribus, quæ in Museo tenemus, ad Animalia, quorum aut integra corpora, aut partes in nostrâ sunt potestate, ut transitum faciamus, ordinis suadet ratio.

Ne autem in tantâ copiâ indiscretè vagemur, pauca de Animalium divisione & in classes distributione sunt præmittenda, ut, quò quodvis sit referendum, melius constet.

Animal ab animâ sic dictum volunt, Græcis ζῶον, à quibusdam substantia animata sentiens describitur. Nam, ut rectè Aristoteles lib. 2. de Animâ cap. 2. Animal est ob sensum primo, nam & ea quæ non cientur motu, nec mutant locum, sensum autem habent, non solum vivere dicimus, sed etiam animalia nuncupare solemus. Sed, ex sensibus, Tactus animalibus cunctis primo inest, atque ut vegetativum à tactu sensuque omni, sic à cæteris Tactus separari sensibus potest. Quocirca, animalia cuncta ipsam vim habere sentiendi, tactu constat.

Quanquam variæ Animalium divisiones extent apud Philosophum 1. de Hist. Animal. quarum ratione animalia in certas distribuuntur classes, nostro tamen instituto maximè quadrare illam judicamus, quâ omnia animalia cap. 4. ejusdem libri dispescuntur in sanguinem habentia; quo refert hominem, equum, & omnia quæ aut perfecta pedibus carent, aut binis quaternisve constant pedibus: & Exsanguia, quo spectant Apes, vespæ, atque inter marina, sepiæ, Locustæ, & denique omnia quæ pedibus plus quam quatuor innituntur.

Ut verò nos semitæ, quam ingressi sumus, insistamus, ab imperfectioribus ad perfectiora ascendendum putamus, primoque exsanguia, quæ tenemus, tractabimus, dein progressum ad sanguinea faciemus.

Inter EXSANGUIA primas obtinebunt INSECTA, quæ incisura parte sui vel supinâ, vel pronâ, vel etiam utraque possidentia, nec osseum quippiam discretum aut carneum, sed quiddam inter hæcce medium continent, quippe corpore pariter intus forisque duro constans, Aristoteli ἔντομα, Alberto Annulosa dicta.

Ejus species cum plurimæ sint, ad certas tamen & ordinatas classes eas redegit Aldrovandus hunc in modum. Insecta sunt vel Terrestria in terrâ degentia, vel Aquatica: illorum

illorum quædam pedes habent, quædam pedibus carent. Pedes habentia, alia sunt alata, alas habentia, vel detectas, ANELITRA dicta, vel opertas, ut COLEOPTERA seu Vaginipennia, ut Locusta, Gryllus, &c. Anelitra vel quatuor habent alas membranaceas, & sunt vel favifica, ut apes, vel non favifica, ut cicadæ: vel alas habent farinaceas, ut Papiliones. Duas alas tantum habent Muscæ, culices, & ejus census. Aptera, seu alis carentia, vel paucos habent pedes, sex, octo, duodecim, quatuordecim; vel multos & plures, ut Onisci, millepedes. Pedibus destituta insecta terrestria, sunt vermes varii, tam in hominibus, quam aliis animalibus, Plantis, Lapidibus, & extra ea existentibus.

AQUATICA insecta in aquis tam dulcibus quam marinis degentia, item sunt vel pedibus prædita paucis, ut Muscæ fluviatiles, vel multis, ut pulex marinus, &c. Vel Apoda, seu sine pedibus, ut Hippocampus, Stellæ marinæ, aliæque. Consulto alias omittimus divisiones, quæ vel à corporis qualitate, colore, quantitate, partibus, victu, generatione, motu & coitu desumi solent, cum unica illa nobis sufficiat, ut secundùm eam in classes dirigamus, quæ possidemus.

CAP. II.

De Insectis in specie.

INSECTORUM primatum nobis obtinet APIS, non quod rarum & exoticum sit animal; sed eo potissimum nomine quod animal sit utilissimum, exigui impendii, & favus ejus, quem tenemus, & artificii & elegantiæ obtineat quam plurimum.

APIS, Græcis μέλιζοα, insectum est terrestre, alis membraneis præditum, anelitron & favificum, unius coloris, aculeatum, mella conficiens, & ceram elaborans. De hujus animalis naturâ & constitutione consulatur Aristoteles, Plinius, Aldrovandus, & alii: nostri instituti non est minutias persequi vulgares.

Cum in omnibus suis operibus industriam præ se ferant mirabilem apes, tum maxime in favis construendis. Quando alveum nactæ sunt mundum, ex arborum lachrymis & gummis succos comportant glutinosos, hisce rimas & pavimentum oblinunt, ne quid incidat, aut intret quod nocumentum adferre possit. Hinc Regum suorum cellas eminentiori loco statuunt, amplas & cæteris majores, easque sepimento vallant. Vicinæ Cellis Regiis habitant seniores, hinc natu minores, dein adolescentulæ. Favos verò æquabiles struunt, eorumque partem aliquam ad mel asservandum, aliam ad apes, aliam ad fucos. Nec eâdem semper visuntur figurâ. Mihi favus unus est figurâ ovali, pineam nucem fermè referens, longitudine unciarum trium, latitudine duarum, cellulis suis hexangulis affabre decorus. Planus cum sit ab utrâque parte interstitio distinctas obtinet cellulas, profundiores in medio; ad latera paulatim profunditate decrescentes. In longitudinem septendecim excurrunt cellulæ, septem in latitudinem. Cellulas tot habere angulos, quot apes pedes, observarunt Zographi, & æqualibus ita constare lateribus, ut una alteram fulciat ordine in obliquum quasi disposito.

Usum favi obtinent eundem quem cera, de quo fuse differentem vide Aldrovandum.

BOMPYLIO Papilio est qui ex Bombyce seu Erucâ serici staminis textrice generatur hoc pacto. Ex ovis fit Eruca, quæ ubi pensum absolvit, fit Chrysalis, ex quâ papilio, qui folliculum Bombycinum cui includitur terebrat, & haud ita multo post Venerem tribus diebus exercet, quo peracto Masculus moritur, fœmina verò ova parit innumera, rotunda, minuta, semini Hyosciami non dissimilia, substrato panniculo albo, dein moritur. Ova verò in Ver instans asservantur.

Ab aliis vermis Indus, vermis lanificus & Ser vocatur. In Europâ Bombyces pennæ olorinæ crassitiem rarò superant, cum in Indiâ pollicis humani magnitudinem longè excedant. Domus seu folliculus, cui includitur, apud nos rarò superat ovi Columbini majoris magnitudinem, in Indiâ caput humanum æquat, teste Majolo. Colore differunt, aliæ albæ, aliæ cinereæ, aliæ flavæ visuntur vermes. Pedes habent quatuordecim, anteriores sex minores, posteriores octo mediocres, postremi duo maximi, supra quos cauda acuta & surrecta. Rictus omnibus porcorum similis, oculi magni, nigri, à capite ad caudam usque linea per dorsum medium fusca fertur. Ova commodè incubantur à virgine sanâ, ubi eruperint foliis mori pascuntur, lactucis etiam quandoque. Cum aliquot diebus oblatas frondes voraverint, somno corripiuntur

tur triduano, dein rurſus vorant & ſenectam exuunt, idque quartâ vice. Demum cum à cibo abſtinent, ſcopis imponuntur in quibus texunt folliculos, quibus ſe ipſos includunt. Biduo totum folliculum abſolvunt, tanto textus artificio, ut ad finem uſque filum ſervetur integrum, cum alioquin fragillimum ſit & tenuiſſimum, humanum prope viſum fugiens, longum verò adeo, ut multas orgias compleat. Collectis folliculis prima & externa detrahitur lanugo, reliquum aſſervatur in uſus.

Vermes ipſi non tantum obtinent uſum, quantum ſeta & filum, ex quo veſtes precioſæ fiunt. In Medicinâ cordialibus permiſcetur, ingreditur enim Diamoſchum, confectionem Alkermes, ſpecies cordiales, ſyrupum de Pomis, de corticibus citri. Quidam conciſum præferunt uſto. Combuſtum putrida ulcera mundat; cum ſale dentium rubiginem tollit, cerebrum roborat.

Inſectum quoddam in mari Iſlandico reperitur, quod OSCABIÓRN vocant, & ad Pediculos aut Cimices majores, quos figurâ refert, ſpectare videtur. Hoc enim non ſecus Piſces quoſdam infeſtare ſolet, ac pediculi alia animalia. Cruſtaceum eſt animal, ſeſquidigitum longum, digitum craſſum, figuræ oblongæ, ut cauda Gammari formatum & cruſtatum, ſeptem conſtans juncturis, quatuordecim brevibus pedibus, unguiculis acutis præditis, in quolibet latere ſeptem, anterius ampliatur. Corpus habet molle ſub cruſtâ, inſtar maſſæ æqualis & perſpicuæ, ſuccinum fermè referens, quod in lapidem induratur, nulla inteſtinorum aut viſcerum relinquens veſtigia. Oſcabiorn vero vocant, quaſi ſit optationis urſus. Putat enim vulgus, ſi quis, deglutiendo hunc lapidem, quid optet, voti futurum compotem, & ſi Piſci qui primum capitur adhæreat, boni eſſe ominis, & felicem Piſcaturam portendere.

Hiſtoria pediculi marini, quam ponit Geſnerus lib. 4. Aquatil. pag. 816. non multum ab hac abludit. Piſcibus hoc inſectum ita adhæret, ut eripi non poſſit, fugit ut hirudo, nec prius abſcedit, quam tabidum & exſuccum piſcem reddiderit. Reperitur cervici Mugilum, Luporum, & ſaxatilium piſcium affixus. In Braſiliâ etiam inveniri & piſcem ACARAMBITAMBA potiſſimum infeſtare docet Georg. Margr. Hiſt. Piſcium lib. 4. cap. 8. Mihi lapis ex hoc inſecto eſt, cujus originem variis fabellis involutam docent Iſlandi. Inſectum ipſum demum etiam accepi integrum adhuc & nullâ ſui parte mutilum.

Ad inſecta volucria Colcoptera, ſeu vaginipennia, SCARABÆUS refertur, Græcis κάνθαρος. Quo nomine inſigniuntur omnia illa, quorum alæ cruſtâ teguntur, hoc peculiare habentia, quod careant aculeo & proboſcide, denteſque habeant, quibus edendi munus perficiant, & pinnas valde fragiles, quo nomine cruſtis indigent ad earum tutelam.

Varia eorum ſunt genera, differunt enim colore, magnitudine, ſono, generandi modo, capitis conſtitutione, dum alii cornuti, alii ſine cornibus.

Ex Indiâ Orientali mihi allatus SCARABÆUS pulcherrimus, unciarum duarum longitudine, latitudine unius fermè, capite canino, nigro purpureo; ſupra oculos ad latera, duæ prominentiæ, luteæ, glabræ, inſtar auricularum in canibus propendent quaſi.

Collum scuto tegitur nigro, splendente, cujus ambitus viridi cingitur lineâ, quæ etiam per ejus medium transcurrit. Alæ in acutum desinentes ex viridi ac purpureo micant, ut colla Anatum. In acutum desinit Uropygium. Pectus, ut & venter, quatuor constans intersectionibus, atropurpureo splendet lævore, pulchrè admodum. An ad Melotontham Aristotelis referendus, dispiciendum.

Sunt mihi & cornua SCARABÆI CORNUTI, quem Nigidius Lucanum vocat, Leonicerus cervum volantem, Cardanus Scarabelaphum, Scaliger Taurum, alii Scarabæum bicornem. Cornua hæc ramosa sunt, dentata, colore purpureo nigrescente, quibus obvia valide constringendo apprehendere valet. Hi Scarabæi corpore nigricante esse solent, oculos juxta cornua habentes, intra cornua antennas quibus obvia pertentant, capite sunt latiore, sed pectore minus longo.

In Italiâ ad dolores sedandos & nervorum contractiones feliciter hæc cornua adhibent & contra hosce affectus auro inclusa gestant, pueris quoque contra terriculamenta, fascinationes, aliosque eorum morbos collo suspendunt. Contra Quartanam valere putant. Cardanus refert Febres accendi, si in oleo coquantur, eoque pulsus inungantur.

Hisce affines sunt MONOCEROTES dicti Scarabæi, unico cornu spectabiles in vertice capitis, quos Ægyptii Mercurio dedicarunt, corpore nigro purpurascente, crasso, capite magno, pronâ parte hirsuti. Ferrandes Imperatus, ob similitudinem quam ratione cornu in naribus gerit Rhinoceros quadrupes, Rhinocerotes vocat. Tarde admodum volant, unde & manibus facile capiuntur. Anni MDCXLI. æstate crebri visi sunt in hortis nostris, unde petiti illi quos habeo, unicum cornu aduncum & acutum habentes. Pro ratione corporis, robore præditi incredibili: unus capsulæ satis magnæ ligneæ inclusus, cum operculum elevare haud potuit, rodendo latera perrupit & avolavit.

SCARABÆUS χλωρόχρυς, colore ex viridi aureo, supinâ parte quâ Soli & luci exponitur aureum edit fulgorem, ut inter Scarabæos & Cantharides medius videatur. Quibusdam Scarabæus viridis Plinii, quem jucundo suo aspectu contuentium visum acuere ait. Repertus æstate superiore in horto meo.

CANTHARIDES duas ex Indiâ Orientali possideo pulcherrimas, colore viridi superlucente auro sed diversimode. Major longitudine unciam superat, licet capite sit spoliata, latitudine pollicis dimidii, collum frequentibus punctulis scabrum est, alæ oblongæ, in acutum desinentes, læves, nisi quod utraque juxta collum uno lenticulari notetur punctulo.

Altera minor paulo, oblonga quoque, ejusdem figuræ, sed in colore hoc est discriminis, quod plus habeat auri rubentis quam prior, alæ præterea frequentioribus niteant stellatis punctulis. Utraque quatuor saltem pedum ostentat reliquias, sed ob coloris pulchritudinem se ipsas commendant.

Venenatæ licet sint cantharides omnes, eas tamen in usum suum traduxerunt Medici. In Hydropicis usus est Hippocrates, absciffis alis, capitibus & pedibus. Ad urinam provocandam quidam, sed benè præparatis, utuntur.

Ad Lichenas, alopeciam, verrucas & aliena extrahenda, faciei pustulas, scabiem, psoram, nomas, carcinomata applicant alii. Contra varios morbos mulierum, Icterum, quartanam sunt qui utuntur. Sed, cum suppetant tutiora, non temerè ad hæc progrediendum. Ad pustulas & vesicas in cute excitandas earum usus frequens est & tutus. Qui pro Philtro exhibent, videant ne pro Pharmaco venenum præbeant, Vesicam imprimis vehementer exulcerant.

INSECTUM quoddam APTERON frequens visum est in navi nostrâ, quæ ex Ind. Orient. Anno MDCXXXVIII. huc appulit, pollicis longitudine, latitudine dimidii, corpore quà caput spectabat arctiore, quà caudam latiore, colore puniceo. Pedibus sex (quorum posteriores longiores, hirsuti & acuti) præditum, antennis duabus juxta os dotatum.

Inter Gariophyllos aromaticos nidulabatur, & homines in navi existentes mire infestabat. Fuit qui Cicadam Indicam existimaverit; Sed, cum alis destitueretur, eo referri non debere arbitror. CIMICEM aut PULICEM Indicum magnum esse existimo. Pulex enim per Microscopium conspectus figuram exhibet huic similem, homines etiam eodem modo quo pulices infestat.

LOCUSTA HISPANICA, mihi à D. D. Wichmanno allata, corpore est cinereo maculato, & quibusdam in locis ad flavedinem inclinante. Caput habet cucullatum, cine-

cinereum, squammatum, os triquetrum, mystace seu quatuor pilosis ornatum corporibus, in fronte tenues quasdam antennas ostentat, oculos prominulos nigricantes, alas quatuor variegatas, membranaceas, nervis quibusdam per longitudinem excurrentibus, crura quatuor, anteriora minora in se reflexa, sed duo posteriora, trium unciarum longitudine, ad saltandum apta, quà corpus tangunt crassa, alioquin tenuia & cornea, in extremo articulo serrata. Venter octo sectionibus distinctus in acutam desinit spinam, in extremitate nigricantem. Totum corpus longitudine est unciarum trium.

Locustarum tanta est varietas, explicari commode ut nequeant; mediam naturam habere videntur inter volatilia & reptilia, nam cum paululum à terrâ elevantur, saltant, iterumque pennis deficientibus in terram cadunt, sed altius evectæ volant aliquantisper, nocturno frigore torpent, nec matutinis horis se à terrâ elevant, antequam æstus meridianus ingruat. Frugibus infestum animal, adeò ut integras regiones quandoque devastaverint, cujus rei testis est Gallia anno 852.

Sunt populi qui Locustis vescantur, ut Æthiopes, Tagetenses, Parthi, Arabes, qui in loco ubi sunt fumum excitantes, eas decidere cogunt, & captas sale, sole, & furno exsiccant, ac in massulas formatas pro annuo nutrimento servant. D. Joh. Baptistam iis silvestri melle mixtis vitam in deserto sustentasse docet D. Mattheus Euangelista cap. 3. Quatuor earum genera munda esse voluit Deus, Levit. XI. 22.

In Medicinâ etiam usus suos habent, nam suffitu Stranguriæ mulierum medentur: panis cum Locustarum carne comestus, calculosos juvat. Unguium scabritiem tollunt frixæ. Crura Locustarum cum sevo hircino trita, Lepras sanare inquit Plinius. Ad oculorum albuginem, caliginem & nebulam, ex iis Medicamentum præparat Arnold. Villanov. Brev. lib. I. cap. 16.

LOCUSTÆ aliud mihi est genus hic in Daniâ repertum, parvum, nigrum, unciæ unius longitudine, tenuibus & brevibus antennis præditum, oculis candidis, minutis, nullâ in caudâ spinâ aut aculeo, cætera locustis aliis simile.

GRYLLOTALPA, Sphondylis Cordi, Bupestris Dodonæi, cum quibus tamen nequaquam convenit. Aldrovandus vermem Cucurbitarum vocat, quia Cucurbitas in hortis valde infestat. Gryllotalpa verò vocatur, quia cum Gryllo stridorem habet communem, & instar Talpæ terram fodit.

Ejus historiam accuratè persecutus est Moufettus in Hist. Insect. cap. 24. hoc modo. Insectum visu horridum & monstrosum, quadruplo maximam superans Cantharidem (vel quatuor circiter digitos longum) præcipuè ætate ubi fuerit provectiore. Fœmina levius, mas saturatè fuscus. Illi, præter duas longas antennas, fibulæ quatuor quasi è naribus labiisque propendent, oculos habet majores, & alarum radix miniatâ maculâ ornatur. Mas verò fibulis illis nudus, illarum loco, setas duas fibulis duplo longiores obtinuit. Concolor sibi undique videtur & sine maculâ, utriusque ungues coracini sunt. Anterioribus pedibus robustis admodum & varis tumulos perfodit uterque & cuniculos agit, mediis insistit, ultimis, quando opus est, saltat. Cauda illi bifurca, alæ corpore longiores, membraneæ, corpus incisuris variis insignitum. Juniores ferè toti nigricant, adultiores implumati videntur. Sub terrâ palustri & humidâ maximam ætatis partem vivit, noctu tamen egreditur. Tardigradum valde est animal, volatusque ejus saltum refert: unde in locustarum numerum à nonnullis ponitur. Sole occiduo primum prodit, Gryllorum more, suâque cantilenâ sonorâ quidem satis & supra mille passus stridente sibi applaudit, quam ubi audiunt Agricolæ oppido exhilarantur, ac si ejus adventu terram humore gravidam & calore Solis maturatam scirent. Grana tritici, hordei, & Avenæ colligit, ac in cavernam asportat, inde fortè hyeme victurum. Quidam stercoribus equinis eam vesci affirmant. Nudis manibus tractata bestia, nullum mordendi aut offendendi indicium præbet.

Mihi tres ejus generis vivas, venum in scatulâ asportavit Rusticus quidam, terrâ madidâ opertas, quas prope Fridericiburgum captas affirmavit. Sed capsulam perforarunt & abierunt. Alias postmodum aliunde accepi, quas mortuas servo.



PHALANGII AMERICANI dentes mihi à Clariſſ. Viro D. Joh. de Laet tranſmiſſi, parvuli ſunt, adunci, acuti, colore purpureo nigricante, ungulas potius quam dentes referentes. Animal ipſum deſcribitur ab eodem autore lib. 15. Ind. Occident. cap. 15. Carolo Cluſio in Exoticis, Margravio de inſectis lib. 7. cap. 3. Braſilienſibus Nhamdu Guacu dicitur, aliis Araneus maximus & Phalangium. Totum corpus digitos tres & ſemis longum, biſectum. Anterior pars major & penè duos digitos longa, ſeſquidigitum lata, ſubrotunda & compreſſa, poſterior magis orbicularis, nucis Moſchatæ majoris magnitudine & figurâ, ſeſquidigitum longa. In dorſo medio verſus poſteriora foramen habet umbilicale, capite caret ſpeciali; ſed ſupra os in anteriore parte corporis ocellos habet minimos, ſplendentes inſtar punctulorum, & ad utrumque oris latus prominentiam unguiformem ſemilunarem, ſemidigitum longam, in extremitate dentatam, dente ſemilunari, ſplendente, coloris nigro purpurei. Crura habet decem, utrinque quinque, priora duo juxta dentes duos digitos longa, quatuor internodiis conſtantia; omnia in extremitate habent duo cornicula curva, nigra, ſplendida, biſſecta, ut cancri. Prope anum duos proceſſus, ſemidigitum longos, juxta ſe poſitos, fili craſſioris craſſitie, quibus nere ſolet Totus araneus veſtitur cute piloſâ, brevibus pilis nigris ad viſum, ad tactum inſtar Holoſerici. Per totam autem ſuperficiem crurum partis poſterioris, laterum & proceſſuum, qui dentes continent, pili copioſi ſunt inſperſi ex albo & gryſeo rubei coloris. Poſterior ſectio corporis in adultioribus plerumque nuda eſt pilis, & cutis ex albo incarnata. Veſcuntur Muſcis & aliis inſectis. Margravius idem refert ſe unum in ſcatulâ per biennium aluiſſe, qui certo tempore cutem exſuit, dentibus etiam adhærentibus, novâ ſubtus generatâ. Frequentiſſimum eſt inſectum in Inſulâ S. Alexii.

Ad inſecta aquatica apoda refertur Hippocampus, quæ vox variè ab auctoribus ſumitur, pro ſcuticâ à quibuſdam uſurpatur, ab aliis pro Hippopotamo, ab aliis denique pro hoc inſecti genere, de quo nobis hic ſermo. Dicitur vero ab ἵππος quod equum notat & κάμπη flexura, quod hoc inſectum ex Equo & Erucâ compoſitum videatur. Magnitudine eſt dodrantali, quandoque minor, pollicis craſſitie, roſtro oblongo, tubuli modo cavo ſine ſciſſurâ. Ab inferiore ejus parte operculum foramini opponitur. Oculos rotundos habet prominentes, in recentibus in vertice pili conſpiciuntur, qui in exſiccatis & demortuis decidunt, collo & ventre Equi collum refert. Poſt oculos pinnulæ duæ auricularum inſtar. Sub ventre duas habet rimulas, ex quarum unâ excrementa dejicit, ex alterâ ova. Cauda reliquo corpore tenuior eſt, quadrata, aculeata, veluti ex cartilagineis circulis compacta, ex quibus extant aculei intermediis membranis, colore fuſco, punctis albis notato, aſpectu pulcherrimum & jucundiſſimum animal.

Ælianus lib. 14. de Hiſt. Animal. cap. 20. ventrem Hippocampi venenum eſſe, variaque quæ ibidem enumerat ſymptomata producere aſſerit. Contra morſum Canis rabidi, foris ulceri applicatum, valere vult idem: etiam toſtus ad comedendum exhibetur. Alligatum Venerem provocare dicit Plinius. Ad Lepram, Alopecias, Iſchiadicos dolores

res ſunt qui commendent cum aquâ Abſinthii toſtum. Contra Lumbricos & vermes exhibent quidam.

STELLA MARINA à quibuſdam ad Zoophyta refertur, ſed arboreſcenti ſtellæ, de quâ poſtea, potiſſimum id competere videtur, quæ ex Piſce & Plantâ conſtat. Quidam Oſtrocodermis annumerant, quia radii tam duro conſtant cortice & callo, ut gladii mucrone vix poſſit penetrari. Aldrovandus & alii ad inſecta referunt aquatica apoda, quod inciſuras multas in radiis habeat. Græcis ἀστὴρ, à Sylvatico Sydus marinum vocatur.

Inſectum eſt marinum, in radios quinque, octo, & duodecim quandoque diviſum, magnitudinis diverſæ, ſunt enim majores & minores, parte ſupinâ radiorum ſpiculis crebris dotatum, ſeptem eorum ordines eſſe in latitudine vult Cardanus, in longitudine viginti duos, cumque animal ſit non uſque adeo magnum, ſupra tamen quinque millia promuſcidum cum ſuis acetabulis exſerere. Radii ipſi, in multis particulis, tanquam ex vertebris componuntur, ut in aquâ ſint mobiles. In medio oris ſitus eſt, quinque dentibus dotati, ut in Echino, excrementorum nullus apparet exitus, ut ore quæ ſupervacua ſunt excernere videatur. Differunt primò ratione magnitudinis, quod quædam magnæ ſint, quædam parvæ: ſecundò colore, quod aliæ flaveſcant, aliæ cinereæ ſint, aliæ nigricent. Denique aliæ aculeatæ, aliæ minus, & aliæ plures habeant radios, aliæ pauciores. Ad duodecimum uſque numerum accreviſſe radios animadverſum eſt. Ejuſque mihi ſunt exempla.

Illæ, quas ego poſſideo, quinque radiorum, majores & minores, duro & ſpinoſo veſtitæ corio, quod in humido facile molleſcit & diſſolvitur. Radii ipſi excavati ſunt, ac in meditullio os conſtituunt, quo alimentum attractum conficitur & per omnes diſpergitur partes. Colore ad cinereum vergunt.

Majorem duodecim radiorum ex Iſlandiâ accepi, quæ, cum nihil habeat peculiare à reliquis, deſcriptione non indiget, ſed Anno MDCL. elegantiſſimam nactus ſum Stellulam duodecim radiorum, in dorſo coloris purpurei, cui cinerei quidpiam permiſtum, alterâ parte plane cinerei, ambitus ejus vix ſuperat Dalerum imperialem, Diameter uncias tres.

STELLÆ ARBORESCENTES mihi duæ ſunt, major altera, altera minor. Radices habent quinque minores, in quarum medio os cum quinque appendicibus, quæ parvis dentibus ſeu ſpinis horrent: pars ea depreſſa eſt, ambitus vero tumet, & in quolibet radio rima. Diſpeſcitur verò primo quivis radius in binos, horum quilibet rurſus in alios binos, atque ita conſequenter, totum corpus per Dichotomias ordinatur, quouſque ad tenuiſſimum ramum deventum fuerit. Hi verò rami ſimillimi ſubſtantiâ ſunt Aſtacorum antennis, & ejuſdem fermè texturæ, niſi quod molliores ſint, inciſuris infinitis præditi, ac criſpati, colore cinereo ad rubicundum inclinante.

Sunt qui quaſdam ex ſtellis edules eſſe arbitrentur, ſed cibum minus gratum eſſe oportet. Ad uteri ſtrangulatum alii commendant. Kiranides ſuffitum ex ſtellâ marinâ excitatum omne malum avertere ait, arteſque magicas impedire. Contra omnia venena, vel potu, vel Ictu, vel morſu illata, ſuccus earum ex jure decoctarum efficaciſſimus habetur Plinio. Ad Epilepticos ſuffimentum ex iis præparari docet Myrepſius. Ad Pilos evellendos alii commendant. Qui ſuperſtitioſa cupit, legat Kiranidem.

Ex Norvegiâ VERMIUM MARINORUM nomine ad me delata ſunt inſecta quædam, quæ ferme radios ſtellarum figurâ & ſubſtantiâ referunt, aculeati ſunt, hirſuti, carinati, longitudine pedali ferme. Dorſum tribus conſtat aculeatis prominentiis per longitudinem excurrentibus. Venter profundâ & latâ inciſurâ, undique aculeis hiſpidâ, uſque ad caudam hiat, craſſitie pollicis: corpus frequentibus cartilagineis conſtat inciſuris, ſed pelle tegitur craſſâ, hiſpidâ. Intèſtinorum, aliorumque viſcerum veſtigia nulla, plane ut in radiis ſtellæ marinæ. Capitis obſcura valde ſunt lineamenta; in foramen tamen deſinit parvum, quod oris vices procul dubio ſupplet. A nemine, quod ſciam, deſcriptos hos vidi vermes. Ego quidem, antequam diligentius luſtraſſem, binos illos quos teneo vermes hujus generis radios majoris cujuſdam ſtellæ marinæ eſſe putabam.

Cap. III.

De Mollibus.

INSECTA sequuntur animalia MOLLIA seu μαλάκια ab Aristotele dicta, 4. de Hist. Animal. cap. 1. sed à Plinio lib. 9. cap. 28. ad Pisces referuntur, quod in mari & aquis potissimum reperiantur. Sunt verò, Philosopho teste, mollia sanguine carentia Animalia, foris carne obducta, solidum quid intus continentia. Galenus lib. 3. de Aliment. facultat. μαλάκια vocat, quæ neque squammam, neque asperam, neque testaceam cutem habent, sed mollem, perinde ut in hominibus, & duræ sunt carnis. Differunt verò à Zoophytis, quæ à quibusdam inter Mollia referuntur, quod Zoophyta solidam intus non habeant substantiam ossi proportionatam, nec pedes octo, nec atramentum, nec caput intra alveum, nec alia quibus verè & strictè Mollia prædita sunt.

Huc spectat POLYPUS, qui nomine gaudet Græco, cum Latino destituatur, à multitudine pedum & flagellorum sic dictus. Albertus Magnus Multipedem vocat.

Polypus, ut cætera ejus generis, octo habet pedes seu flagella vel brachia, iisque continuum caput (quamvis dicat Arist. omnia animalia caput habere, excepto Polypo, qui loco capitis gerit alveum) tum alveum seu sinum continentem interiora. Brachia duobus acetabulorum ordinibus dotantur, excepto uno genere Elidonum. His, quoties tempestates urgent, ad saxa aliqua adhærent, & se velut anchoris jactis stabiliunt, quin & tanquam manibus & pedibus hisce brachiis utitur polypus. Quippe qui duobus supra os positis cibum admoveat, ultimo verò, quod acutius, in coitu utatur. Fistulam ante alveum habet cavam, supra brachia, quâ marinam cum esculentis haustam transmittit aquam, modo in dextram, modo sinistram partem transfert. Hac etiam suum atramentum fundere solet. Natat obliquus, pedes in eam porrigens partem, quam caput vocant, atque ita efficit ut cum natat prospiciat in adversum (nam oculi supra sunt constituti) & os habet ex adverso. Caput illud Polypis, dum vivunt, prædurum & quasi inflatum est. Tangunt & tenent brachiis supinis, membranamque interjectam totam extendunt. In arenam tamen elapsis, facultas apprehendendi retinendique nulla est. Alveus Polyporum, respectu reliquorum mollium, parvus est, crura prælonga, caput inter crura, quæ & brachia & barbæ & cirrhi appellantur. Viscera nulla habent, sed eorum loco Mutim sub ore, in quâ humor ille qui atramentum vocatur. Polypus nihil solidi in se habet, ut alia mollia, Sepiæ & Loligines. In varios colores quod se mutet, id à molli ejus pelle provenire multi putant, quæ facile glubi potest, cujus colorem mox album, mox rufum, postea lividum, mox variis coloribus distinctum videre licet. Voracissimum est animal & quodvis obvium consumit, Conchularum tamen carnem præ cæteris ambit, flagellis testas frangit, quibus cubile suum stipat, & sic carnem absumit. Cibi si arctetur penuriâ, propria devorare brachia volunt, quæ deinde renascantur.

Quidam ex Polypis edules sunt, sed caro prius bene contundi debet & elixari. Apud Medicos etiam suum obtinuit usum; tusus & illitus sanguinem sistit, in cibo torminibus medetur Nephriticis, è vino veteri succum ejus exhibent. Ad narium Polypos etiam conferre volunt. Ad Hydropes & affectus muliebres, sunt qui commendant. Ejus usum Venerem promovere & libidinem excitare ratio & experientia docent.

Meus Polypus longitudine pedem unum cum unâ quartâ obtinet, cœrulei, purpurei & cinerei coloris confuse misti. In summitate ejus alveus est seu vesica quædam Coriacea vacua, quæ in vivo inflatur aut aquâ marinâ vel atramento repletur, sub hac caput & oculi, quorum tamen non extant in meo vestigia. Hinc sequitur fistula, per quam exonerat haustam aquam & atramentum suum effundit. Mox corpus in brachia seu cirrhos dispescitur octo, qui paulatim attenuantur in apicem, & ab alterâ parte unicâ acetabulorum serie dotatur, quâ obvia apprehendit & retinet. Viscerum interiorum nulla vestigia. Totum corpus Coriaceâ constat substantiâ & molli pulpâ carneâ. Ad classem Elidonum, ut supra monui, referendus videtur.

LOLIGO ab Italis & maris Adriatici accolis Calamarium vocatur, Ligures Totanum, Oceani accolæ Casserum, Græci τόθον nominant. Latini verò Loliginem, quasi Voliginem à Volatu, ut Varro putat, teste Scaligero in Histor. Animal. Arist. lib. 1. cap. 44. Motum ei tribuit peculiarem. Efferre sese ab aquis intervallaque haud parva transmittere volatu. Meus piscis in Islandiâ captus est Anno MDCXLVII. ab extremitate alterâ

ad

ad ultimum Cyrrhi majoris duos pedes longus. E mollium genere, ad pisces gregales à quibusdam relatus, colore purpurascente cinereo & vario. Duabus quasi partibus constat, una instar thecæ est in quam se recipit, in extremitate plana triquetra, duabus quasi alis prædita, reliquâ parte concavâ, in quam reliquum corporis recondit, quod nervis quasi duobus & corpore angusto propendet, mox ab egressu tubam ostendit amplam, cui digitus inseri potest.

Hanc tubam, intervallo unius pollicis, mox excipit caput oblongum, cui utrinque oculi clari & Crystallini insident; rostrum vero durum & nigrum habet, simile Psittaci; quod Cirrhi seu flagella ambiunt octo, urrinque quatuor; quorum tria minora, octo uncias longa, in acutum desinentia, longitudine sensim aucta, ita ut superiora duo minima, reliqua longiora, duobus ordinibus acetabulorum, alternatim dispositorum, prædita. Hæc autem acetabula rotunda sunt, ossea & dentata: Inferiora verò duo flagella longissima sunt, pedali longitudine, etiam in acutum desinentia, majoribus etiam acetabulis prædita, præcipuè circa extremitatem, sed rostrum versùs paulatim diminuuntur. Hisce Cancros, Ursos, Paguros venari & apprehendere volunt. Præter atramentum & alium quendam succum purpureum habet.

In cibis in Italiâ locum habent, & variis modis præparantur. Stomacho conferre auctor est Archigenes apud Galenum. Assatas torminosis prodesse vult Marcellus.

CAP. IV.

De Crustatis longis.

SUCCEDUNT in ordine exsanguium Crustata, seu crustacea, Aristoteli μαλακόστρακα, crustis tenuibus contecta, quæ ossibus carent, & communes habent cum reliquis exsanguibus partes, ut caput, alveum, gulam, ventrem & intestinum. Os in capite est, quod protinus venter excipit, dentes quoque habent & oculos duros sine palpebris, diversimode locatos, cornua quoque & Chelas. Scaliger Crustata dividit in rotunda & caudata. Illorum cauda quasi operculum alvi exitum obtegit, & ventris infimæ parti ita applicatur, ut caudæ speciem præ se ferat: illorum verò cauda expressa & extenta est. Rotunda Græci καρκίνα, Latini Cancros vocant, caudata Gammaros. Aristoteles eorum quatuor enumerat genera, Locustas nempe, Gammaros, Squillas & Cancros, quæ rursum in varias species dividuntur. Nos quæ tenemus hujus generis, breviter, more nostro, delineabimus.

ASTACUS à quibusdam Gammarus marinus, in nostro mari frequens, Hummer Vernaculè dicitur, magnamque habet ratione magnitudinis differentiam. Major ulnam quandoque superat Selandicam. Crustaceum est animal, colore, dum vivit, nigricante & ad cœruleum tendente, dum coquitur in rubicundissimum transit, sed paulatim ubi exsiccatur ad albedinem vergit, pedibus præditum octo, quos excipiunt Chelæ seu forcipes majores, utrinque unus dentatus. Pedum autem quidam bifurcantur in extremitatibus, quatuor nempe superiores caput versùs, reliqui in acutum desinunt. Cornua seu flagella ante oculos duo tenuia, longa, sectionibus multis distincta, quibus viam pertentat, super quæ alia minora, oculos quasi incumbentes & defendentes, parvos, duriusculos, frons acuta & aspera. Totum corpus læve, nisi ubi à Balanis obsidetur, ex crustis variis articulatim constructum, inter forcipes, altera grandior esse solet alterâ.

Usus Astaci in cibis est, sed carnem habet duram, difficilem concoctu, ast nutrimentum præbet laudabile. Tympanicis & Podagricis minus convenit, commendantur in Cardialgiâ, & Colicâ. Chelæ funibus, quibus campanulæ ædium pulsantur, appendi solent, tum ornatus, tum commoditatis gratiâ. Clavibus quoque nectunt nostratium quidam, ut sepositæ facilius inveniantur.

Quem Gesnerus, Aldrovandus, & alii ASTACUM MEDIUM, seu mediæ magnitudinis, Norvegi Hummer Konge seu Regem Astacorum vocant; Nos non inepte Astacum literatum, quod in crustis caudam tegentibus literarum quarundam grandium & quasi Hieroglyphicarum notas ostentet. Ante annos non ita multos talis Astacus prope Bergas Norvegorum cum captus esset, loci Episcopus exacte suis coloribus & lineamentis depingi eum curavit, atque huc transmisit, ut literas, quas crusta ostentabat Runicis similes, legeremus, procul dubio aliquid ominosum indicantes: Sed ejus ignorantiam

non

non potuimus non ridere, qui nesciebat peculiarem esse Astaci speciem, talibus maculis à Naturâ insignitam. Commodum verò accidit, quod duos ejus generis in Museo tenerem, quos cum picturâ dum conferrem, ostendi collegis nihil hic esse præter Naturam, sed de Naturâ ejus esse ut talibus insigniatur maculis nihil denotantibus. Sic sæpe contingit, ut quæ rara sunt, quia paucis cognita aut visa, pro monstris aut portentis habeantur à multis, cum tamen, in suo genere, Naturæ non exorbitantis sint fœtus ordinarii. Hinc patet, quantum conducat in exoticorum ac rariorum Historiâ versatum esse, ac supra vulgus in hoc etiam genere aliquid sapere.

Meus Astacus Literatus, longitudine est pedis unius. Chelæ seu forcipes, ubi extensi rectâ lineâ sunt, crassitie paulò majore pollice, totius corporis lineamentis majori Astaco similis, nisi quod Chelæ in longum protendantur & minores sint. Dimidium enim pedem æquant, &, antequam findantur, quatuor in longum exporrectis dotantur prominentiis, alternatim duplici & simplici dentium ordine conspicuis, inter quos sinus ad summum excurrunt quatuor, eleganti spectaculo, quo factum arbitror ut nomen Reguli Astacorum apud Norvegos obtinuerit. Antennas præterea, habitâ corporis ratione, minores habet vulgatis; oculos non adeo protuberantes, sed majores & crassiores. In dorsi crustis notæ conspiciuntur nigricantes, quæ priscas Monachorum literas quodammodo referunt, utrinque sex, quarum prima à caudâ numeranda T. secunda & tertia E. quarta & quinta L. sexta I. utcunque exprimunt, eâ figurâ quâ in vetustis manuscriptis codicibus visuntur. Hunc Astacum illum esse crederem, quem Rondeletius Astacum parvum vocat, nisi pedes forficibus carere diceret. Noster enim quatuor primos forficibus dotatos obtinet pedes, ut Astacus major.

Gammarus seu Astacus fluviatilis, nobis frequens, à quibusdam putatur esse Cancer fluviatilis. Sed errant, siquidem Aristoteles Cancros fluviatiles rotundos esse, corpore & caudâ non extensâ, sed corpori applicatâ, esse statuit. Nostratibus vocatur Krebs. Corporis lineamentis prorsus Astacum refert, atque in hunc modum à Rondeletio describitur. Corpore est tereti, capite in cornu latiusculum breve & acutum desinente, sub quo latent oculi, capiti præsupposita cornua quatuor, duo breviora, alia longiora, articulata, flexibilia, in tenuitatem pili desinentia, utrinque Chela est unica, aspera, denticulata, articulis quaternis connexa. Pedes utrinque quaterni, binis Chelis, priores bifidi sunt & hirsuti, bini posteriores in calcar desinunt. Posterior corporis pars, quæ collum appellatur, sex tabellis constat, cauda pinnulis quinque, media scuti formam refert & articulata est, utrinque duæ communi articulo, postremæ proprio colligantur, os dentibus munitum. Sub caudâ appendices sunt, in quibus ova reperiuntur. In capitibus bini lapilli, globi dimidiati figurâ, summo ventriculo adjuncti, qui majores & perfectiores sunt ubi crustam deponunt. De his autem in Historiâ Lapidum à nobis actum est. Mares, eâ parte quâ corpus ad caudam continuatur, subtus quatuor longas habent virgulas prominentes, quibus fœminæ carent.

Temperamento sunt frigidi & humidi, soporem inducere creduntur, cibum gratum & suavem præbent, sed difficulter concoquuntur. In Martio & Aprili commendantur, crescente Lunâ, quando scatent venis albis intricatis tanquam vermibus, improbantur. In Medicinâ maxime ad canis rabidi morsum, Phtisin, Hecticam, Icterum, Urinæ retentiones & calculum commendantur. Ad clavos extrahendos ex iis unguentum conficiunt, ad capitis dolores, linguæ inflammationem, Paralysin, Cancrum in mamillis, suo modo præparati adhibentur. Albertus ad venenatos Serpentum morsus commendat.

Squillæ apud nos frequentes sunt, utpote quæ magnâ copiâ in nostri maris capiantur littoribus, à mulierculis, reticulis perticæ alligatis, & in modum semicirculi extensis, illas piscantibus, præsertim genus illud quod quidam squillas gibbas vocant, Græci καρίδες. Crustatum est parvulum, uncias duas longum circiter, latum vix unciam dimidiam, Chelis carens, alioquin Gammaro similis, colore nigricante & cæsio dum crudæ sunt, coctæ rufescunt, aculeos in fronte gerunt, crustâ fragili, oculis eminentibus, intestinum rectum in caudam desinit, quâ excrementum emittit.

Usus apud nos frequens est in cibis, cum Sale elixantur & cum Pipere & aceto esitantur; excorticatæ quoque cum butyro & aceto mensis apponuntur. Venerem excitare credunt, & ad conceptum promovendum laudat Simeon Sethi. Hecticis & à morbo extenuatis eximiè prodesse volunt, si aquâ hordei ablutæ in carnium jusculo coquantur.

quantur. Tritas & vulneribus impositas spicula ac spinas evellere tradit Galenus. Cum oxymellite potas tineas & lumbricos expellere docent. Piscatores quandoque pro escis iis utuntur hamo alligatis, ut majores alliciant Pisces.

CAP. V.

De Crustatis Rotundis.

QUAMVIS inter Crustata oblonga & rotunda ambigere videatur, quem primo loco hic proponimus, Cancer, quia tamen, caudam ejus acutam si exceperis, totum ejus corpus ad rotunditatem accedit, locum ei hic tribuere placuit.



Dicitur verò à Carolo Clusio Exot. lib. 6. cap. 14. CANCER MOLUCANUS, eò quod circa Insulas Molucas copiose capiatur, & ad naturam Cancri accedere videatur. Clariss. Vir D. Joh. de Laet in descriptione Indiæ Occidentalis lib. 2. cap. 19. Araneum Marinum vocat; Americani Signoc vel Siguenoc.

Animal est crustatum, duabus crustis duris desuper tectum, quarum anterior patellæ instar, convexa, admodum crassa, duplicata, circa frontem orbicularis, & elegantissimè conformata, quâ alteri conjungitur, semilunæ in modum excisa, anteriore latere tuberculis quibusdam, & alicubi brevibus & obtusis aculeis, distinctis ordinibus asperatur. Posterior crusta priori minor est, Rombiformis & utrinque dentata, foraminulis quibusdam pulchro ordine variegata. Cauda item Crustacea oblonga, tertiam fermè longitudinis partem constituens, in cuspidem terminata. In quibusdam caudam longitudine corpus totum excedere, trigonam esse & à sui medio ad cuspidem usque aculeis veluti serratam & asperam esse docet D. de Laet. Sed in nostro res ita se non habet. In convexâ prioris patellæ parte, fere circa medium, duo illi sunt oculi, satis conspicui dum vitâ fungitur, ubi exspiravit contractiores & corneâ membranâ obducti. Concavâ parte plura crura habet instar Cancri, & quidem primò octo breviora, dein bina oblongiora, & alia rursum bina, breviuscula, repanda, neque Chelis armata, sed osficulo obtuso veluti remigio instructa, quibus natare creditur. Duas præterea circa os exiguas admodum Chelas, quibus mandit. Sub posteriore Crustâ vesiculæ aliquot sibi invicem superpositæ, quæ haud secus inflantur ac Ranarum buccæ solent. Littora & vada amant hi Cancri, & in æstuariis potissimum capiuntur variâ mole; sunt enim non pauci quorum cauda palmum excedit. Clusius exactè adeò omnia describere non potuit, siquidem exsiccatum & penè corruptum saltem vidit Sceleton. In eo errasse videtur, quod partem anteriorem cum longo aculeo esse dicat, cum sit posterior, quod ex pedum constitutione liquido patet.

Quanquam Molucanus dicatur eo quod circa Insulas Molucas capiatur, attamen Anno 1653. die Augusti 4. ejus generis vivus apud nos Helsingoræ captus est, & ad virum Nobiliss. D. Georgium Rosencrantz, supremum Thesaurarium Regium, delatus. Qui mihi nupere extinctum monstrabat. Siquidem eodem tempore huc appulerunt quinque naves Belgicæ ex Indiâ Orientali reduces, suspicio erat, cum quisquiliis navibus adhærentibus implicitum, huc delatum fuisse.

CANCER totus spinis horridus è genere Majorum est, Græci enim μαῖας vocant, figurâ cor fermè æmulatur, anteriore parte in acutum desinens, duplicatis aculeis latè prominentibus horridus. Caudam ex multis constantem laminis sub ventre recondi-

tam habet, in ambitu ſpinis refertam, circa medium variis & inæqualibus protuberantiis dotatam. Pedes octo longos ſpinoſiſſimos, ſex articulis conſtantes, in extremitate acutos, non verò bifurcatos, anteriores vero forcipibus dotantur, quorum dexter major ſiniſtro.

Minores ſunt qui apud nos capiuntur, quia, quos teneo hic captos, digitorum quinque longitudinem ſaltem æquant, latitudinem quatuor; cum tamen autores inter Cancros Majas cæteros magnitudine ſuperare dicant. Cæterum notandum, nos cum Ariſtotele & Aldrovando Majas vocare hiſpidos & aculeatos iſtos Cancros, quos Rondeletius Paguros indigitat. Quidam Araneas marinas eſſe volunt.

Inter cibos locum habent: ſed mares fœminis præferuntur. Commendantur Autumno & hyeme, menſe Aprili quoque in plenilunio. Dum coquuntur obturanda ſunt foramina oris ac ventris goſſypio, ne dum bulliunt aquâ impleantur, ſaporemque ſuum perdant. Cæteroquin viribus cum reliquis conveniunt Cancris.

Pagurus ad magnos etiam refertur Cancros, noſtratibus Taife-krabbe / Italis quibuſdam *Granciporro*. Cruſta ejus in gyrum novem crenis, imbricis modo, inciſa eſt, adoleſcit quandoque in calvæ humanæ magnitudinem, ſed non ita orbiculatus evadit, Cancris reliquis proportione reſpondens. Cruſtâ validâ & lævi tegitur, crura utrinque quatuor habet, villis hirta, ternis articulationibus geniculata, in quibus ungues acuti & obliqui, non bifidi. Brachia biſulca, parte anteriore binis articulis intercepta, forcipibus in extremo nigris, quibus conſtringunt quæ edunt, & dura quoque confringunt. Oſſeâ enim ſunt duritie, caudam ſub corpore reflexam habent, Branchias utrinque in lateribus diſpoſitas oſtendunt, ſub tergoris cruſtâ ſenis ordinibus ad tibiarum radices inſertas. In pedalem latitudinem apud nos creſcit. In Angliâ viſus, qui decem libras penderet. Ferunt Muſicâ è cavernis evocari, eâ enim valde delectari ajunt.

Inter lautiſſimos cibos quibuſdam in locis recenſentur, ſed carnes eorum difficilioris ſunt digeſtionis. Varia ex iis fercula præparare norunt artis culinariæ Profeſſores: Ventrem ſiſtunt, cum aquæ incocti ſuccum ſalſum depoſuerint.

Cancer latipes è minorum Cancrorum genere, inter Cancros equites, aut Dromones relatus, parvus eſt, unciarum duarum circiter longitudine & latitudine, Chelas habet denticulatas, pedes utrinque quatuor; poſtremus & minimus, à quo latipes vocatur, præter aliorum Cancrorum naturam in latitudinem deſinit oſſeam, ſex articulationibus conſtantem. E fronte extant cornicula quatuor: Teſtâ eſt lævi, parte ſuperiore albeſcente, anteriore quodammodo nigricante in vivis. Quare verò poſteriores pedes latos habeat, docuiſſe videtur Ariſtoteles lib. 4. de part. Anim. cap. 8. cum inquit: Parvi Cancri, qui capiuntur inter parvos piſciculos, poſtremos pedes habent latos, ut ad natandum ſint utiles, ut pinnarum ac palmularum vice ſint illi pedes: Quemadmodum enim Ranæ poſterioribus pedibus, & Anates, cæteræque aves aquis gaudentes, ſuis pedibus latis, celeriter impelluntur dum natant, ita & Cancri.



Cancellus, quibuſdam Bernhardus Eremita, mirabile eſt animal, utpote quod ambigere videtur inter Cruſtata & Teſtacea; per ſe namque ſolus inter Cancros & Cruſtacea locum habet; quia verò teſtaceam ſibi deligit habitationem, in quâ moretur & vivat, ad Teſtacea referendus videtur. Parte ſuperiore, quâ extra teſtam prominet, Aſtaco vel Gammaro parvo ſimilis eſt. Pedibus utrinque ternis brachiatur, villoſis, quorum duo anteriores ſeu priores forcipibus dotantur, quibus cibum ori admovet. Cruſtâ durâ

durâ pro cute veſtitur, nunc Cyaneo, nunc cœruleo, nunc fulvo colore. Duo illi pedes utrinque, qui brachia ſubſequuntur, unguibus in extremo oblongis & aduncis vallati ſunt; Chelarum altera craſſior, altera tenuior. Pedes verò duos iſtos exſerit cum ingredi & piſces capere vult. Duo alii pedes utrinque hirſuti, molles, intus latent, quibus innixus corpus intro trahit. Pars poſterior nullis tabellis conſtat, ſed cute duntaxat; ob id Ariſtoteli mollis dicitur; ſed, ad eam firmandam, certis intervallis diſſitas lineas tres habet, latas, durioris ſubſtantiæ, corporis extremũ, tres pinnas tenues, molles, in lateribus ſitas gerit. Dentes oſſeos ut carabus habet, quibus eſcas comminuit: cum prædam venatur, totam anteriorem partem ſuo domicilio exſerit: ab ore Oeſophagus tenuis ut filum ad ſtomachum tenditur. Inteſtina ejus bis tantum revolvuntur, ac qui in ſtomacho viridis humor ſpectabatur, is in inteſtinis apparet candidus. Polypos Venere exhauſtos devorat. A Conchis nudi naſcuntur, ſed Purpuras & Turbines è ſuis pellunt Conchis, iiſque veſcuntur, ut eorum occupent domicilia. Cum in amplitudinem majorem excreverunt, quam ut primis teſtis capi queant, in teſtam ampliorem, tanquam domum novam, migrant.

Rarò in cibos ſumuntur, ſed ab aliis piſcibus vehementer expetuntur; unde piſcatores cochleis nudatos hamis ſuis appendere ſolent, ut iis alios piſces ſaxatiles alliciant.

CAP. VI.

De Teſtaceis Vnivalvibus.

INTER Exſanguia tertium locum ſibi vendicant TESTACEA, quibuſdam Teſtata dicta, Græcis ὀστρακόδερμα, quaſi Teſtaceæ cutis animal dicas, conchilia, cochleæ, oſtrea aliis. Referri autem omnia hujus generis poſſunt, vel ad univalvia, vel bivalvia, vel Turbinata.

Inter UNIVALVIA primum locum damus PATELLIS marinis, Græcis λεπάδες, Tethea quibuſdam. Sunt verò Teſtacea parva ſaxis firmiter adhærentia, alteram partem detectam habentia, quâ carnem oſtendunt colore livido aut cineritio. Teſta eſt aliquantulum ſtriata, quæ poſteriorem tegit piſcis partem, nam anterior ſaxo occultatur. Teſta exquiſite rotunda non eſt, ſed inæqualis, intus lævis, foris parum aſpera, gibba, in ambitu liveſcens, intus cava & lævis. Carnoſam fimbriam habet in corporis ambitu, quam expandit cum hæret, ſoluta contrahit: ſi ſe tangi ſenſerit Lepas, ita fortiter ſaxo adhæret, divelli ut nequeat, ſine cultri ope aut ferri acuti. Crudæ Lepades à piſcatoribus edi ſolent, earumque jus alvum ſolvit; coctæ ſalubriores evadunt crudis.

LEPAS ſeu patella verſicolor ſtriata elegans eſt, coloribus variis diſtincta, Roſam referens, figurâ non plane rotundâ, ſed parte alterâ acuminatâ aliquantum; ſtriis per ambitum à centro ductis ita dotatur, ut eminentioribus & craſſioribus radiis alternatim interpoſiti ſint minores & ſtrictiores. Centrum eminens purpureum eſt, quod ambit circulus albus, hinc luteus, mox purpureus, & ſic alternatim in ambitum uſque. Interior ſuperficies etiam coloribus diſtinguitur, ita ut centrum occupet macula magna nigro purpurea. Elegantiſſima & roſea verè eſt patella, quam dono Clariſſ. Viri D. Joh. de Laet obtineo.

AURIS MARINA, ab Ariſtotele λεπὰς ἀγρία dicta, patella major Bellonii, hoc habet commune cum patellâ Lepade, quod unicâ conſtet teſtâ, carnoſâ parte ſaxis affixâ: ſed figura plurimum differt; autem enim exactè repræſentat. Teſta cava eſt, argenti aut unionum colore, foris gibba, lineis multis depicta, parte unâ Cochlearum modo clavellatim contorta, è quâ foramina incipiunt, initio parva, deinde magis magiſque aucta, ut plurimum ſeptem, per quæ aquam admittit & rejicit; exterius cruſtâ obducitur calcareâ, cinerei coloris.

Hujus mihi duo ſunt genera, non niſi magnitudine differentia. Major dimidium pedem longitudine æquat, latitudine pollices quatuor: minor pollices tres cum dimidio longus, duos cum dimidio latus.

CONCHA VENEREA, vel à pulchritudine ſic dicta, vel quod pudendum muliebre figurâ exprimat, aliis Concha porcellanica & lævigatoria, quia ad Chartas & alia lævigandа iis utantur Itali, Belliculi marini quibuſdam Medicorum. Teſtam habet duram, quæ non facile arroditur, tota intus candida, foris varietate colorum inſignis, figurâ ovali, politiſſima & æquabilis ſuperficie externâ, ore oblongo, parte pronâ patulo, in

ambitu denticulato, in cujus lateribus breves canales, per quos linguam exserit, vel ut alii volunt, per unum alimentum attrahat, per alterum excrementa ejiciat.

Hisce Conchis utuntur Medici, ad alvi fluxus stringendos & intestinorum ulcera. Optima ex iis pulverisatis fiunt dentifricia. Ad ulcera Canthi oculorum & Ægilopas commendantur, ob præclaram vim exsiccandi sine caliditate. Ægyptii lintea sua, glutine imbuta, hisce lævigare solent; in chartis etiam expoliendis utuntur. Huic Conchæ perforatæ quidam claves appendunt. Cochlearia etiam ex eâ conficiunt, quæ apud virum nobilem vehementer commendari audivi ad feras puerorum tusses, quas vulgo Kinck-hoste vocant, iis si juscula & liquida sorbeant ægri.

Mihi varia ejus sunt genera, colore & magnitudine differentia. Major ovum anserinum fermè æquat, dorso variegato adeo splendente, ut imagines referat, punctis nigris, in ambitu flavescentibus, inæqualibus, conspersa, lineâ flavâ per ejus longitudinem excurrente, parte planâ candidâ, interiore livescente. Ejus coloris etiam minores quædam sunt, minoribus aspersæ maculis.

Secundum genus rotundius est, maculis magis flavescentibus & obscurioribus, superficie non adeò politâ, cingulo cæsio per ambitum partis sessilis dotato; infernè non albicat, sed ex nigro purpurascit, superficie interiore candicante.

Tertium genus convexâ parte maxime nitet, sed, punctorum & macularum loco, lineolas habet varie dispositas, coloris fusci; per dorsum linea est latior, albicans, ab unâ extremitate in aliam. Ambitus protuberans maculis cœruleis notatur, & parte sessili crenis seu dentibus nitet purpureis, superficie eâdem, ad eundem fermè colorem accedente. Nucem juglandem minorem magnitudine æquat.

Quartum genus parvum est, cujus superficies extima, quæ punctata fuit, ex parte ablata est, succedente aliâ ex albo livescente, acuminatur aliquantum, figurâ Amygdalinâ.

Adhuc minor ejus generis est Concha, oblonga, coloris cinerei, Crenis purpurascentibus, lævore omni destituta, exesa enim aliquantulum est, & ad cæterarum duritiem nequaquam accedit.

Minima tota alba & lævis, nucleum avellanæ non superans magnitudine, dorso gibboso. Hoc genus vulgus pro Craniis anguium & serpentum venditat, quo etiam habenas & stragula equorum exornare solent. Est mihi ejus generis una, tuberculis quibusdam insignita, quam, pro Cranio Serpentis Reguli, mihi dono dedit quidam.

Tubulos vermium & penicillos huc refert Aldrovandus, ex testaceâ namque constant materiâ, & inter Turbinata vel Bivalvia locum commode invenire nequeunt. Sunt mihi ejus generis elegantes, partim seorsim existentes, contorti, ex albo flavescentes, partim in Ostreæ vulgaris & Gæderopodis testis, varietate insigni conspicui.

Dentalia Tubuli quidam sunt, candidi, teretes, striati, in acutum desinentes, unâ aut alterâ lineâ transversâ inæquali cincti, præsertim minores. Longitudo non omnino recta, sed modice inflexa & incurvata est, dentis canini instar, substantia prædura, non ossea sed testacea. Tellinis adnasci solent quandoque, ut balani aliis crustaceis.

Entalia, quibusdam Antalia, Conchulæ parvulæ sunt, ejusdem substantiæ cum Venereis, aut potius Cylindricis, niveæ, lævis, rimulam habentes. Errant igitur Brasavolus & alii, qui Buccinum, aut Purpuram esse existimant.

Ingrediuntur compositionem unguenti Citrini, quod vi abstergendi sine acrimoniâ & caliditate polleant præclarâ.

Hisce affines sunt Conchulæ aliæ parvæ Striatæ, cum Venereis, quoad figuram, affinitatem quandam habentes, ex quibus monilia conficere solent, quæ in Galliis quondam matronis nobilibus in usu erant frequenti.

Balani huc spectant, Latinis Glandes, ad similitudinem glandium arborearum: nam ut glandis pars quædam lævis est in acutum tendens, quædam aspera; sic hæc quæ saxis aut aliis adhæret, partim lævis, partim aspera est.

Testaceum est corpus, magnitudine quandoque juglandis, ex crustis multis unguiformibus concretum, parte sessili navibus, crustaceis, saxis & aliis adhærens, in apicem obtusum perforatum desinens, plures sæpe cohærentes, uvæ instar; unde Polycipites à multis dicuntur, quia juncti corpus constituunt ex multis capitibus & nodis quasi concretum. Sunt mihi majores ex navibus petiti, & minores ex crustaceis deprompti.

Pulpa

Pulpa eorum esui apta est, & palato grata, quod etiam veteres agnoverunt. Venerem excitare creduntur. Galenus stomachicis convenire ait. In Normanniâ & Brittaniâ in cibos expetuntur; sed apud nos in nullo precio.

CAP. VII.

De Conchiliis Bivalvibus.

BIVALVIA, Græcis Νθυες, Conchæ sunt duabus præditæ testis. Inter eas primas tribuunt MARGARITIFERIS, quas quidam Conchas Indicas, quidam MATREM PERLARUM vocant. Hujus Conchæ licet multa sint genera, eam tamen potissimum intelligimus, quæ grandis est, modice cava, spissa, figurâ pectinibus æmulâ, unâ saltem parte aurem habens & parva foramina, quæ non penetrant, interius Margaritæ aut unionis instar splendens. Hæc interdum tam grandis in Indiâ invenitur, ut ferant in mari Borneo inventam, pondo septem & quadraginta librarum.

Harum caro ab Indis, quandoque cruda, quandoque assa comeditur, ut ostreæ apud nos, gustu suavem & palato gratam ferunt. Testa ad varia utensilia accommodatur; nam capsas, pocula, cochlearia, mensas, scipiones hisce exornant, imo cochlearia integra, manubria, statuas inde conficiunt, quorum exempla quædam apud me sunt. Mihi hujus generis Concha una est, cujus licet abscissæ sint extremitates & auriculæ, circumferentiam tamen habet pedum duorum, in Diametro pollices septem. E plurimis lamellis conflata videtur, quæ sine difficultate separari possunt; splendore est eximio in interiore superficie. Exterius crustâ obducitur fuscâ, quæ tamen quibusdam in locis ablata est ab eo, qui usibus suis aptavit.

CONCHA STRIATA, Italis Cappa tonda à rotunditate, duabus constat testis, multum cavis & in dorsum elatis, ut ad figuram rotundam proximè accedant, intus læves sunt, foris striatæ, pectinum modo in ambitu serratæ. Harum aliæ sunt albæ, aliæ nigricantes, aliæ flavescentes, aliæ ad cœruleum vergunt, per Ginglimum conjunctæ.

Caro dura est, difficilis concoctionis, jus ex eâ alvum solvit. Usta & in pulverem redacta dentifricium præbet bonum.

Est mihi parvula hujus generis, exterius ad flavedinem tendens, interius lævis & candida, fasciâ ferrugineâ, latâ, lineis quibusdam distinctâ, prædita, quam eâ de causâ CONCHAM STRIATAM FASCIATAM vocare licet.

CONCHA LENITER STRIATA, MINIATA, ambitum habet decem pollicum, striis lenibus & zonis convexâ parte eleganter miniatis, & in extremitatibus aliquantum purpurascentibus, intermistis candidis. Interior superficies glabra, ad oras aliquantulum rugata & tota minio quasi infecta.

Ex Hispaniâ etiam Conchas quasdam tenues, distortas, tuberosas, ad rotundum inclinantes, attulit D.D. Wichmannus, variorum colorum. Sunt enim flavæ, purpureæ, albicantes superficie exteriore. Cavitas verò ipsa lævis, splendens instar matris perlarum, sed tenues adeo sunt, ut superficiei exterioris color pelluceat. Magnitudine vix superant dimidium juglandis putamen.

CONCHA ECHINATA vel aculeata, ab aculeis quibus horret ita dicta, colore est albo, quandoque subluteo, testis cavis striatis in ambitu incisis. In striis eminentibus seu exochis eminent aculei frequentes, incurvi, certis intervallis à se dissiti, qui, si violentiâ quadam abrupti fuerint, vestigia quædam post se relinquunt. Interna substantia priori plane est similis, Cretacea nempe. Observandum in his venit, quod aculei sint in exochis & striis tantum, non verò in canaliculis (quas striges quoque & strigiles quidam vocant) siti præterea sunt in ambitu, non verò superiore parte testarum, quâ invicem connectuntur, ne apertioni forent impedimento. Tribus in summitate nectuntur articulis per Ginglimum; infimâ parte strigilis, oppositis nectuntur striis, his prominentibus, illis subeuntibus.

Elegans est & altera hujus generis, superficie convexâ striatâ, echinatâ & plane CORALLINA, ejusdem ferme magnitudinis. Concavitas verò tota candida, lævis, marmorea, nisi quod zonâ quasi cingatur Corallinâ per ambitum, eâ parte exceptâ ubi juncturarum conspiciuntur acetabula. Ambitu suo pedem ferme attingit; ex Hispaniâ mihi attulit Nobiliss. Hilarius Ulfeldt.

CONCHÆ LONGÆ species ex Feroënsibus Insulis ad me delata, unciarum dua-

rum longitudine, latitudine unius, figurâ ferme ovali compressâ, interius lævis ex purpureo albicans, exterius lineis subtilibus in orbem ductis, adduntur transversæ rubicundæ; ab alterâ parte, à juncturâ in apicem prominentia quædam extat, eminentioribus striis obliquis prædita.

CONCHA RUGATA, non ab imo ad summum, sed transversim multas rugas ductas habens, mihi unica est, cineritia, non adeo tumida, atque striata, ac illa quæ rugas à summo ad imum habet. Hujus Conchæ striæ minores sunt in summo, majores & magis extuberantes circa ambitum. Intus lævis, maculis & lineis inordinatis candidis per superficiem discurrentibus per Ginglimum articulatur simplicem. Veneti Biverones vocant.

CONCHA RHOMBOIDES (Rondeletio Musculus striatus) elegans est, oblonga, quà testæ cohæret recta ferme, alterâ parte sinuata. Caput verò testæ in angulum prominet, ut tota Rhombum haud ineleganter referat. Ab angulo capitis ducuntur parvæ striæ, per totum corpus, coloribus quoque variegatur, ita ut, licet albicet, tamen pectinatim hinc inde transcurrant lineæ purpureæ transversim strias secantes, uno vero in sinu nigricat aliquantum. Qui colores ab alterâ parte etiam conspiciuntur, cum testa ferme perspicua sit: parva est, duarum saltem unciarum longitudine.

RHOMBOIDEM MINIMAM in porosi coralli albi inveni foraminibus, magnitudine non superantem glandem fagineam, colore cinereo.

CHAMÆ è Concharum sunt genere, quæ hoc à reliquis differre videntur, quod semper in littore hiantes reperiantur, testâ lævi: harum aliquot mihi sunt species.

Prima est CHAMA LEVIS, Chameleja quibusdam, constat duplici testâ, Conchis lævibus, fragilibus, quæ digitorum compressu facile franguntur, intus & foris candidissimis, figurâ oblongâ, arcuatâ, Italis Cappa rozola. Caro intus candida, in quâ duo foramina conspiciuntur, quorum alterum os est, alterum excrementi meatus, hoc ad excernendum, illud ad attrahendam aquam; latere protuberante semper hiat, hinc arenas facile recipit.

Alvum & urinam ciere in cibo animadversum est. Sed jus, in quo decoctæ sunt, id potissimum præstat.

CHAMA PIPERATA major est & in cænosis colligitur locis, atque hic Hafniæ in fossis magnâ copiâ æstate, aquâ decrescente, invenitur. Biveroni Italis dicitur. Supra modum fragiles habent testas, læves ac compressas, tenues adeo ut transpareant, colore subluteo; cardinibus non junguntur farctis invicem, sed nervo, ut ostrea; labra non habent crenata, sed lævia magisque in rotunditatis ambitum circinantur Tellinis.

CHAMÆ præterea mihi genus est rarum, quod nisi ad Peloridas referendum sit, nescio ubinam locorum locum inveniet. Duabus constat Conchis, quæ in altero extremitatum ita hiant, ac si pars sat magna iis esset ablata, nec claudi eâ parte unquam possunt, sed liber exitus & transitus pisci hic semper patet. Oblongæ & parte internâ læves sunt testæ, duas quasi in partes sectæ, & per lineam simplicem dentatam instar suturæ junctæ, quæ tamen sutura parte exteriore non apparet. Superficies externa, non prorsus lævis est, sed lineis per ambitum reptantibus quasi media inter lævem & asperam; colore est flavescente. Ambæ conchæ per validam Gomphosin nectuntur in medio. Carnem videre non licuit, quia nudæ conchæ ex Insulis Feroënsibus ad me sunt delatæ.

OSTREI nomen quandoque tam latè ab Autoribus capitur, ut universum testaceorum comprehendat genus; hic verò strictius sumitur, pro peculiari concharum genere, ex duabus testis constante, modice concavis, parum in dorsum elatis, foris inæqualibus & asperis, & in tenues laminas facile sectilibus, intus lævibus, candidis, carne molli & palato gratâ. Variant verò magnitudine & operculi scabritie. Præstantiores habentur, quas fibræ multæ ambiunt, purpureo crine. Brittannicæ omnibus præferri solent, quamvis Norvagicæ eas magnitudine superent; & jam non procul Roschildiâ, in sinu quodam, minores capiuntur, bonitate commendabiles. Interiorem ejus carnem veteres Sphondylum vocarunt, quamvis alii peculiarem conchæ speciem constituant, de quâ mox agendum. Quibusdam in locis saxis adhærent, quibusdam in luto & cæno proveniunt. Mirum est quod refert Petrus Gyllius, se à viris non paucis spectatæ fidei accepisse, Bizantinos Ostrea serere, & eorum quasi lac seminare, id ipsum enim in

aquam

aquam injectum, ad saxa ima adhærescere,& ostrea fieri. A cancris & stellis marinis valde expetuntur.

Ostreorum caro humida & tenax à Galeno dicitur,crassi succi,difficilis concoctionis, crassos & crudos humores generans, ob salsedinem Venerem stimulans, cruda alvum movens. Cocta concoctu facilior, sed pituitam procreat. In conchis decoctam destillationibus prodesse vult Plinius, narium gravedini, tenesmo & hydropi. Testæ ustæ, & subtiliter tritæ, ulceribus commodè insperguntur, valde enim exsiccant. Aëtius ad procidentem anum usus est. Ad Perniones & vulnera jumentorum, sunt qui commendent. Cinis ex iis præparatus ad dentes mundandos ac dealbandos, parotides & eruptiones in corporibus infantum valet. Marcellus Empyricus cinerem horum, si in modum salis edatur, gravedinem narium tollere, & cum melle uvæ prodesse scribit.

Ostreum gaideropodes, seu pedis Asini; ita dictum videtur, quia ungulam Asini & rotunditate seu figurâ, & nigricante exterius colore, referat. Testa est rotunda, nigricans, sed non adeo aspera aut laminata, ut vulgaris Ostrei. Eximio Naturæ artificio, una testa alteri articulatur firmissime. Carnem habet ingrati saporis, quocirca inter cibos locum non invenit, dura enim, ingrata, & nauseabunda percipitur.

Spondylus cum Gaideropode à multis confunditur: sed re verâ distinguuntur figurâ, nexu & proprietatibus. Gaideropodes namque conchile est rotundum; Spondylus oblongum & pyriforme ferè, testâ duriore & crassiore, ad lapidis naturam fermè accedens, præsertim parte superiore saxis firmiter adeò adnascitur, ut non nisi malleo, aut fractâ saxi parte, decutiatur. In eo quoque firmior est articulatio testarum, quam in aliis Ostracodermis, à quâ etiam nomen Spondyli accepit, vertebris enim spinæ animalium connexione respondet. Mihi una ejus testa est, intus candida, extra purpurascens, parum aurita; alia quoque est, in quâ thorus quasi perlarum visitur, vel ipsa caro Spondyli in lapideam seu testaceam substantiam concreta.

Pecten, Græcis κτένες, genus conchæ est, striatim & pectinatim divisum, à rugis istis & imbricaturis sic dictum. Quidam Conchas D. Jacobi vocant, Itali Cape Sante. Quamvis varia sint ejus genera, magnitudine, colore & aurium dispositione, inter se differentia, majorem tamen hic delineabimus. Testa utraque, quâ parte aurita est, strictior apparet, paulatim dilatatur in orbem. Altera modice cava & in orbem elata, altera plana est & quasi prioris operculum, vinculo nigro & nervoso colligata. Utraque striata, striis à strictiori parte in ampliorem descendentibus. Testæ præterea majoris seu cavæ striæ exterius colore sunt cinereo, interius candido; alterius superficies exterior purpurascit, interior candida.

Carnis multum habet, in quâ corpus quoddam luteum conspicitur instar lutei, quod in ovis conspicitur, intestinum quoque humore tenui luteo plenum. In ambitu membranam habet veluti fimbriam versicolorem, ex quâ fila multa & tenuia dependent.

Inter cibos apud veteres locum obtinuit, sed succum præbet non multo meliorem reliquis conchiliis. In colico affectu exhibet Trallianus, cardialgia, vomitu, & Empyomate: urinam movet, deterget modice, ad Venerem excitandam non minus valet Ostreis.

Mihi sunt variæ magnitudinis. Minores,quos pectunculos vocant, ex Insulis Feroënsibus delatos habeo.

Musculos & Mytulos non nisi magnitudine & rotunditate differre recte statuit Rondeletius, Aldrovandus & alii, ut hi sint majores, illi minores, vulgo Muschler Skelfisck / tenui & duplici constant testâ, circa saxa aut ligna Pilis vel lanâ alligatâ. Testa foris nigra, quandoque musco vel lanugine obducta, intus lævis, splendens, ex albo cœrulea, parte acutiore crassior & spissior, reliquo ambitu rotundo tenuior. Caro intus pallida cum cruda est, cocta vitellis ovorum similis, in ambitu fimbriata. In mediâ carne particula est membranosa, nigra, linguæ similis, callo quodam albo testæ adhærens.

Ubique ferè in cibum veniunt hi Musculi, nam gustu suaves sunt, elixantur in aquâ & comeduntur addito butyro, aceto, & salis ac piperis momento. Alvum & urinas ciere vult Atheneus. Cinis concharum vim habet causticam, ad Lepras, Lentigines & maculas commendatur, ubi prius lavatur calcis modo, capitis ulceribus & pupulis commodat, in Belgio ad fluxum hæmorrhoidum anitergia constituunt eædem hæ testæ.

Ex

Ex Norvegiâ magnitudinis ſtupendæ adferuntur Mytuli, ſed eorum caro palato minus grata & delicata, ſunt mihi qui pedem dimidium longitudine æquent. Circa Roeſchildiam qui capiuntur, margaritis ſcatent, ſed impuris, immaturis, nulliuſque pretii, iis quandoque adhærent oſtrea minora. Ibidem genus quoddam minutum palis adhæret, carne delicatâ & boni ſaporis, teſtis tenuibus.

TELLINÆ, à creſcendi celeritate ſic dictæ, ὅτι τάχιστα γίνονται τελείαι, quod cito perficiantur, annuo enim ſpacio ſuam implent magnitudinem. Venetis piſcatoribus Capparozoli dicuntur.

Teſtis conſtant lævibus, candidis, nequaquam ſtriatis, quandoque crenulis & denticulis, in longitudine diffuſis, mediocriter fortibus, intus cavis, exterius ex albo & flavo purpuraſcentibus. Exiguo ſunt corpore, nec facile aperiuntur.

Edulium præbent ori gratum, unde Romæ & alibi Bellariorum vices ſubeunt, alvum ſolvunt, in cinerem redactæ & palpebris affrictæ illarum pilos renaſci non patiuntur.

SOLEN, Græcis σωλὴν, à canalis ſimilitudine, quam repræſentat, ſic dicta: quibuſdam juxta Plinium Aulos, Donax, Dactylus, Onyx, quod cum his figura conveniat. A quibuſdam in marem & fœminam dividitur. Venetis Cappæ longæ.

Eſt vero Solen ex Concharum longarum genere, duplici conſtans teſtâ, lævi, tenui, alterâ tantum nigro vinculo membraneo colligatâ, alterâ ſolutâ, Dodrantali longitudine, pollicis craſſitie, arundinis modo cavâ, extremis duobus ſemper apertis. Interiore caput exſerit & retrahit, ſecundum teſtæ longitudinem carnem protenſam habet. Teſta quandoque colore cœruleo, quandoque cinereo, lineas ſemicirculares, purpuraſcentes, per tranſverſum ductas oſtendens, quâ parte colligatur craſſior. Ex Norvegiâ allati quos poſſideo.

Commendantur Calculoſis & urinæ difficultate laborantibus. Torrentur in prunis & elixantur quoque; verum cum difficilioris ſint concoctionis, & lentum ac crudum generent ſuccum, de teſtis uſtis & in calcem redactis intelligendum eſt, quod tradit Atheneus urinam movere & calculos pellere. Mirum quod de iis refert Plinius lib. 9. cap. 61. His Natura in tenebris, remoto lumine, alio fulgore clarere dedit, & quanto magis humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque in ſolo, atque veſte, decidentibus guttis, &c.



CONCHA ANATIFERA triquetra eſt, parva, foris ex albo cœrulea, lucida, lævis, compreſſa, unciali longitudine & latitudine ad perfectionem ubi devenit, quatuor conſtans valvis, interdum pluribus, quarum priores duæ, triplo majores poſterioribus, quæ iis tanquam appendices adhærent, tenues valde, circa partem craſſiorem, quâ algæ adhærent, apertæ, dum aperiuntur oſtentant aviculæ rudimenta & pennas ſatis diſcretas. Similes ſunt iis quas Lobelius ad Tameſin, quâ Londinum præterfluit, à navis annoſæ Carinâ avulſit. Muſco & limo innati erant, inquit ille, quaſi fungi pedicelli, quos fere uracum Umbilici dixiſſes, cujus extremum, fructuum ritu, inſerebatur latiuſculæ Conchæ

chæ basi, quasi vitam alimoniamque inde sugerent aviculæ quarum rudimenta à summâ parte Conchæ hiulcæ conspiciebantur. Has aves Bernacles vocant Angli & Britanni, Clakis Scoti, ubi abundant & capiuntur per Brumam. Galli Marguerolles & Macreuses appellant. Tempore quadragesimali ex Normanniâ Parisios magnâ copiâ adferuntur ac venduntur loco piscium. Nam in aliquibus locis pro piscibus comeduntur, utpote carnem non habentes, nec ex carnibus productæ. Imò à fide digno Gallo accepi, publicâ Theologorum Sorbonistarum sententiâ in piscium, non autem avium classem relatas esse has aves.

Inter alios de Conchâ hac Anatiferâ ita disserit Autor, qui Anglicè Edinburgi edidit Epitomen Chronicorum Scoticorum. Ad Septentrionalem Scotiæ plagam, in mari magna reperitur lignorum copia, quibus adnascitur mirum Anseris genus, quod rostro ligno adhæret, donec ad perfectionem devenerit, Clayck Geest vocant, quod, ob mirum generationis modum, omnes in stuporem convertit. Propè Castellum Dumbarton, ad ostium fluvii Clyde, in magnâ reperiuntur copiâ, nigri sunt, noctu catervatim terram petunt & graminis, quod in littore crescit, magnam colligunt copiam & ad mare secum deferunt, ibique in orbem dispositi, suam cuique distribuunt portionem, quam asservant, usque dum maris affluxu purificetur, & salsedinem aliquam acquirat antequam escâ hac vescantur. Et ne quicquam dilabatur rostris comprehensa firmant, usque dum sufficiente salsedine sint imbuta, tum comedunt & iis vescuntur, atque hoc perpetuo observant. Hi anseres saporis sunt gratissimi.

De his ita Philosophatur Jul. Cæs. Scaliger Exerc. 59. sect. 2. In Oceano Brittanico, ignotam vobis avem Anatis facie rostro pendere de reliquiis putridis naufragiorum, quoad absolvatur & abeat quæsitum sibi pisces, unde alatur. Hanc quoque vidimus nos. Vascones Oceani accolæ Crabans vocant, illas à Brittonibus Bernachiæ appellantur: recepto etiam in proverbium vocabulo, cum ignaviam cuipiam exprobare volunt; quasi neque caro sit, neque piscis. Singularis nunc miraculi subtexenda historia est. Allata est Francisco Regi Opt. Max. Concha non admodum magna cum aviculâ, intus fere perfectâ, alarum fastigiis, rostro, pedibus hærente extremis oris. Viri docti, quorum ille parens pius fuit simul & munificentissimus observator, atque etiam conservator, mutatum in aviculam ostreum ipsum existimarunt.

Reperiuntur etiam hæ Conchæ in Numedaliâ Norvegiæ in Parochiâ Neròe, ubi jam degit D. Michaël Magni, locus est à Nidrosiâ Septentrionem versus spectans. Mihi inde ligni abietini frustum obtigit, cui variæ minutæ & nondum perfectæ adhærent, dependentes ex oblongâ & tenui substantiâ algam referente; sed Conchæ ipsæ, quia minutæ & imperfectæ adhuc sunt, bivalves conspiciuntur, non ut majores & perfectiores, quatuor aut sex valvis constantes, ut rudimenta saltem Concharum anatiferarum esse videantur.

De harum avium generatione variant autores. Quidam more aliarum avium per coitum propagari putant, quidam ex ligno putri nasci volunt; alii ex corruptis arboris cujusdam pomis, alii ex Conchis. Quorum sententias & rationes expendere hoc loco, nostri non est instituti. Ut nihil de iis dicam, qui statuunt diversas esse aves, quæ ex Conchis proveniunt, ab iis quæ ex putridis lignis aut pomis ortum trahunt. Immo non desunt, qui ex quovis ligno nasci posse adstruant, dummodo in mari & undis juxta Hebrides putredinem concipiant.

CAP. VIII.

De Turbinatis.

INTER Turbinata primas damus COCHLEÆ MARGARITIS ÆMULÆ, ita dictæ, quod unionum sit colore & splendore; ex Indiâ & sinu Persico adferri solet & à quibusdam Nautili secunda species constituitur.

Glabra omnino est & lævis, partè internâ infinitis præditâ interstitiis; superficies externa mira colorum varietate splendens, subinde circumagentibus se in purpuram candoremque maculis. Qui exterior cortex ubi detractus fuerit, plane substantiâ Margaritas refert.

Ex eâ in frusta dissectâ, imagunculæ, globuli ad numerandas preces, monilia & ejus generis alia conficiuntur. Vasa quoque potatoria eleganti artificio.

PURPURA è genere turbinatorum Concha eſt, parte turbinatâ pluribus mucronibus ſeu extuberantiis horrida, ſuperficie exteriore modo candicans, modo flaveſcens, interiore modo violacei, modo rubicundi coloris, modo albicantis, in anfractus in mucronem deſinentes contorta. Roſtro longo tubuli modo excavato, per quod linguam exſerit. Caro interior talis qualis reliquorum turbinatorum. Animal cornua limacum modo attollit, atque eodem modo ſerpit, iiſdemque cornubus iter pertentat. Aquam marinam hauſtam aſſervat, quâ pluribus diebus fovetur & ſuſtentatur. Caput illi cartilagineum & durum, os in eâ parte quâ ſcopulis hæret rotundo foramine pervium, quo lapides arrodit; paulo inferius ſtomachum habet, & cor Ervi ferme magnitudine ſubrotundum, Hepar viſcidum tenaci lentore præditum, quod Ariſtoteles Papaver vocat, alii cor, ad cujus latus mucus purpureus, in recentibus purpuris illico extorquendus, cum totus in demortuis pereat. Hoc ſucco olim tingebantur lanæ. In mediocribus purpuris ovi Gallinacei magnitudine frequentius conſpicitur. Degit in aquis marinis, in dulcibus necatur.

Cibum præbent ventriculo minus convenientem, ſalſum enim caro continet ſuccum, qui alvum ſubducit. Caro ipſa dura, difficilis concoctu. Papaver, ſeu cor gratius palato reliquis partibus. Si quis copioſius eo utatur, bilem, nauſeamque procreat, & atri humoris copiam gignit. In Medicinâ commendatur ad venena, vulnera glutinanda, ſi ſuccus glutinoſus cum ſanguine Draconis miſtus adhibeatur; caro cruda capiti applicata, hemicraniam ſanat. Teſta uſta dentes abſtergit, ſiccat ſine roſione, lienes tumidos ſanat, ad ulcera maligna uſurpatur. Funiculus ſucco purpuræ tinctus, quo vipera ſtrangulata, ad colli affectus valet, ſed maximus olim uſus fuit cruoris, ſeu rubicundi liquoris ad lanas tingendas.

Differunt Purpuræ magnitudine, aliiſque circumſtantiis. Mihi magnæ quædam ſunt, coloris exterius flaveſcentis, interius purpurei & violacei, quæ duos caperent liquoris ſextarios, ore valde patulo, Tuberibus magnis horridæ.

Inter majores haſce una eſt ore Trigono, tuberoſa, Geſnero Murex triangularis dicta, parte convexâ cinereâ, inæqualis, variis protuberantiis & ſtriis prædita, limbo eminente per ambitum. Interiore parte ſubſtantiâ lævi, ſplendente, albâ, & circa rimam ad purpureum inclinante, parte anguſtiore dentes undecim oſtentans. Altera rugas plurimas eminentes & inæquales, in primis oſculum verſus. Quodlibet trigoni latus ſeptem circiter eſt pollicum. Conchile grave & ponderoſum.

Minores quædam adſunt ovi magnitudine, extus flavæ, intus candidæ, purpurei quid admixtum habentes quibuſdam in locis.

Hiſce adhuc minores, intus extraque candidæ, quas, ad marmoreas ab Autoribus dictas, referendas arbitror.

Una inter reliquas elegans eſt, teſta maculis & lineis purpuraſcentibus picta & eleganter variegata, clavis poſtremis magnis & prætumidis.

Sunt quædam ſpinis acutis horridæ, lineis tranſverſis quamvis circumvolutionem ſecantibus, in oblongum canalem quinque ſpinis horridum deſinentes; Ad Murices potius, quam Purpuras referendæ videntur.

BUCCINA è genere turbinatorum eſt Ariſtotele teſte; variat magnitudine. Major in tantam quandoque excreſcit vaſtitatem, ut ad Cartejam, teſte Bellonio, decem capiat Cotylos. Minoris Concha, ut plurimum ovi magnitudinem non ſuperat. Strias in tergore quinas aut plures quandoque habet, plerumque in gyrum tuberculis obtuſis & brevibus obſeptus, frequentioribus quam in purpurâ; ſed ubi in claviculam deſinit, unica eum comitatur. Internâ parte inciſam habet oris rotunditatem & canalem ad latus, per quem linguam exſerit, operculo ſe ab injuriis defendit, figurâ ovali, quo arctiſſime clauditur.

In cibis locum invenerunt hi turbines, & à quibuſdam magni fiunt, ſed difficulter concoquuntur ut reliqua turbinata, caro alvum ſiſtit, ſed aqua quæ ex iis defluit ventrem ſubducit. In colicis affectibus, cardialgiâ, oculorum doloribus earum uſus commendatur, contra Venenum Dorycnii & Cicutæ valere volunt quidam, ad tetros oris odores ex iis collutiones præparant, ad Alopeciam, aurium dolores, & ambuſta inde unguenta conficiunt. Tuſſi ferâ ubi laborant pueri ex ejus teſtâ potum iis præbent, quod conducere animadverſum eſt.

Eſt

Eſt mihi magna, pedis ferme longitudine, colore vario, maximâ ex parte nigricante, albicantibus & purpureis quandoque interſtincta maculis ac protuberantiis, figura cæteroquin ſimilis jam deſcriptæ.

Minores quoque vix ovi magnitudine, variorum colorum, cinereæ, candidæ, nigricantes, tuberibus refertæ, datæ deſcriptioni reſpondentes.

TURBO etiam teſtacei generis, in longiorem & acutiorem cæteris deſinens verticem, multis voluminibus conſtans pro corporis proportione; variorum colorum, foramen rotundum habens & rimam per quam excrementa excernuntur.

Turbinum longorum mihi quatuor ſunt ſpecies, una candida eſt & lævis, exiguis ſtriis, volumina protuberantia perreptantibus, prædita: in apicem uſque magnitudine longiſſimo reſpondet digito, ejuſdem tenuitatis.

Alter ejuſdem generis Turbo, ejuſdem ferme magnitudinis, voluminibus conſtat magis in dorſo acutis, & duplici colore dotatur, ſuperior enim pars in ſingulis voluminibus ad album inclinat, inferior lutea eſt.

Tertius ejuſdem magnitudinis, voluminibus conſtat compreſſis in corpore albo, macularum nigrarum quadratarum duplicem ordinem oſtentans, ſummitate exceptâ, quæ triplicatur jucundo ſpectaculo.

Quartus nigricat muricatis voluminibus & punctulis, alternatim majoribus & minoribus utrinque ſtipatis exornatur. Longitudinem verò ſuperioris non attingit, duas uncias ſaltem æquans.

Eſt & minutulus, unius unciæ longitudine, ſpinis horridus, coloris partim nigricantis, partim cinerei.

AURITI TURBINES mihi parvi ſunt, tuberculis præditi, qui partem, turbini obverſam, in latam quaſi aurem dilatatam obtinent, tribus angulis prominentem.

Succedunt TURBINES VENTRICOSI, quorum etiam varietas mihi eſt inſignis, ſive colores, ſive conſtitutionem corporis ſpectes. Sunt candidi, ſunt cinerei, ſunt ad purpureum inclinantes, læves, aſperi, circulis & zonis cincti, omnes ore crenato, & fiſtulâ ut conchæ Venereæ dotati.

Huc referendi videntur, NOTIS MUSICALIBUS INSIGNITI à Naturâ, quorum mihi duo genera. Unum Majuſculum, uncias quinque longitudine ſuperans, circumferentiam obtinens octo unciarum, per quam lineæ quinque atroluteæ diſcurrunt, hinc inde notis quibuſdam ejuſdem coloris per lineas & earum intermedia ſpacia dotatæ, non abſimilibus iis quibus ſoni muſicales olim exprimebantur. Turbinata verò hujus Conchæ pars non ineptè refert tiaram ſeu Papalem coronam triplicem, prominentes gemmarum apices in ordinem diſpoſitos continentem. Tota Concha pugni fere eſt magnitudine.

Minor longè elegantius à Naturâ eſt depicta, juglandem magnitudine æquans. Triplex zona corpus ejus albicans cingit, quarum quævis ex quinque lineolis æquè diſtantibus & flaveſcentibus conſtat, notulis & lineolis tranſverſis, partim coloris ejuſdem, partim punctulis cœruleis dotatis. Sub zonis inordinate varia & infinita prope diſpoſita ſunt punctula, quæ textus aut vocum ordinationes referre aliquo modo videntur.

APORRHAIS à quibuſdam ad Lepades, ab aliis ad Murices refertur, & quidem rectius. Turbinatum enim eſt Conchile, aculeatum, marmoreâ duritie. Mihi ejus generis unum eſt Conchile, longitudine unciarum trium, totidem latitudine, intrinſecus albicans, forinſecus album quoque, ſed maculis purpureis ad luteum inclinantibus præditum, ſeptem habens aculeos, non in dorſo aut Turbine, ſed in alâ, ab uno latere canaliculatos, in quorum medio fovea conſpicitur. In dorſo tres habet extuberantes proceſſus majores, ſed in turbine ipſo minores, per ejus ambitum ordine diſpoſitos. Exteriorem ſuperficiem ſtriæ exornant, nunc majores, nunc minores.

TROCHUS ita dictus, quod ſimilis ſit inſtrumento ligneo, quod pueri ſcuticâ in orbem agitant, unde merito in Turbinorum claſſem refertur. Unus mihi eſt duarum unciarum longitudine, maculis inſignitus, quà circumvolutionibus dotatur, compreſſus & planus ferme, reliquo corpore in acutum deſinens.

Alius eſt minor aliquanto, ex albedine in purpureum vergens, figurâ plane ſimilis priori, niſi quod ſpiras habeat magis compreſſas. Trochi Nilotici figuram ab Aldrovando poſitam exactè exprimens.

Ex Indiâ Orientali alium nactus ſum minimum, colore purpureo flaveſcente, diverſâ à

ſuperioribus conſtitutione, ſpiræ enim ſeu circumvolutiones in apicem acutum terminantur, cum contrario modo ſe habeant priores, ſpiras nempe obtinentes ſeſſiles & compreſſas, ſed corpus reliquum acuminatum. Baſis hujus plana ferme eſt & interruptis quibuſdam lineolis in orbem ductis variegata.

NERITES mihi eſt ovi anſerini magnitudine, concha rotunda in ſpiram deſinens exiguam, lineis frequentibus per univerſum corpus perreptantibus, quarum veſtigia etiam in ore apparent, quod alterâ parte ſtriatum, alterâ exiguis punctis horridum conſpicitur. Parte exteriore labium habet craſſum & protuberans, quod in obliquum deſinit canalem, colore albicante. Videtur ad Cochleam rugoſam & umbilicatam referri poſſe, ab Aldrovando deſcriptam.

COCHLEARUM tanta mihi varietas, ut ſingulas explicare & exprimere operoſum foret. Sunt enim depreſſæ, variis coloribus inſignitæ, punctatæ, Zonis diſtinctæ, aliiſque modis variegatæ, ut Naturæ in his luſum exprimere difficile, imo impoſſibile ſit. Paucas enumerabo, ob elegantiam commendabiles.

Una mihi eſt INDICA magna, undulata, turbinata, ſextarii ferme capax, tenuis valde, candida, purpureis maculis undatim corpus ejus perreptantibus ſpectanda. Ex eâ ſcyphos conficiunt, ex quibus puerulis tuſſi ferâ laborantibus potum præbent. Ejuſmodi Cochleas vulgo *Kinck-horn* vocare ſolent, ut & alia Conchilia peregrina, quibus peculiarem ineſſe vim, ejuſmodi tuſſes curandi, ſibi perſuaſum habent.

COCHLEA RUGOSA non immerito ea vocatur, quæ colore eſt cinereo, magnitudine ovi anſerini, craſſa, dura, lapidea fermè, magnis & grandibus ſtriis ſeu inciſuris, corpus ejus Cochleatim ambientibus, dotata, ore rotundo, ſuturâ quâdam tranſverſali in ambitu capaciore ſpectabili, compreſſiore quam prior formâ.

COCHLEA PERLATA magnitudine variat, una mihi eſt pugni magnitudine, compreſſa aliquantum, colore exterius ex cinereo purpuraſcente, qui cum in ſuperficiariâ ſaltem conſiſtat calce, ea ubi abraditur, quod facile fieri poteſt, margaritarum modo ſplendet, elegantibus quibuſdam protuberantiis cælatur. Intus lævis eſt & ſplendet, niſi quod punctulis aut puſtulis quibuſdam minutis ſit conſperſa, ore rotundo, prope quod foramen parvum orbiculatum concham perforat, per quod aut reſpirat, aut excrementa deponit animal. Sunt mihi & minutæ aliæ ejus generis, umbilicos figurâ & magnitudine referentes; Mediocres quoque figurâ & conſtitutione his pares, ſed magnitudine ſuperantes.

UMBILICATA COCHLEA umbilicum figurâ refert, parva eſt, magnitudine Lupini, compreſſa aliquantum, tenuis, lævis, ſplendens, parte turbinatâ obliquis ſtriis purpureis & obſcurè luteis variegatâ, compreſſam partem circulus ambit niveus, quem inſequitur purpureus, reliquum candicat, ut & interior ejus ſuperficies. Rondeletius umbilicum vocat varium. Coloribus differunt quandoque, alioquin figura eadem.

COCHLEARUM Turbinatarum ſpecies quaſdam elegantes, ſub titulo Cochlearum ad Aſthma, à D. Henrico Cuſtero juniore accepi, quæ longitudine vix æquant unciam dimidiam, quà craſſiores, paulo ſuperant pennam anſerinam, paulatim extenuatæ, uſque dum in apicem circumvolutæ deſinant, ſingulæ vero circumvolutiones Zonis ſeu lineis quibuſdam tenuibus per tranſverſum cinguntur, ita ordinatis, ut invicem cohæreant, ab imo ad ſummum uſque elegantes ſtrias conſtituentes Cochleatas. Maximâ ex parte coloris ſunt candidi, quamvis inter meas una cœrulea ſit, & alia alba, lineis purpureis.

COCHLEA MINUTA MURICATA, ſtriata obliquè, oblonga eſt, turbinata, quam punctula quædam ordine circa eam diſpoſita cælatam quaſi reddunt.

COCHLEA CILINDROIDES, à figurâ, quâ Cilindrum imitatur, ita dicta, Rondeletio dicitur pyri modo turbinata, ovali eſt figurâ, turbine exiguo, punctulis quandoque notata, pollicis craſſitiem æquans, quamvis & major & minor reperiatur, quæ apud Indos quoſdam ob pulchritudinem, item in Loande & Regno Congi, Tombuti, alibique, teſtante Linſcottano, monetæ vices ſuplet.

Alia etiam ejus generis, magnitudine nuclei Ceraſi, oblongior tamen, nullum turbinis oſtentat veſtigium, lævis ac ſplendens, coloris albicantis, decem lineis æquè diſtantibus per ambitum cingitur, & ut Concha Venerea rimulâ hiat, ſplendore ei non cedens.

Eſt

Eſt ejus generis minima, magnum Tritici granum vix ſuperans, lævis, ſplendens, variis coloribus inſignita, obſervare enim in eâ licet punctula purpurea, flava, cœrulea, hyacinthina, eorumque miſturam gratiſſimam. Ex Orientali Indiâ hæc delata.

COCHLEÆ DEPRESSÆ apud nos in ſtagnis reperiuntur non ſine varietate. Sunt enim quæ alterâ parte planæ ſunt, alterâ excavatæ & protuberantia oſtendunt volumina, ab exiguo initio paulatim amplitudine creſcentes ad foramen uſque. Sunt quæ utrinque protuberant rotunditate & circumvolutionibus ac ſpiris à minori in majorem paulatim ſe diffundentes amplitudinem.

Veteribus Romanis olim in cibum ceſſere Cochleæ, & etiamnum iis delectantur multi, Itali in primis, ſed peculiare genus eſt quod ſapit, in vineis potiſſimum tempore vernali degens. Crebro ablui, purgari, & bene coqui neceſſe eſt. Parum præbent alimenti, difficulter concoquuntur, & carnis ſunt durioris. Obſervandum quod ex Gal. lib. 2. ad Glauconem monet Cæl. Rodiginus; in Alexandriâ Ægypti ſalſamenta & Limaces, quoſdam etiam Aſininas carnes edere, unde Elephantiaſin illis frequentem eſſe contingit.

Medicis multis modis inſerviunt Cochleæ. Teſtæ contuſæ minutim & dentibus affricatæ dolores tollunt, oleum quoque ex iis ad eoſdem commendatur.

Pinguedo, quæ innatat dum coquuntur, capillos auget. Salis beneficio in liquorem ſi reſolvantur, flavam reddunt cæſariem. Plura qui volet, conſulat Aldrovandum de Teſtaceis.

Huc forſan referre licet ſquammoſa quædam corpora, quadrata, tenuia, lævia, cornu politum referentia quovis latere tres ferè digitos longa, lapidem ſchiſtum aut matrem perlarum referentia, fibras quaſdam obtinentia à centro ad circumferentiam ductas, ac ſinus quaſi quoſdam orbiculares. Squammas piſcium ſubſtantiâ referentia. Neſcio an illa ſint corpora, de quibus agit Linſcotanus in deſcriptione Mozambique cap. 4. p. 8. ubi ait: Ad terram Bardes in extremitate oſtii fluminis Goæ, diſtans ab urbe 3. milliaribus eſſe quædam corpora ſquammarum piſcium formâ à Luſitanis VINTINS dicta, quod ſimilitudinem quandam habeant cum medii Realis Luſitaniæ Monetâ, ac horum numerum ingentem, certum oræ Indiæ argumentum præbere.

ECHINUS MARINUS, quibuſdam Aurantium marinum, quod ſpinis ablatis pomum Aurantii quodammodo referat, formâ eſt in rotunditatem conglobatâ, demptâ unâ parte parum compreſſâ, in quâ os eſt rotundum, quinque dentibus incurvis, intus cavis, & in idem punctum coëuntibus, munitum; ii quinque maxillis internis connexi ſunt, quæ ab ore intus erectæ, ex acuto in latum tendentes & ambienti calici non continuæ, mirabili artificio ſunt conſtructæ & celatæ. Inter dentes interna caruncula quædam eſt, quæ linguæ vices gerit, mox gulæ jungitur, quæ in inteſtinum deſinit longum, per teſtam ſtellatim diſpoſitum, quod in parvum foramen deſinit, ad excrementa egerenda deputatum, ex adverſo oris ſitum. Tota teſta intrinſecus foraminibus parvis plena eſt, per quæ movendi facultas aculeis communicatur, extrinſecus in exigua tubercula eriguntur, aculeorum Cotylem excipientia, membranulâ junguntur, ut in orbem moveri poſſint. Aculeorum caput craſſius eſt & cavum, ſed in acutum terminatur.

Tota exterior teſta à ſpinis denudata purpureo & flavo, alternatim quaſi diſpoſitis coloribus radiat, & creberrimis punctulis aſperatur. Magnitudo diverſa eſt, quandoque ſemipedem in Diametro habet, quandoque minus.

In Echinis nihil eſt quod cibum præbeat, præterquam ova quæ in iis inveniuntur quinquepartita, ſubruffa, ad ſtellæ imaginem formata, quæ quandoque eduntur, ſapore non injucundo, licet ad amaritiem accedant. Quandoque coquuntur, ex intervallo manducata Phreniticis, Epilepticis & Melancholicis conducere volunt. Contra Venenum Doricnii & Carpaſi commendantur comeſti.

Teſtæ crematæ ſordida ulcera purgant, carnem luxuriantem reprimunt, ſtrumas diſcutiunt. Ad Dyſuriam & Calculum teruntur cum aculeis, & ex Mulſâ frequenter exhibentur. Ad Alopecias ſumit Myrepſius teſtam Echini marini uſtam, mucidam Iridis radicem, ſingulorum unciam, quæ benè contuſa oleo irrigat & adhibet. Ad expellendas ſecundas ſumit Hippocrates Echinos marinos tres tenuiter tritos & in vino odorato exhibet. Morſis à cane rabido in cibo Echini proſunt recentes, cum vino aut mulſo. In dolore colico commendat Trallianus & Aëtius; ad ſtomachum hebeſcentem, Echinum marinum haud parum proficere, & veſicam vacuam facere, affirmat Ælianus.

Cap. IX.

De Animalibus sanguineis Reptilibus.

EXsanguia hactenus vidimus animalia, ad Sanguinea & perfectiora transitum ut faciamus, ordinis ratio postulat. Sanguinea verò ea dicimus, quæ vero sanguine, non humore aliquo analogo nutriuntur. Unde in venis omnium sanorum invenitur, & effluit, quamcunque partem carnis vivæ incideris, testante Aristotele lib. 3. de Hist. Animal. cap. 19. Hæc autem vel sunt Reptilia seu Serpentia, vel Natatilia, vel Volatilia, vel Gressilia. Reptilia pedibus carent, ut serpentes, qui ita vulgo vocantur à serpendo, quamvis hæc vox quandoque tam latè sumatur, ut ad insecta, Scorpiones & araneas extendatur. Serpentum alii terrestres sunt, alii aquatici. Nos hic de iis saltem agemus, quorum aut exsuvias, aut cadavera tenemus. Quamvis Servius in 2. lib. Æneid. Virgilii, inter Serpentes hoc ponat discriminis, quod Anguis sit aquarum, Serpens terrarum, Draco templorum, hoc tamen non semper observari, norunt ii qui cum curâ classicos autores legerunt.

Anguis vocabulum nos hic strictius sumimus, pro eo Serpentis genere, quod apud nos frequens in dumetis & locis uliginosis, ac tam aquis quam terrâ gaudet, colore nigricante vel ferreo, magnitudine inæquali, quandoque ulnas duas attingens, dorso squammis tenuibus & parvis maculato, ventre ex albo & nigro variegatis majoribus, capite oblongo, oculis parvis, paulatim in caudam angustam desinens, vulgo ein Snog.

Inter Cutim & Carnem pinguiusculam habet membranam, quæ cum ipsâ cute discedit ubi excoriatur. Aspera arteria, longitudine quatuor circiter digitorum, pro corporis proportione parvis circulis tornata, ad pulmones defertur, cui cor & vesicula fellis adhæret. Hepar oblongum instar Lucii piscis, cui & intestinis pinguedo adhæret. Intestina à faucibus ad excretionis locum sub alvo descendunt. Infra Hepar utrinque juxta intestina, nervosa vena, longo ductu descendit, cui insunt ova, ita pelliculis albis tecta, ut in Gallinis videmus, sed longo ordine ducto, in quolibet latere triginta duo. Lingua bifida & acuta. Vix veneni aliquid habere deprehenditur, siquidem manibus tractant & in sinu gestant multi sine incommodo. Vescuntur graminibus, insectis & obviis quibusvis, hyeme latent, coitum mutuo complexu supinarum partium perficiunt, ova pariunt, quæ instar monilis cohærent, incubant quæ pepererunt in terrâ & sequenti anno excludunt.

Serpentes & angues Trogloditis olim cibum suppeditarunt, & etiamnum in quibusdam Indiæ locis in delitiis sunt. Contra omnium serpentium Ictus commendantur ipsa exta vulneribus imposita. Strumis & Elephantiasi laborantibus carnes conducunt. Anguinum cor, si mordeatur aut alligetur, efficax habetur ad dentium dolores. Ad strumas adipem anguium & carnem in pulverem redactam valere credunt. Anguis inveterati suffitus, menstrua juvare vult Plinius. Germani pulverem ex iis conficiunt, quo qui utuntur, ab omnibus venenis tuti redduntur, & à malignis corporis affectibus. Variæ reperiuntur hujus pulveris descriptiones; sed, quo simpliciores, eo meliores.

Verno & Autumnali tempore, juxta quosdam, excutiunt illud, quod Senectam Anguium vocant, vernantium spolium & exsuvias. Inter duos lapides aut aliud simile exsuere incipiunt, ab oculis primum detrahendo, ita ut occæcari videantur iis qui rem non intelligunt, tum caput, atque 24. horis tota exsuitur à capite ad caudam, cute novâ subtus renascente. Eo enim id contingere volunt, quod quasi Elephantiasi laborantibus cutis à corrupti humoris vaporibus siccetur & elevetur.

Hæc Vernatio ad multa commendatur. Si oculis affricetur, claritatem iis conciliat. Cocta in vino aurium doloribus auxiliatur, in aceto fervefacta dentium doloribus medetur, cum cerâ mista celerrime dentes evellere scribunt, Pthiriasin prohibet, ad Colicam, Dysenteriam, tenesmum decoquunt & applicant, ad internas & externas eminentias, senectam anguium scinde figurâ Numismatis magni, absconde in caricis & æger clam comedat. Canis rabidi morsum imposita curat; alligata lumbis faciles partus reddit. Sed mox à partu removenda, ex eo fumus fœtum mortuum educit. Multo plura ei tribuuntur, quæ apud Gesnerum & Aldrovandum legere licet.

Vipera quasi Vivipara, quod, cum reliqui serpentes ova pariant, hæc sola vivos fœtus. Græcis ἔχιδνα, Arabibus Tyrus, à Græco θηρίον, hinc celeberrima toto orbe Antidotus

tidotus Theriaca, quod ejus basin constituant trochisci ex ejus carne confecti, quamvis sint qui Avicennam alios serpentes & non viperas Tyros vocare existiment.

Magnitudine ut plurimum est cubitali, quandoque major. Masculum à fœminâ differre vult Nicander, quod caninos dentes duobus plures habeat, colore est subflavo, collum porrigens, oculis subrubentibus, intuitus feri, capite latiore, corpore & ventre tumido, caudâ curtâ, dorso variegato; herbis vescitur, segni tractu serpit, tam Vere quam Autumno exsuvias deponit. Vulgo putarunt Viperam per os concipere, & ejus viscera à catulis in partu corrodi; sed vehementer hallucinantur.

Fuerunt enim nostrâ ætate, qui Viperas utriusque sexus electas vivariis inclusere, easque instar aliorum animalium conjungi, concipere, parere educareque fœtus suos experimento compererint, nullo parentum desiderato: coëunt masculus & fœmina, caudis ad medium usque corpus optimè convolutis, complexisve, alterâ verò superiori corporis parte elevatâ, multis cum ore osculis datis. Inest masculo membrum genitale, eâ in parte ubi amplexantur, quod intus occultum habet, fœminis verò vulva ex directo inest, ut docuit expertus Amatus Lusitanus.

Quidam populi, Ægyptii præsertim, earum carne in cibis usi sunt, teste Galeno. In Medicinâ valde commendantur ad Elephantiasin, earum carnes, rite præparatæ & mundatæ. Matthæus Gradi pullos & capos jure & carne Viperarum cum pane subactis nutrit, usque ad deplumationem, curaturus horum esu Elephantiacos. In variis morbis insanabilibus commendantur. Quidam asserunt eos, qui Viperinis vescuntur carnibus, vitam degere longiorem, caput contusum & Ictui Viperino impositum venenum extrahere & à noxâ vindicare. Contra omnium serpentum Ictus virulentos, Viperarum exta foris imposita auxiliari ait Plinius. Contra oculorum hebetudines, doloresque Podagricos commendatur adeps. Impetigines, Alopecias curant exsuviæ combustæ & illitæ. Quidam pulverem ex carne confectum contra Arthritidem & strumas propinant. Sed earum usus maximus est in Theriacâ, cujus basin constituunt, Pastilli ex iis confecti, salem quoque Theriacalem præparat Galenus in multis morbis utilissimum.

Ex morsu Viperæ dira ac lethalia Symptomata proveniunt, pars læsa primum, mox totum corpus intumescit, sequitur faucium siccitas, capitis dolor. Ex vulnere cruenta manat sanies, circa vulnus tumens, pustulæ adustæ & nigricantes. Intra corpus Hepar inflammatur, biliosæ subsequuntur vomitiones, in quibusdam sopor & sudor frigidus cumurinâ cruentâ: intra septem horas alii, alii tertio aut septimo die occumbunt.

Curatio quam celerimè instituenda, & vis veneni infringenda. Juvat mox vulneri amputatum caput & contusum applicare haberi si potest, vel scarificatur vulnus & cucurbitæ applicantur, virusque eliciatur, supra partem affectam ligaturæ fiant fortes. Exhibeatur Theriaca Andromachi cum vino, ut sudor eliciatur, vomitus procuretur. Commendatur Allium, succus foliorum fraxini, melissa cum baccis Lauri, Juniperi. Vulnus foveatur diu multumque cum decocto Scordii, & corticum fraxini cum vino, Theriaca applicetur.

Ingentis SERPENTIS AMERICANI pellem ex Brasiliâ mihi attulit Nobiliss. Christophorus Lindenaw, longitudine pedum novem, latitudine unius, elegantissime variegatam & squammis quasi pictam, respondentem planè ei quam delineat Clusius lib. 5. Exot. cap. 18. Collum angustius est, & caudam versus paulatim etiam in angustum contrahitur. Tota pellis squammis tecta serie pulchrè dispositis, pronâ parte minoribus, supinâ majoribus, colorum varietate eleganti. Nam dorsum à capite ad extremam caudam, continuo ordine, secundum longitudinem nigricantibus quasi Clypeiformibus maculis ornatur, extrema verò cauda ovalis formæ maculis nigricantibus distincta, latera alterius formæ maculis, instar foliorum mali, depicta sunt, specie venusta, colore subfusco. Elegans, sive colorem, sive macularum dispositionem consideres.

BRACHIANI SERPENTIS exsuvias à Clariss. Viro D. Thomâ Bartholino habeo elegantes, longitudine pedum quatuor cum semisse, crassitie pollicis in medio, colore cinereo, in dorso squammis subnigricantibus parvulis, minoribus in collo, majoribus in dorso, sub ventre longis & magnis. Exuti capitis & oculorum in iis cospiciuntur vestigia, cauda in apicem acutissimum terminatur.

Hi serpentes Brachiani vocantur à loco ubi inveniuntur, nam octo milliaribus Italicis ab urbe Brachianâ est Styglianum seu aqua Stygia, unde non procul prope villam Sasso dictam mons est, in cujus vertice domus Fumarola, à cujus montis spiraculis deor-

sum

ſum verſus quindecim ferè paſſuum ſpacio deſcendentibus occurret ulmus, arbor conſpicua, ſub quâ ſpecus, in quâ ſerpentes hi viſuntur. Cujus ſpecus hiſtoria, cum rara ſit & ab Athanaſio Kirchero lib. 3. catenæ Magneticæ cap. 4. §. 2. deſcripta, ex eo non gravabor eam referre.

Specus ſeu caverna, vulgo la grotta delli ſerpi, duorum hominum capax, fiſtuloſis quibuſdam foraminibus in formam cribri perforata cernitur, ex quibus ingens quædam principio Veris diverſi colorum ſerpentum, nullâ tamen, ut dicitur, ſingulari veneni qualitate imbutorum progenies quotannis pullulare ſolet.

In hac ſpeluncâ Elephantiacos, Leproſos, Paralyticos, Arthriticos, Podagricos, ſimilibuſque deſperatis membrorum affectionibus laborantes, nudos exponere ſolent, qui mox halituum ſubterraneorum calore in ſudorem reſoluti, ſerpentum propullulantium, totum corpus infirmi implicantium, ſuctu linctuque ita omni vitioſo virulentoque humore privari dicuntur, ut, repetito hoc per aliquod tempus medicamento, tandem perfectæ ſanitati reſtituantur. Et paulo poſt: Speluncam per avia & devia non ſine periculo adii, & quæ de ſitu montis, de ſpiraculis ſeu evaporatione, de cavernâ & ſerpentibus inaudieram, omnia vera eſſe cognovi; ſpeluncam ingreſſus, eam utcunque calidam inveni, at ſerpentes non vidi, utpote eo tempore latitantes, ſpoliis tamen & exſuviis eorum ulmus paulo ante memorata ita onerabatur, ut Staphilodendrum, coluteam ſeu veſicariam folliculis refertam dixiſſes, quæ ſerpentium quorum mons ſcatet geniminis luculentum præbebant teſtimonium. Imo auribus ad meatuum orificia applicatis, neſcio quod obtuſum murmur aut quis ſibiloſus ſtrepitus, ſi non aëris cum halitibus incluſis luctæ, certe latentium anguium manifeſtum ſignum percipiebatur, &c. Poſt aliquot lineas hæc ſequuntur. Cura ita peragitur: Æger præviis purgationibus primo diſpoſitus in ſpeluncâ ſupra ſtratum exponitur totus nudus, qui vix ingreſſus ſtatim ex evaporatione halituum calidorum in ſudorem reſolvitur, ſudorem ſomnus ſequitur, & dum ita ſomno ſopitus immotuſque jacet æger, ſerpentes è cavernis ſuis ſudore allecti egredientes, totum dormientis corpus ſpiris ſuis implicant, illud innoxie lingendo ſtringendoque, qui tamen ad minimum motum aufugientes latibula repetunt. Ubi duabus, tribus aut quatuor horis ita jacuerint, ii qui curam ægri habent, è ſpeluncâ erutum, veſtimentiſque indutum, in vicinam Fumarolæ domum introducunt, ubi poſtea requie captâ variis confortativis reficitur, duratque hæc cura donec intentus ſanationis effectus conſecutus fuerit.

Hanc ſpeluncam non aliam originem habuiſſe niſi à Leproſo, indigenæ norunt. Hic Româ ad huic loco vicina balnea iturus, dum in hoc monte errabundus nocte unâ, cum pluvia ingruiſſet, diverticulum quæreret, caſu in hanc ſpeluncam incidiſſe dicitur, quam cum calidiſſimam reperiſſet, ſepoſitis veſtibus ingreſſus, moxque ſudore ſomnoque vehementi correptus, in eâ magnam noctis partem tranſegit. Evigilans verò cum ſerpentibus ſe involutum reperiſſet, horrore immenſo correptus, foras prorupit, & qui ſe à ſerpentibus paulo ante devoratum credebat, eorum beneficio integram ſanitatem ſe reperiſſe comperit. Quo exemplo ducti multi alii Pſorâ laborantes, poſtmodum ſerpentibus ſe lambendos, in dictâ ſpeluncâ, non ſine deſiderato effectu expoſuerunt.

SCORPIO animal eſt quod noſtra non fert terra, ad inſecta potius quam huc referendus, mole corporis exiguâ, articulum digiti vix ſuperans, caudam ſi exceperis articulatam ejuſdem longitudinis, dorſo depreſſo & latiuſculo, internodiis cancrorum more diſtincto, cruſtâ duriuſculâ, colore fuſco, capite exſerto & prominente, brachia ſeu forfices habet quibus obvia detinet dum pungit; pedes utrinque quatuor, biſulcis etiam dotati forficibus, caudam oblongam tenuem, articulatam, aculeo præditam, quo pungit & venenum ejaculatur. In hoc aculeo Plinius meatum quendam ſinuoſum eſſe ait, adeò anguſtum ut viſu non percipiatur. In eo venenum gigni, continerique, quod cum ille ferit, mox per foramen, quod minus cerni poteſt, emanat. Generari volunt partim per putrefactionem, partim ex ovis propriis, & terrâ vivere ſtatuunt.

Quamvis Scorpiones animalia ſint venenata valde, ſuos tamen in Medicinâ habent uſus; paratur enim ex iis, in novâ ollâ obturatâ uſtis, pulvis, quo quidam ad calculum comminuendum utuntur. Oleum quoque ex vivis iis in oleum commune immerſis & ſuffocatis, cujus uſus eſt contra Ictus ſcorpii, venena alia & morbos venenatos. Aliquando crudi in uſum veniunt, ſi contuſi adhuc vivi ſuis Ictibus imponuntur, venenum enim inflictum extrahunt.

RUBETÆ ſeu Bufonis (ad quadrupedia digitata ab Aldrovando refertur) mentionem quod hoc loco faciam, in cauſâ eſt ejus corium, quod mihi Clariſſ. Vir M. Aurelius Severinus, in Academiâ Neapolitanâ Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor eximius, tranſmiſit, longitudine eſt unciarum quinque, totidem latum, fermè quadratum, niſi quod eminentiæ capitis, pedum, &c. inæquale illud reddant.

Animal hoc omnibus notum, ab autoribus ad Ranas exitioſas refertur, quod quandoque in ipſo ſaxorum meditullio natum eſſe animadverſum eſt, alioquin ruderibus & terrenis gaudet ſcrobibus. Corio adeo craſſo & tenaci tegitur, ut ligno acuto vix perforari poſſit, adeoque decolorato, ut, ſi quis optimè coloratus diutius intueatur, pallidus & quaſi Ictericus reddatur. Ventre eſt turgido, noctu quam interdiu melius videt, tardo incedit gradu, hieme latitat. Si ſæpius verberetur, primo ex clunibus venenum exprimit, dein guttas quaſdam male olentes effundit. Herbas, fraga, fungos & alia ejus generis inficit, obſcurum edit ſonum & terrâ veſcitur.

Venenatum admodum cum ſit animal, ejus veneno medentur Cancri fluviatiles, triti & poti, cervi cornu, Poterion, terra ſigillata, Smaragdus, &c. Si cuſpide acuti baculi caput transfigatur & exſiccetur in ſole Bufo, integer, bubonibus peſtilentibus impoſitus venenum extrahit.

CAP. X.

Piſces Saxatiles & Littorales.

A Reptilibus, tanquam ignobilioribus animalibus ſanguineis, ad Aquatilia ſanguinea progredimur, quæ noſtrum tenet Muſeum, quippe quæ nullibi ſine humore degere poſſunt, vel exiguas ſaltem in ſicco moras trahere. Horum duo ſunt genera, unum quod Branchiis præditum, ob ſanguinis paucitatem frigidiuſculum, ſolâ aquâ ad refrigerationem indigens. Alterum pulmonibus dotatum, quod quia calidius & ſanguinis copiâ præditum, reſpiratione indiget, nec ſemper ſub aquis degit. Hæc Cetacea, illa Piſces vocantur.

Piſcium verò multæ ſunt differentiæ, illuſtres tamen eæ quæ deſumuntur vel à corporis tegumento, vel à locis in quibus degunt. Tegumentorum ratione, quidam ſquammoſi ſunt, quidam cute tecti, eâque vel aſperâ vel lævi. Locum in quo piſces degunt, Aquam eſſe conſtat, eaque vel marina, ſeu ſalſa, vel dulcis. Quæ vel fluviatilis vel lacuſtris, quâ ratione quidam piſces dicuntur θαλάττιοι ſeu marini, quidam ποτάμιοι fluviatiles, quidam λιμναῖοι lacuſtres. Hujus diviſionis habitâ ratione, piſces quos tenemus, in ſuas diſtributos claſſes conſiderabimus.

A MARINIS ut initium capiamus, ii ſunt vel πετραῖοι ſaxatiles, vel αἰγιαλώδες littorales, vel πελάγιοι, in alto mari degentes. Saxatiles, qui inter ſaxa & promontoria vivunt, vel ſemper ibidem ſtabulantur, vel maximâ ex parte, quandoque nempe excurrentes in alia loca ut alimenta quærant. Saxatiles autem hoſce piſces in ſquammoſos & non ſquammoſos diſtribuimus.

Inter ſquammoſos piſces refert Aldrovandus ACUM utramque; ſed reverâ, qui diligentius hos piſces intuentur, non tam inter ſquammoſos, quam læves locum tribuent. Nos nihilominus ejus ſecuti veſtigia, hic de iis breviter agemus.



ACUS vulgaris Plinio, Aculeatus Bellonio, Græcis βελωνὴ & ῥαφὶς, nobis Horn-fiſch, in noſtro mari, menſe Julio & Auguſto, copioſe capitur. Tenuis & longus eſt Piſcis, roſtrum habens acutum, tenue, longum, durum, caput triangulare, ferme ad viriditatem inclinans, inferior maxilla ſuperiori longior, in mollem quandam ſubſtantiam degenerans, dentes utrinque parvi & frequentes, oculi magni, rotundi, lutei, Branchiæ quaternæ, duplices, pinnæ duæ parvæ ad branchias, duæ aliæ ſub ventre, quas rurſum alia ſequitur longa, ad caudam ſe extendens, è cujus regione in dorſo alia, cauda in duas pinnulas

 termina-

terminatur. Dorſum ejus cœruleum eſt, ad viride inclinans, venter candidus, argenteuſve. Spina dorſi viridis, partes interiores longæ ad corporis proportionem.

In cibos apud nos venit, caro ejus non adeò inſuavis, ſed dura & ſicca, idcirco difficilioris concoctionis. Elixatur recens; ſed copioſe ſumentibus noxam inferre, febreſque accendere credunt.



Acus ARISTOTELIS, Typhline Bellonii, Blennus aliquibus, piſcis eſt tenuis & longus, cortice pulchrè cælato tectus, caput exiguum habens, roſtrum oblongum, durum, in extremitate latiuſculum, rictu in altitudinem dehiſcente, figurâ tubæ, adeo tenui, ut, propter roſtri longitudinem & anguſtiam, ne minimus quidem piſciculus ingeri poſſit, Gallis Trompette dicitur. Branchias utrinque quaternas habet, pinnam in dorſo unicam, caudam in tenuem & ſimplicem pennam terminatam, oculos exiguos, corpus oblongum anguloſum, quod à capite ad meatum excrementorum ſemper craſſeſcit, dein paulatim extenuatur.

Ejus cinis exhibitus urinæ ſtillicidium curat, ut tradit Galenus. Totus cum irino unguento inſpiſſatus, & cinis ulceribus inſperſus, eorum putredines ſanat.



Ad Piſces littorales ſquammoſos HIRUNDO PLINII refertur, quem Rondeletius Mugilem alatum, alii Falconem marinum & piſcem volucrem vocant. Caput habet oblongum, ſuperiore parte planum aliquantum, roſtrum acutum, os parvum, edentulum. Inferior maxilla ſuperiori paulo prominentior, oculi rotundi & maximi, Branchiæ utrinque quaternæ, juxta quas binæ ſunt illæ pinnæ, quarum operâ volatum exercet, latiſſimæ longiſſimæque, ventris pinnæ inferiori loco, quam in aliis ſitæ ſunt, magnæ ad caudam extenſæ, alia à podice parva, in dorſo unica; caudæ pinna lata & lunata, quaſi in duas diviſa, quarum inferior major eſt. Squammis magnis & latis, ſed tenuibus tegitur, venter albicat, dorſum ex cœruleo nigricat, cubiti longitudinem attingit.

Algâ & aliis quiſquiliis marinis vivit, volatu ſe extra aquam per aëra effert. Juxta promontorium bonæ ſpei navigantibus in Indiam Orientalem, magnâ copiâ ſe offerunt hi piſces, & quandoque in naves ſponte decidunt, noctu præſertim. Ad centum vel amplius paſſuum intervallum aquas ſupervolant, ut alios piſces inſequentes effugiant, ubi periculum eſt, ne in avium marinarum rapacium ungues incidant, cito merguntur; undique tam in aquis quam in aëre hoſtibus cinguntur.

Carnem habent non inſuavem, qui guſtarunt ſapore cum ſcombro, quem etiam colore refert, convenire ajunt. Caro licet duriuſcula videatur, plurimum tamen ſuppeditat nutrimenti; Elixum præferunt aſſo.

CUCULUS MARINUS, Græcis Κόκκιξ, Gallis Morrude, Anglis Gornart, noſtratibus Kur / à ſono quem pinnis edit dum capitur aut læditur, quibuſdam Coccygium, Sophroni Trigola vel Trigla, Germanis quibuſdam See-hane / Chilonii Smide-knecht.

Tota

Toto corpore glaber apparet, quamvis quidam minutissimis squammis ad latera præditum putent. Capite est magno, osseo, cælato, anguloso, quibusdam in locis aculeis munito. Nam præter id quod rostrum in duos arcus semicirculum constituentes terminetur, super utrumque oculum, supercilii loco, duo acutissimi extant aculei, posterior capitis pars duobus consimilibus horret, utrumque branchiarum operculum item, sed longiori armatur, statimque à branchiis aliis omnium longissimus, utrinque prominet, aliquibus alioquin capitis partibus argentum æmulatur. Oculi nigri, os latiusculum, edentulum.

In utroque latere à Branchiis, sub majore illo aculeo pinna est subrubra magna, ex cujus regione in ventre altera minor utrinque & minus rubra exoritur. Ante has utrinque terni cartilaginei Cyrrhi dependent. A capite per dorsum, ferè ad caudam usque, duo acutissimorum aculeorum ordines deducuntur; in quorum medio duæ pinnæ conspiciuntur, una capiti proxima, brevior, sed latior, novemque aculeis horrida, altera longior, sed strictior, nullisque armata aculeis. Ventre est plano & candido, orificium excrementorum in medio ventre est, à quo alia exorta pinna fere usque ad caudam extenditur.

Capite, dorso, lateribus & pinnis rubet dum recens est. Totus piscis rotundus carnosus, Branchias habet utrimque quaternas & duplices. Sonus, quem edit, pinnarum concussu perficitur, vocalis alioquin nullus est Piscis.

Gustui haud insuavis ejus caro, quæ alba, dura & sicca est, sed tamen friabilis, unde inter salubres pisces à multis recensetur. In aquâ & vino elixatur apud Monspelienses, ex aceto & succo oxalidis comeditur.

SCORPIO MARINUS, Σκόρπιος & Σκόρπις Græcis, Gallis Rascasse, Italis Pesce spinoso, Germanis Wacl-fuge / Danis Wecke.

Piscis est magno capite, anguloso, duro, osseo, plurimis iisdemque acutissimis & robustissimis aculeis munito, os ipsi magnum & in eo exigui dentes confusi densique, oculi magni, rotundi, exerti, in summo temporum collocati, superciliorum loco aculeos habet, branchias quaternas utrinque osseo aculeatoque operculo tectas, juxta eas binas latas pinnas totidemque ex harum regione in ventre, sed minores, in dorso unicam, sed latam longamque à cervice ad caudam excurrentem, anteriore sui parte undecim aut duodecim duris firmisque aculeis horridam, cætera obtusam & innoxiam, aliam à podice ad caudam excurrentem habet, brevem ac latiusculam, tribus hispidam aculeis, cauda unicâ alatâ pinnâ constat. Totum corpus rotundum est, anteriore parte crassissimum, posteriore tenue. Squammæ, quibus tegitur, adeo sunt exiles tenuesque, ut, nisi advertas, iis carere videatur. Venter albicat, cætera rubet.

Algâ pasci, & Carnivorum esse volunt, aculeis tum ad sui tutelam, tum ad nocendum & veneno inficiendum utitur. Sed in hisce locis minus venenatus est, nullus enim nostris piscatoribus ex illo vel metus, vel suspicio: vulgus caudam, sues totum piscem impune vorant. Ejus Ictus, Hepate ejusdem piscis & carne impositâ sanantur, aliis etiam curantur antidotis, de quibus alii.

Carnes duræ sunt & coctu difficiles, ingratæ, ob id negliguntur, pauperiores tamen apud nos detractâ pelle recentes & exsiccatos comedunt. Jus ad alvum molliendam commendatur. Fel ad menses & secundas ex utero educendas, lanâ exceptum & exsiccatum, adhibetur. Ad visum acuendum, verrucas tollendas, & cutis scabritiem commendat Plinius. In capite lapillum inveniri ajunt, ad stranguriam & calculum utilem. Scorpium marinum necatum in vino vesicæ calculos & vitia sanare, jecinoris etiam doloribus mederi, si bibatur, autor est Plinius lib. 2. cap. 35. Ad exterendos calculos Scorpios tres parvos integros comburito & cinerem propinato, ait liber Euporistorum Galeni. Assatum Scorpium marinum Calculosis prodesse tradit Marcellus Donatus.



DRACO MARINUS, Græcis δρακαίνα, aliis Araneus. Sconveldius piſcem hunc à Græcis aut Latinis deſcriptum non eſſe putat & Cataphractum vocat, Gallis *Vive*, Hollandis Pieterman / Norvagis Kierſing / Norſtrandenſibus Steen-bicker & Muller.

Eſt quandoque palmorum duorum longitudine, quamvis meus ſeſquipalmum non ſuperet, capite eſt triangulari, depreſſo, anguloſo, duos circiter digitos lato, cujus latera in ambitu tuberculis aculeatis horrent. Roſtrum habet reſimum, quatuor apiculis munitum, quorum duo anteriores inſtar Lunæ cornutæ vel ſemicirculi ſe rotundant, reliqui poſt hos ſuis aculeis retro converſis conſpicui ſunt, os in ſupinâ parte ſemicirculare habet, parvum, ſed inciſuram ejus utrinque binis Cirrhis barbatam. Truncus proximè capite depreſſior octagonus eſt, prope caudam hexagonus, pronâ parte fuſcus, nigris lituris interſperſis, circa ventrem planus, in cujus medio podex eſt, albicans, totus oſſeis ſquammis contectus, in quarum medio tumor durus reduncus erigitur, qui in omnibus continuatus corpus anguloſum efficit, quod verſus caudam gracileſcit. Pinnas circa Branchias habet latiuſculas duas, ſub ventre totidem, ſed longe minores, binis fibris conſtantes. In dorſo inter ſquammarum extantias concavo, duas contiguas parvas, omnes nigris lituris pictas, Cauda in pinnam ſubnigram exiguam & rotundam deſinit. Dentes nullos habet, ſed horum loco labia aſpera. Squillis aliiſque minutis piſcibus veſcitur.

Piſcem hunc omnium marinorum, Paſtinacâ exceptâ, venenatiſſimum ſtatuunt, aculeis ſuis Ictum periculoſum inferentem, inflammationes & febres excitantem cum dolore immenſo, unde gangræna. Antidotum eſt piſcis ipſe, aut ejus Hepar, ſi plagæ mox applicetur; dolorem enim ceſſare facit & venenum extrahit.

Reſecto capite coquunt ex aquâ, & abraſis cruſtis cum butyro comedunt, ob carnis dulcedinem in deliciis habetur. Recentis hujus piſcis capitis cinis, omnibus venenis reſiſtere vult Rondeletius. Plinius dolores dentium ſedari ait, ſi gingivæ oſſibus Draconis marini ſcarificentur.

DRACUNCULUS, quem Rondeletius à ſolo Plinio nominatum putat, à Gallis Lacert vocatur, quod Lacertis terrenis quodammodo ſimilis.

Dodrantali eſt magnitudine, roſtro acutiore, capite latiore, ore parvo ſine dentibus, oculos magnos ſupra caput habens, os in aculeum deſinit ad caudam ſpectantem, pinnas longiſſimas pro corporis magnitudine obtinet, partim aureas, partim argentei coloris, quæ ad branchias ſitæ aureæ ſunt, in radice argenteæ. Quæ à ſupinâ parte, à cæterorum marinorum piſcium pinnis ſitu & magnitudine diſſident. Nam & ori propiores ſunt, & longiores iis quæ ad branchias. In dorſo duæ eriguntur, prior parva eſt, aurea & argenteis lineis diſtincta, poſterior magna admodum in medio dorſo, Papilionum alis, radiis quinque hordei ariſtis ſimilibus, membranâque conſtans. Radii priores longiores ſunt, poſteriores breves. Hæc in medio dorſi cavo quaſi vaginâ clauditur, alia à podice ad caudam tranſcurrit, etiam aurea, demptis fimbriis nigricantibus. Corpus totum ſenſim gracilius fit & in pinnam longam terminatur, cujus fimbriæ nigricant. Eſt & picto corpore, nam ab hujus medio argenteæ lineæ ad ventrem ductæ ſunt. In maxillis partibuſque anterioribus, veluti punctis argenteis notatur, ventre eſt lato, plano, candido, & cuticulâ tantum tegitur, capitur maxime diebus canicularibus.

Rarum piſcem eſſe refert Rondeletius, & tum ob raritatem, tum venuſtatem, ſummumque rerum omnium opificis Dei in hoc piſce artificium eum piſcatores admirantur, & amicis, qui naturæ rerum contemplatione delectantur, dono dant. Quem ego poſſideo captus eſt circa promontorium Scavenianum in Cimbriâ, mihique à parente P. M. Wil-

P. M. Wilhelmo Wormio, tunc temporis Regio ibidem Telonii præfecto, transmissus cum aliis rarioribus piscibus, qui ibidem capiuntur; sed temporis injuriâ à colorum varietate multum remisit.

MINUTUM quendam PISCICULUM, vix unciæ longitudine, ex Indiâ Orientali allatum, cum aliis quibusdam mihi obtulit Vir Clariss. D.M. Laurentius Bordingius, quem titulo Indiansche-söhane se accepisse refert, eo quod vivus sonum Galli imitetur. Ore & rostro est acuto, corpore toto muricato, colore cinereo, pinnas duas alarum instar ad pectus extensas & capillaceas habens, capite triangulari, quinque spinis horrido. Dorsum quatuor ordinibus tuberosis præditum, radios de se stellares ejaculantibus, ratione reliqui corporis amplum; quod mox cauda excipit sexangularis, spinosa quoque; sed ex eâ aliquid est amputatum. Sonum si quem edit, pinnis, ut cuculus, excitat, cum nullus piscis detur verè vocalis, ut supra dictum.

Hunc Piscem demum ex effectis comperi esse Physam seu ORBEM ÆGYPTIACUM quamvis minimum, de quo Rondeletius lib. 10. Hist. Pisc. cap. 11. Hic orbis Piscis, Nili & maris rubri accola, exsiccatus & tomento vel algâ oppletus, inter templorum anathemata, vel cubiculorum ornamenta suspenditur, eam cœli partem, à quâ ventus flat, rostro ad eam conversо, indicare solet.

Sic Aldrovandus. Est Orbis hic non nostri maris, sed Ægyptii accola, ex quo Nilum quoque subit, & ad illud ostium maximè adnatat, quod Salticum appellatur, in eoque potissimum capi solet. Accepimus præterea in cibos non admitti; sed non aliam ob causam ab Ægyptiis capi, quam ob insolentem corporis figuram, detractum corium tomento implentes externis vendunt.

Habet tamen ita suspensus hunc usum, ut cœli partem, à qua flat ventus, rostro ad eam conversо, indicet. Unde à quibusdam Germanis non sine causâ Sehe-hane/ hoc est, Gallus marinus vocatur, ideo forsan, quod, sicuti Gallus templorum turriumque fastigiis impositus ventos demonstrat, ita & hic piscis. Quod verum esse experimento comperi in parvulo meo.

ORBIS OCEANI, ob corporis formam contractam sic dictus, aliquibus Lepus marinus, in nostro mari frequens, ut & in foro piscatorio vernali tempore, Zee-haes Hollandis, Snottolck/ Gaf-podde aliis, nobis Steenbid/ à Stephano Schonvelde ita delineatur. Rostrum habet obtusum, os non amplum, inter hoc & oculos foraminula duo, fistulis exiguis conspicua. Branchias parum incisas. Dorsum à capite in gibbum semicircularem fastigiatur. Latera binis veluti carinis, quæ multis obtusis clavis horrent, protuberant, venter planus, in ambitu decem clavis exasperatur. In cujus medio podex est raræ magnitudinis, ita ut totius corporis figura fere heptagona sit. Corio tegitur denso, ad tactum aspero, quod nullo detrahitur negotio, cuique dorsi gibbus & clavi facile adhærent, relicto pauxillo carnis mollis & excrementitiæ circa spinas, ingrati & ferini saporis in iis quibus pallidæ pinnæ sunt, paulo gratioris quibus rubentes. Pinnæ ad branchias duæ sunt, tertia pronâ parte, supinâ quarta, quarum altera superior inferiori ex adverso respondet fere, & striatæ fermè omnes, prope caudam gracilescentes, quæ in pinnam continuam rotundam exit. Sub sterno quiddam circulare habet, instar scuti carinatum, quo lapidibus, ligno, solo arctissime hærere potest, adeò ut ægrè inde avellatur. Dentibus caret, quorum loco in anteriore oris parte gingivas habet asperas, in faucibus superioribus duo ossa, in inferioribus unicum, omnia aspera. Venter prominet, ovis præsertim gravidus. Oesophagus laxus est, ventriculus amplus, oblongus, multis appendicibus vallatus, cui Epar incumbit, pallidum ex rubro. Intestina porci instar varia, multis gyris huc illuc recurrentia. Cor inter branchias triangulare, rubellum. Squillis & pisciculis minutis vescitur. Duûm generum est, unum minus, purpurascentis in dorso coloris, saporis gratioris, hoc nostri Steen-bid vocant. Alterum majus, crassius, nigri & luridi coloris, carnis insuavis, nostris Quapsow. Parum externâ differunt figurâ: adeo ut existimem alterum marem, alterum fœminam esse.

ORBIS ACULEATUS, Æliani τοξότης lib. 12. de Hist. Animal. cap. 25. quem redemi à milite quodam Gallo, qui cum navibus Belgarum Indicis huc appulit Anno MDCLIII. mense Augusto, ab eo quem describit Clusius lib. 6. exot. cap. 21. non nisi magnitudine & paucis aliis differt.

Meus enim ab extremo oris ad caudæ initium decem saltem continet uncias, adeò ut duplo minor sit eo, quem Clusius delineat. Medio corporis ambitu pedem unum

cum quatuor unciis obtinet, corio circa ventrem albescente, in dorso violaceo, maculis nigris magnis consperso: Undiquaque firmis & acutis spinis horridus, quarum bases in binas alias breves & sub cute latentes desinunt. Os exiguum triangulare, acutum, rictu vix unciam amplitudine æquante; bina ossa dentium loco habente, superius unum, inferius alterum. Oculorum vestigia magna. Pone oculos utrinque in lateribus pinna, unciam unam longa, binis item aliis ejusdem penè longitudinis, quarum una in extremo dorso, supra caudam, altera sub podice. Caudæ pinna uncias duas æquat. Spinæ longiores semiunciales. Ælianus non ineptè cum Erinacio comparat.

Aliud ORBIS genus eodem tempore ab eodem accepi, quod nescio an ab alio sit descriptum: hirsutus enim est, non armatus aculeis aut spinis, sed brevissimis setis dense stipatus, unde ORBEM HIRSUTUM ego voco. Magnitudine ferme par priori, colore fusco. Caput prominulum acutum, os quatuor constituunt ossa lata, in extremitate in acutum contracta, & simplici lineâ juncta, quorum duo superiorem constituunt maxillam, inferiorem duo, sine dentibus. Venter albicat aliquantum, sed dorsum fuscum, oculorum orbitæ corruptæ erant & exesæ, pone quas ad latera pinnæ duæ, unciam fermè æquantes, una sub caudâ ad Uropygium. Cauda, quæ non hispida sed lenis est, pinnam obtinet longitudine & latitudine unciam paulo superans. Totius piscis longitudo unciarum est octo, ambitus duabus unciis pedem superat, figurâ orbiculari.



Mirum quoddam os mihi exhibitum est, quod suâ figurâ quasi murem repræsentat, rostra duo habet mobilia, acuta, quorum minus majori incumbit æquè mobile, ventrem crassum, sphæricum, ovi ferme gallinacei magnitudine, caudam longam, angustam, crassitie pennæ anserinæ, sub ventre est sinus profundus, in extremitatem caudæ excurrens, paulatim ad finem gracilescens, colore & duritie est osseo, longitudine pari, superat uncias quatuor, quarum, duas cum dimidiâ ferme cauda tenet, pondere unciæ unius circiter; ex quo animali, & ex quâ corporis parte, ignorare me fateor: fuere quidem qui ex pisce remorâ illud esse dixerunt, (quem rite depinxit Ferrandes Imperatus l. 28. circa finem, male, Aldrovandus, de piscibus, & Jonstonius) sed mihi non videtur verisimile, siquidem figuram Remoræ, quam dat Imperatus, profitetur ejusdem esse magnitudinis, cujus est piscis ipse parte maximè crassâ, circa collum unciam unam crassitie vix superat, os vero nostrum duas, adeò ut tantillum corpus tantum os capere non possit, in primis si cute & carne tegi debeat. Nisi majores dari eo, quem delineavit Imperatus, asserere quis velit. In Gazophylacio Illustrissimi Archiducis Ferrandi Caroli, quod est in arce Amris, capsâ octavâ simile os asservari accepi, titulo ossis Remoræ, quod Triremibus quibusdam adhæsisse referunt.

CAP. XI.

De Piscibus Pelagiis.

PELAGII Pisces, qui ut plurimum in alto degunt Pelago, varie dividi possunt. Quidam eorum semper in alto visuntur Pelago, quidam flumina quandoque petunt. Qui semper in alto, sunt squammosi vel læves; atque hi vel ossei, vel cartilaginei, loco ossium cartilagines habentes.

Inter osseos ponimus nos XIPHIAM seu gladium, qui à rostri mucrone nomen sortitus est; Galeotta Straboni, Italis Pesce Spada, Germanis Swerdt-fisch.

Piscis

Piſcis eſt magnus, ad Delphini magnitudinem accedens, pelle capitis glabrâ & ſplendidâ, reliqui corporis ſuperioris aſperâ, nigricans, venter colore argenteo, oculi ampli emiſſititii, ovi gallinacei magnitudinem æquantes, ante hos foramina duo, branchiæ utrinque octonæ duplices. Caput in acutum deſinit, ac tandem in roſtrum latum juxta caput digitos quatuor, longum pedes duos cum dimidio, oſſeum, ſolidum, poroſum, cinereum, paulatim in acutum terminatum. Maxilla inferior non roſtrata, formâ triangulari, pedem longa, ſine dentibus, (quorum vice oſſa quatuor oblonga & aſpera in palato funguntur) cujus medium oculorum regioni reſpondet, extremum ſuperioris roſtri, pedum trium longitudine ſuperat. Mucro figurâ gladio exactè reſpondet, unde etiam piſci nomen. Pinnas habet ad branchias duas, in medio ventre unicam, ſupra dorſum majorem aliam, aliam minorem non procul à caudâ. Corpore eſt tereti, à capite ſtatim valde craſſo, deinde ad caudam uſque tenuiore ſenſim facto. Præpinguis eſt, adipemque in dorſo habet plurimum. Roſtrum adeo durum, ut eo naves perforari conſtet.

Carnis durioris & concoctu difficilioris eſſe plerique autumant, quocirca ab eâ abſtinendum ſuadent, juniores tenuiores & palato gratiores autumant.

Mihi hujus piſcis duo ſunt roſtra ſeu gladii, alter aptato manubrio ligneo verè gladium refert, ac licet amputatus ſit apex, duorum tamen pedum longitudinem ſuperat, latitudo, juxta capulum, quatuor ferme eſt digitorum, in medio aliquantulum protuberat, ex duabus quaſi laminis oſſeis ac duris conflatum, quarum medium poroſum ac ſpongioſum quid occupat, colore nigricante.

Roſtrum alterum, priori aliquanto tenuius, coloris eſt cinerei ad flavedinem tendentis, pedum duorum cum ſemiſſe longitudine, quà capiti jungitur, pollicum trium latitudine; figurâ alioquin & ſubſtantiâ priori reſpondens, utrinque acutum, inferiori parte eminentia quædam in medio exſtat, vaginæ cultrorum figurâ reſpondens.

THUNNUS etiam piſcis Pelagius oſſeus, non ſquammoſus, veteribus olim magno erat in precio, variaque apud eos invenit nomina, præſertim ratione ætatis. Ad triginta duos pedes magnitudine excreſcit, capitur quandoque in mari Mediterraneo, atque ex Oceano eo defertur. Piſcis eſt gregalis, de quo variæ opiniones.

Salſamenta olim ex Thunnis parabantur præſtantiſſima, inter quæ præferebantur ὠρᾶία, ex pulpâ caudæ proximâ confecta.

Mihi ex hoc piſce oſſa ſunt quædam, quæ ob articulationem quam habent miram, præſertim circa caudam, digna etiam ſunt viſu.

URANOSCOPI piſcis humor Cryſtallinus magnitudine piſum æmulatur, ſed adeo perſpicuus & clarus, ac ſi ex vitro factus eſſet. Ejus mihi aliquot ſunt exempla, propter perſpicuitatem & pulchritudinem commendanda. De piſce ipſo videatur Rondeletius, Geſnerus, Aldrovandus.

Inter Pelagios piſces Cartilagineos primum locum ſibi vendicat CANIS CARCHARIAS dictus, quod voraciſſimus ſit, & dentibus valeat plurimis ac robuſtiſſimis. Κάρχαρος acutum aſperumque notat. In ſpeculo Regali Norvagico Vagn-gualer / vel Gual-hundt vocatur. Vulgo ein Gaf-kal.

Piſcis eſt magnus Cetaceus, non tamen Cete, quia vivos non excludit fœtus, quandoque mille librarum, imò ad quatuor millia accedens, teſte Gillio: Nicenſes quendam cepiſſe refert, in cujus ventre integer homo repertus, & Maſſilienſes alterum, in quo homo loricatus latitabat, unde Rondeletius ſuſpicatur hunc fuiſſe piſcem, qui Jonam Prophetam devoravit. Os non in roſtro eſt, ſed parte ſupinâ, in quo dentes duriſſimi, acutiſſimi, trianguli figurâ, ordine triplici, utrinque ſerrati. Qui in priore ordine ſunt, extra prominent & in anteriorem partem vergunt. Secundi ordinis rari ſunt & cum reliquis in os recurvi, maximâ ex parte in utrâque maxillâ, carne molli fungoſâque tecti. Quælibet vero maxilla duos & ſeptuaginta comprehendit, quæ ſumma eſt in utrâque centum quadraginta quatuor dentium. Dorſum breve & latiuſculum, Laterum & tergoris pinnæ magnæ, binæ haud procul à caudâ, una ſuperior, altera inferior, ad branchias & podicem binæ aliæ, una in dorſo medio, cauda minus craſſa ſpiſſaque in lateribus compreſſa, duabus conſtans pinnis. Oculi magni rotundi, ventriculus vaſtiſſimus. Corio tegitur ſpinis hiſpido. Voraciſſimus piſcis, carnis humanæ avidus, Thunnorum hoſtis infenſiſſimus.

Carne

Carne eſt candidâ, quæ à quibuſdam in cibos expetitur, ſed præduram & excrementitiam eſſe neceſſe eſt, idcirco nutrimenti minus probi; oleum ex iis coquunt Iſlandi lucernis aptum. Dentes argento includuntur & collo puerorum ſuſpenduntur, quia dentitionem juvare credunt, & pavores arcere. Ex iiſdem dentifricia parat Rondeletius, ad dentes firmandos & dealbandos.

Mihi exſuviæ ſunt fœtus hujus piſcis, longitudine pedum duodecim, humor Cryſtallilinus, Dens major, cerebellum.

Præterquam quod exſuviæ, quas teneo, os dentibus repletum habeant, etiam ſingularis mihi eſt dens magnus, trigonus, ſerratus, qui exacte refert lapides, quos in Inſulâ Melitâ inveniunt & Gloſſopetras vocant, de quibus inter lapides egimus. Varias de iis eſſe opiniones tum innuimus, ſiquidem ſint qui linguas ſerpentum petrefactas eſſe putent; item qui dentem Carcharias in lapidem converſum, item qui ſui generis lapidem exiſtiment, de quibus tum noſtram protulimus ſententiam.

Cerebellum Canis Carcharii mire à quibuſdam ad calculos pellendos commendatur, & à quibuſdam male lapis vocatur, cum inſtar pollinis ſit friabilis. De eo ita ad me ſcripſit Clariſſ. Vir D. Johan. de Laet, qui ejus mihi tranſmiſit particulam. Habui aliquando magnam ejus copiam, cum conjunx viveret, quæ iſti morbo erat obnoxia, illâ defunctâ neglexi. Veruntamen in ipſâ nunquam auſus fui experiri, quia ureteres habebat anguſtiores, & hoc medicamentum valide admodum dejicit, & cum ſummâ cautione eſt uſurpandum. Habuerunt tamen à me multi, qui ſingulare levamen ſunt experti.



Canis galeus quibuſdam, Glavius Æliani, Gaelax Danis, corpore eſt oblongo tereti, à podice ad extremam caudam ſenſim gracileſcens, corio tectus lævi, roſtro acuto & rotundo, oculis magnis rotundis, ex quorum inferiore parte enaſcitur membrana candida, quæ ad oculos ſurſum attollitur, eiſque tanquam nubes caliginem offundit. Os ſupinâ parte duobus dentium ordinibus denticulatum, primis tribus ad latera ſpectantibus, ante ipſum duo foramina olfactui dicata, branchias utrinque quinque, juxta eas, pinnas duas, utrinque unam, aliæque duæ rurſum ſupinâ parte, in utroque podicis latere una enaſcitur, præter quas duæ appendices, utrinque una ex podice pendens. In dorſo binæ ſingulares eriguntur pinnæ, prior & major in medio, poſterior & minor caudæ proxima, è cujus regione etiam altera ſingularis, imo ventri hæret. Dorſum cœrulei coloris exſaturati, unde illi cognomen, venter candidi. Cauda in geminam & inæqualem pinnam degenerat, ſuperior namque pars major, inferior minor. Quandoque ad centenas libras excreſcit. Ova gignit Vitellis ovorum gallinarum ſimilia, ex quibus fœtus nutriuntur, donec perfecti foras excludantur. Non ſolum majores piſces natantes, ſed & homines adoritur.

Inſuavem duramque carnem habet, unde ægrè concoquitur, ſordidæ plebi relinquitur, quæ ſale condire ſolet & in cibos transferre.

Galeus asterias, Muſtelus lævis, Danis Gaelege / quaſi Canem Medicum diceres, roſtro, branchiis, pinnis, totiuſque corporis habitu parum differt à præcedenti. Minor tamen eſt, os habens ſub roſtro edentulum, dentiumque loco maxillas aſperas, foramina item duo odoratui deputata, oculos parvos oblongos, juxta quos duo foramina tergum verſus, auditus organa, branchias quinque, pinnas duas latas ſub ventre ad caput ſitas, alias duas juxta podicem, in dorſo duas, cauda ex duabus quoque conſtat.

Meus

Meus longitudine cubitos fermè duos attingit, dorso & pinnis puniceis, variis maculis stellatis per totum corpus insignitus, unde & nomen Asteriæ obtinuit, cute asperâ & durâ; præsertim si à caudâ sursum versus manus duxeris, sin à capite ad caudam minimè. Inter cibos vix locum obtinebit, quamvis Norvegi eum magni faciant, ac carnes ejus salubres judicent, morsibus à canibus marinis inflictis mederi arbitrantes, stomacho debili conducere putant, si excoriatus & in craticulâ tostus exhibeatur. Corio ligna poliunt & ebur, eoque quandoque ensium manubria muniunt.

CENTRINE; Græcis κεντρίνης, seu Piscis Aculeatus, Italis Pesce Porco, quod in cœno volutetur, Gallis Bernader. Nostrates Scavenii, à quibus ad me devenit, Gaffmus / quod caudam oblongam attenuatam instar muris habeat. Clusius Acanthiæ speciem constituit.

Respectu Galearum brevis est & crassus, caudam ejus tenuem si exceperis; Rostrum habet non admodum extensum aut acutum, sed aduncum, caput exiguum, os mediocre, edentulum; Branchias utrinque à lateribus quinque. Mas in vertice os quoddam semicirculare gestat Lunæ figurâ, quo destituitur fœmina, quod forsan illud est de quo disputat Aldrovandus, & ab Athenæo ποτὴν λόφιαν vocari putat. Pinnæ ad Branchias, utrinque una longa & lata, totidem minores ad podicem; juxta quas in Mare corpora duo oblonga cartilaginea bifurcata conspiciuntur, quà divaricantur hispida & parvulis prædita aculeis, exterius lævia, quæ membra genitalia esse puto, iis enim in fœminâ eodem in loco duo respondent foramina, ut uterque duplici præditus videatur genitali. In dorso duæ sunt pinnæ, quarum prior mox à capite statim enascitur, ac cristæ instar surrigitur, aculeo armata corneo, longo, & ad caput se inclinante, altera mox in dorso emergit, minor, sed longissima, ad caudæ nempe extremitatem excurrens. Juxta finem longioris partis caudæ, alia tenuis oritur, quæ in extremitatem, quæ tenuissima est, excurrit. Cute est lævi, colore cinereo. Mas ut plurimum minor fœminâ. Meus, si à capite ad caudæ extremitatem metiaris, pedes habet duos cum semisse, sed apex caudæ, seu extremitas attenuata pedem superat.

Ingratam & concoctu difficilem habet carnem. Hepar ejus, ad duritiem Hepatis emolliendam, cum appropriatis commendant. Cinis ad Psoras capitis & ulcera commendatur. Fel suffusiones delere volunt palpebris illitum.



STURIO nomen Gothicum esse asserit Jul. Cæs. Scaliger, & ab eâ gente in reliquam Europam translatum. Quod facile mihi persuasero: Stur vel Stoer magnum notat in nostrâ linguâ, quocirca probabile est ob magnitudinem suam hoc generali nomine appellatum quoque fuisse hunc piscem. Accipenser veterum esse videtur & Galeus Rhodius Athenæi, Ausonio Silurus, Nobis Stöer.



Oblongo teretique est corpore ac fermè triangulari, exili, subtus quodammodo planus, dorso verò semirotundo; caput quadratum & ad effigiem parvæ pyramidis protensum. Os illi sine maxillis, sine dentibus; diversum penitus à reliquorum piscium formâ, idque sub mento in ipsâ prope jugulum parte, ad similitudinem fistulæ arundinaceæ rotundum, semperque patens, cartilagineum, summè candidum. Totum caput durâ potius & callosâ cartilagine, quam certis ossibus constat. Naribus prætenuibus supra rostrum refrigeratur.

Branchias habet quaternas, osseo operimento, oculos parvos; ex rostro gemina barba. Toto dorso crassiores quædam squammæ osseæ, certo numero ordineque distinctæ, intercurrente spinæ acie ad elegantiam eminent. Cæteræ corporis partes cuticulari & scabro admodum operimento seu cute teguntur, ad subviridis atrique coloris speciem. Venter cute lævi & argenteâ tegitur. Linguam habet crassam & duram, gulam undequaque rugosam. Pinnæ sunt ad Branchias duæ; totidem in ventre ad podicem, præter quas in dorso prope caudam alia unica erigitur, ventri alia subnectitur. Cauda in duas pinnas degenerat, quarum superior crassior atque duplo longior exstat.

In Albi crebrò capiuntur Sturiones, adeo ut inventus sit qui ducentas sexaginta æquaret libras, circa Vernum tempus ex mari in Albim ascendit & parit. Et salsâ & dulci gaudet aquâ, nisi utrisque libere fruatur, ægrè incrementum capit, ut in junioribus ex mari in vivaria & lacus translatis constat. Muco, sordibus, minutissimisque quisquiliis vivit, quas sugendo ingerit, cum edentulus sit. Dum escam quærit, suis more terram sub aquis fodit. Robustus alioquin piscis, qui caudâ magnas moles impellere novit. Cautè à piscatoribus tractatur, ne noceat. In aquâ captum reti ad littus impellunt, ita ut rete non adversum sed ad latus ei sit, secus rete laniat; cum ripam attingit, caput ejus in altum levant, & piscem totum in latus inclinant, sic robore suo uti nequit.

Nobilissimus semper à veteribus habitus piscis, carnem habet duriusculam, præpinguem & glutinosam, non solum recens in cibum admittitur, sed & sale conditus, omnium Cartilagineorum piscium delicatissimus. Ova sale condita & in massam coacta CAVEARE vocant Itali, Saponem nostrum viridem planè colore & substantiâ referentia. A quibusdam in delitiis habentur, sed in iis nihil ego quod sapiat deprehendi. Carnem salsam, vocem juvare scribit Plinius & infixa corpori tela extrahere. Muria in fotibus Dysentericos juvat, & dolores Arthriticorum sopit. Adeps perniones emendat. Ex ejus folliculo secundùm longitudinem extenso Collam præparant quidam.



Piscis quem Clusius lib. 6. Exot. cap. 27. TRIANGULAREM vocat, quemque Lusitanos in Indiâ habitantes Capinos nominare ait, ex Indiâ Orientali ad me delatus, benè respondet Clusianæ descriptioni, magnitudinem & figuram si exceperis. Non enim triangularis, sed quadrangularis est. Ab ore ad caudæ pinnam pedem unum longus. Quod figurâ discrepent, ex eo provenire arbitror, quod, qui pisces hosce exenteratos exsiccant, pro lubitu quandoque diversam eis imprimunt figuram.

Dorsum mei piscis, quod fornicatum, latitudine est trium unciarum cum semisse. Venter, qui candicat, trium quoque est unciarum, à ventre in dorsi eminentiam totidem. Cauda unciam cum semisse longa; pinna, illam finiens, trium. Os parvum, multis exilibus & oblongis dentibus stipatum, non vero serratis ut vult Clusius. Caput ad supercilia prominulum, dorsum testudinatum, unicâ versus caudam præditum pinnâ unciali. Sub oculis circa ventris partem anteriorem utrinque unam habet uncialis longitudinis sursum spectantem, cui adjuncta rimula pro branchiis: quartam pinnam in extremo ventre inter podicem & caudæ initium. Ante oculos singulos parvum foramen. Totus piscis non squammis sed corio tegitur duro tessellato, scutato, certo puncto-

punctorum numero affabre exornato. Dorſi & ventris latera paulo ſupra podicem in ſpinas oſſeas, obtuſas, firmas tamen, deſinunt. Gibbus, quo præditus fuit ille qui à Cluſio deſcribitur, arte fictus videtur; dum enim per eum locum funiculum trajecerunt, atque, ut exſiccaretur, ſuſpenderunt, depreſſo à pondere reliquo corpore, hanc figuram acquiſivit. Meus enim gibbo caret & pari modo levis, quia inanis.

Idem hic piſcis deſcribitur à Margravio, in Hiſtor. Braſil. lib. 4. cap. 1. qui Grama Jupum Ape, in Braſiliâ vocari ait, triangularis quoque ipſi vocatur, licet meus ſit quadrangularis, recte quoque animadvertit figuras, quibus exornatur, eſſe trigonas, tetragonas, pentagonas, & ſexagonas, ut cutis ſit inſtar teſſellati pavimenti. Carne ferme carere aſſerit idem Margravius, ac cavum eſſe, ſolam ſpinam ſecundùm longitudinem habens, cui per membranas inteſtina adhærent, in Ventriculo multum arenæ inventum.

Alius minor mihi obtigit pari modo corio duro teſſellis ejuſdem generis exornatus, qui à fronte in caudam uncias ſeptem habet, quadrangularis, cornutus: duo enim cornua uncialia, albicantia, acuta in fronte gerit, ac totidem juxta caudam, poſteriora ſpectantia. Unde PISCEM QUADRANGULAREM CORNUTUM voco. Pinnas totidem habet quot prior: ſed illa, quæ caudæ adhæret, longiſſima, unciarum nempe quinque. Cæteroquin prorſus convenit cum priori, magnitudinem ſi exceperis. Accuratè deſcribitur à Cluſio citato loco, Tertius enim eſt, quem ibi delineat, ſed magnitudine meus longe illum ſuperat.

LUPUS MARINUS, Geſnero Anarinchos, vel Scopelos, ſed falſo, Balthicis Klipfiſch/ quibuſdam in locis Wolf dicitur.

Caput magnum & orbiculare habet, coloris in dorſo & pinnis nigri ſplendentis ad cinereum vergentis, circa ventrem albeſcit. Pellis tota lævis & glabra eſt, os latum ac grande, in mandibulâ inferiore dentes acutos & rotundos, gemino ordine diſpoſitos, habet, in acie decem, ſed molares utrinque duodecim, duplicatâ itidem ſerie ſuperior mandibula quatuor anteriores longos & exſertos oſtentat, & duodecim aliis acutis munita eſt, in medio palato, molarium ordines tres, duplicati tamen, ex quibus medius reliquos numero dentium non ſuperat, ſed paulo profundius ad fauces deſcendit. In ipſis faucibus oſſa duo aſpera ſunt, quibus linguæ circa radicem aſperitas occurrit, brevibus & acutis dentibus conſtans. Pinnam poſt branchias utrinque habet, alarum parvarum in modum, duabus palmis non minorem: in dorſo pinna una à cervicis origine ad caudam uſque quinque digitorum latitudine extenditur; quarta à podice incipit in caudam, quæ quadrata quodammodo, terminatur.

Mire vorax mordaxque animal eſt & dentibus ſuis terribile, Anchoram enim ſi prehendat mordicus, ſonum edit & ſtrepitum, ac veſtigia conſpicua relinquit. Carnes alioquin habet eſui non ingratas.

RANA PISCATRIX, ſic dicta quod figurâ parvulam Ranam, recens natam, cum caudâ (Gyrinum vocant) repræſentet. Capite enim & caudâ tantum conſtare videtur. Piſcatricem verò vocant, ob peculiarem aſtum, quo alios piſces venari ſolet. Græcis βάτραχος ἁλιεύς. Romæ Martino Piſcatore vocatur, quibuſdam Diabolus marinus. Holſatis Sehe-gans/ Anſer marinus, Danis Haf-taſche/ quaſi peram dicas marinam.

Caput habet toto corpore grandius, aculeatum, aſperum, orbiculatum & depreſſum. Os anteriore parte vaſtum, pro corporis proportione grandiſſimum & maxime hians, dentibus multis, magnis, acutiſſimis, in os recurvis, non ſolum in utrâque maxillâ, verùm etiam in duobus palati oſſibus & in linguæ radice. Maxillæ retuſæ & ſemicirculares, inferior longior & prominens, quo fit ut ſemper os hiet. Lingua magna, oculi ampli in capitis vertice aculeis ſepti, ante quos propendent duæ appendices tenues, cornicula Plinio, Ariſtoteli fila, Bellonio cornua.

Branchias habet non detectas. A capite illico cauda ſequitur brevis & carnoſa, quæ deſinit in pinnam rotundam, craſſiuſculam & latam. In medio corporis duas præterea habet pinnas ubi caput caudæ jungitur, membranaceas, craſſiuſculas; eſt & alia in ſuperiore caudæ parte, longa potius quam lata, duæ præterea ſub ventre parvæ & una caudam verſus. Cute eſt lubricâ & molli, infernâ parte ſubalbidâ, ſupernâ ex nigro flaveſcente. Magnitudo quandoque eſt tricubitalis. Cartilagineus licet ſit piſcis, tamen contra morem Cartilagineorum, ova, non animal parit, ſolitarius eſt, non gregalis; carnivorus, piger, aſtu reliquos piſces decipiens. In lutum enim abjectus, cornua ante ora

prætendit, eademque, cum pisces capere vult, sensim ad os adducit, atque ita eos capit. Rondeletius extra aquam aliquamdiu vivere ait, seque aliquando vidisse in littore inter herbas dies duos vixisse, vulpeculæque terrenæ noctu pastum quæritantis pedem dentibus arripuisse & ad auroram usque detinuisse.

Vix edendo est ejus caro, utpote mollis, insuavis, ferinæ saporis, mucosa, excrementitia, insulsa, virus resipiens. Fel ejus in aquâ marinâ solutum pilos exstirpat, succum ex vino decoctarum carnium, contra venena commendat Rondeletius. De eâ ita disserit Athanasius Kircherus de Magnete lib. 3. part. 6. pag. 672. Mirum & fortasse huc usque, inquit, ignotum in hujusmodi pisce, me observasse memini. Est enim caro ejus ad lucem quasi pellucida & instar carbunculi fulgens. Unde, si, extractis per os intestinis partibus, piscis quantum fieri potest extendatur, mirum dictu, extensus ita ad lucem totus pellucidus & transluſtris apparebit, si verò in tenebris ventri candelam aut lampadem imposueris, totus piscis speciem carbunculi, aut carbonis accensi, non sine intuentium horrore præbebit, ut proinde non immerito ab Italis Diabolo marino, ab horrifico forsan & flammigero aspectu, dicatur.

Sceleton MANUS & COSTAM SYRENES transmisit Clariss. Vir D. Johan. de Laet, quæ occasionem de iis inter Pelagios pisces agendi nobis suppeditavit.

Manus quatuor constat partibus, cubito, carpo, metacarpo, digitis. Cubitus parvus admodum est, trium saltem unciarum longitudine, constans ulnâ & radio, utrumque os crassis satis fibris cutis & ligamentis firmatum, carpi ossa adjuncta tenet. Quæ numerari exacte nequeunt, siquidem ligamentis & tendinibus adhuc obducta sunt. Metacarpi quinque discreta, sed vicinis ligamentis juncta, quoad figuram simillima ossibus humani Metacarpi, nectuntur verò reliquis per ligamenta. Quatuor ex iis longitudinem obtinent unciæ unius cum dimidiâ; sed illud, quod in pollice est, minus. Digitorum sequuntur, inter quæ unum pollici tributum, Indici duo, medio & annulari tria, auriculari duo, quæ minora, compressiora ac planiora sunt quam in homine, & figuram tenent longe aliam, ovalem tendentem. Sesamoideorum ad primum articulum in quatuor digitis adsunt quoque corpora satis magna. Atque hisce manus hæc constat, suis ligamentis & tendinibus obducta, quæ in universum cum suâ ulnâ longitudinem obtinet unciarum fermè decem.

Costa multo spissior & latior est humanâ, ad arcus similitudinem incurvata, longitudine pedis unius cum unciis tribus, in medio latitudinem habens unciarum duarum.

Hanc Syrenen ante aliquot annos in Theatro Anatomico Leidensi dissectam fuisse à Clariss. D. D. Petro Pavio intellexi & ex Brasiliâ advectam. Procul dubio ex illarum fuit classe, quas in Brasiliano mari inveniri refert Barlæus, de rebus gestis Mauritii in Brasiliâ pag. 134. his verbis. Maximè admirationi sunt Tritones, UPUPIAPRÆ indigenis dictæ, cum humanos vultus aliquà referant, & fœmellæ cæsariem ostentent fluidam & faciem elegantiorem. Septem octove à sinu Omnium Sanctorum leucis visuntur, & juxta portus Securi provinciam. Homines amplexu compressos necare opinio est. Non consilio, sed proniore affectu. Cadavera in littus ejecta, cum oculis, naribus, digitorum extremis, mutilata sint, vero persimile est, ab istiusmodi monstrorum suctu, vel morsibus ista esse. Hæc ille.

Sed quia de ejusmodi Syrenibus dubitari solet, an dentur in rerum Naturâ, referam quæ fide digna de iis accepi. Athanasius Kircherus lib. 3. de Magnete part. 6. cap. 1. §. 6. pag. mihi 675. de Syrenibus hæc habet. Capitur certis temporibus anni in mari Orientali Indiæ, ad Insulas Vissayas, quas Insulas Pictorum vocant, sub Hispanorum Dominio, Piscis quidam ἀνθρωπόμορφος, id est, humanâ prorsus figurâ, quem ideo Pesce Muger vocant, ab Indigenis Duyon: caput habet rotundum, nullâ colli intercapedine trunco compactum, extremæ aurium fibræ, quæ & auriculæ nominantur, ex Cartilagineâ carne eleganter vestitæ, quarum interior pars, amplissimis formata anfractibus, veram hominis refert aurem, oculos suis ornatos palpebris, situque & colore non piscis, sed hominis judicares. Naso nonnihil aberrat, malam inter utramque non usquequaque eminet, sed levi tramite bipartitur, sub eo verò labra magnitudine specieque nostris simillima; dentium, non quales insunt piscium generi serratilium, sed planorum & candidissimorum, continua series. Pectus albâ cute contectum, hinc atque hinc paulo latius quam pro corpore, in mammas extuberans, neque eas, ut fœminis, pendulas, sed quales virginibus

nibus globosas, plenas lactis candidissimi. Brachia non longa, sed lata, ad natandum apta, nullis tamen ipsa cubitis, ulnis, manibus, articulisve distincta. (forsan in viro, corpore cute tecto, non apparent, secus enim docent ossa quæ ostendo) In administris sobolis propagandæ membris, in utroque sexu, nulla ab humanis distinctio; post hæc in piscem cauda desinit.

Ossa hujus piscis habent mirabilem vim atque potentiam sistendi & attrahendi sanguinem. Didacus Bobadilla vidit ossa hujusmodi scissâ venâ, fluenteque sanguine cum vulneri applicarentur, sanguinis cursum ita stringere, quasi vena ligaretur, etsi non omnia ossa tam sint efficacia, fœminarum marium ossibus multo esse efficaciora, unde in hæmorrhagiâ pulvis insperfus alia omnia restrictiva superat.

Mira ab Erasmo Læto in Historiâ nati & renati Christiani IV. narrantur, de Nymphâ seu Syrene conspectâ prope Samum Danicam, quæ varia mandata ad Regem Fridericum II. deferenda dedit Rustico, & de fœtu, quem in utero gestabat Regina, prædicebat futurum masculum Imperio Danico præficiendum, quod eventus comprobabat. Fuit enim Christianus IV. P. M. Rex Daniæ, &c. Formam hujus Nymphæ quod concernit, retulit Rusticus, eam habitu membrisque virginem plane retulisse, sed obsitum pilis corpus, iisque candidis & densissimis, quales esse Phocarum solent. Præter ubera quæ leniter habebat intumentia, papillas etiam nudas & nonnihil prominentes habuit. Oculos humanis majores, faciem honestam lenemque, os, nasum, mentumque & aures nihil dissimiles à nostris, brachia pilis vestita, ut cæteros artus corporis, sed manus glabras, latas plurimum, reliqua celabat, eâque in re curiosa erat. Toga ex corio Delphinorum, sed plicata, striisque concinnata, totum corpus ad pedes ambiebat. Nomen sibi IBRANT dicebat, retulitque se, matrem & Aviam, Abaviamque sub istis Samsonici maris fluctibus jam aliquot seculis habitasse, Aviamque fuisse quæ Voldemaro Regi denunciasset, de sobole futurâ anxio, natum iri filium, quæ patrem Imperii amplitudine esset superatura; Quæ cum hæc retulisset Regi, paucis post annis desiisse vivere, inque domicilii possessionem successisse matrem, quæ cum aliquot multos supra centum vixisset annos & fatis illam cessisse. Ipsam verò jam penè octuaginta annos natam loci fluctuumque usum obtinuisse.

Relatione Nobilissimi D. Christophori Ulfeldii, Regni Daniæ Senatoris prudentissimi, habeo, quod cum anno 1620. Gotlandiam versus navigaret, obortâ maris tranquillitate & vento existente contrario, vir quidam marinus, paulo minor homine justæ staturæ, se ante navem conspiciendum præbuit aliquoties, barbâ exiguâ, capillis nigris & tonsis, intentis oculis navem contemplatus.

Quod mali ominis esse cum interpretarentur Nautæ, quidam, ex famulis Ulfeldii, Camisiam lineam ad ipsum projecit, unde apparere desiit.

Omnes, qui in navi erant, accurate ipsum contemplabantur, excepto ipso Ulfeldio, qui se tunc temporis somno composuerat. Hæc mihi in prandio præsentibus aliis narrabat vir ille nobilissimus, Anno MDCXLVII. die 29. Octobris.

Varia igitur genera Syrenarum inveniri probabile est, licet haud sciam an illæ, quæ locutæ sunt, ad Naturales referri debeant, cum, humanâ & articulatâ voce loqui, sit supra naturam Piscis. Vide quæ de Tritonibus narrat Damianus Goes in descriptione urbis Ulyssiponensis p. B.

CAP. XII.

De Piscibus aquæ dulcis.

QUIA animus non est omnes, qui apud nos in aquis dulcibus capiuntur, Pisces enumerare: varios, qui aliis forsan rari habentur, prætermittimus, eosque saltem, qui eximii quid habent, delineabimus.

SILURUS, Græcis σίλουρος, Germanis Wels / unde nonnullis Velsus dicitur, quibusdam Scheid-waller / quod, ut Cetus in mari, ita hic in aquis dulcibus excellat magnitudine, reliquisque piscibus sit formidolosus & noxius. Danis Malle.

Figura corporis cum Mustela adeò convenit, ut, si quis eum Mustelam maximam dixerit, non errabit. In tantam excrescit magnitudinem, ut plaustro vix vehi possit. Corpus fuscum est, nigrum, maculis conspersum, squammæ nullæ, sed corium satis crassum & lubricum, caput grande, depressum, os obtusum, oculi parvi, rictus amplus,

ad capitis latitudinem patulus, labia ſuperiora gemino, inferiora unico denticulorum ordine, confuſaneorum, introrſum inclinantium aſpera, quibus prædam retinet; fauces binis utrinque oſſiculis limæ inſtar aſperæ ſunt. A labro inferiore dependent barbulæ quatuor, tenues, oblongæ, pallidæ, à ſuperiore duæ ejuſdem coloris, duræ, longiſſimæ, prætenturarum inſtar, quas ante ſe modò exſerit, modò ad latus componit. Spina illi pro oſſibus, non Cartilagines. Pinna in dorſo poſt cervicem unica, quinque fibris elata, poſt branchias duæ, quarum prima, fauces proxime ſpectans, aculeo conſtat oſſeo, duro, quo infeſtos ſibi arcet piſces, ſupra podicem totidem, ſed paulo minores, ab illo pinna unica lata, coloris ſubnigri ex fuſco maculoſi, in caudam uſque tenuem & quadratam extenditur, venter magnus & deformis, ſubalbidus, obſcurus, fuſcis lituris conſperſus, ab illo quod caudam verſus reliquum eſt comprimitur & gracileſcit. Cor inter branchias utrinque quaternas ſitum eſt, à reliquo abdomine membranoſo Diaphragmate ſeparatum, quod gula ampla perforat, à quâ ventriculus dependet & inteſtina, quæ unicâ revolutione in anum deſinunt, ventriculo incumbit: Hepar, ex rubro pallens, duobus lobis diſtinctum, cui veſicula fellis diluti, aquei, pro modo corporis ſatis ampla adhæret. Dorſo adjacet veſica ſimplex; Peritoneum candidum eſt.

Apud nos in lacu Sorenſi capitur variâ magnitudine, adeò rapax eſt, ut in proverbium abierit, piſcem piſci prædam eſſe, at ſiluro omnes. In fluviis etiam reperitur, ut Danubio & Albi. In Albi quidem ubi conſpicitur, præſertim circa Hamburgum, mox Albis ex aquis pluviis aut nivalibus exæſtuantis metus eſt, ut refert Sconvelderus. Nam eas ex locis montoſis, ſtagnis ſeu lacubus collectis ceu amaras fugit, & partes fluvii ſpacioſiores, & receſſus ac ſinus gratiores ſequitur. Cirrhos, quos ſupra & infra os habet, ſingulis annis decidere & renaſci putant. In ejus ventre homines repertos docent Hiſtoriæ.

Caro illi pinguis & boni ſaporis eſt. Laudatur in cibo, tum recens, tum ſale condita; ſolet namque muriâ condiri & per annum ſervari. Per ſpinam dorſi venam candidam tranſire ajunt, tenuiſſimo involucro tectam, ut in Anguillis, quam ut venenatam & noxiam eximendam ſuadent.

Circa feſtum Johannis Silurum optimum eſſe volunt. Sed poſt occultare ſe inter ſaxa; nec prodire niſi ab hirundinibus infeſtetur.

ACULEATUS MINOR ſeu Pungitivus, ab aculeis quibus horret Germanis Stakelfiſch/ Noſtratibus Gund-ſtickel dicitur. Ejus duo genera ponit Geſnerus, ſed tertium etiam extat, ſtructurâ corporis & cutis in primis diverſum à reliquis, quod hic delineandum.

Piſcis parvulus eſt digiti longitudine, ſenos aculeos in dorſo habens rigidos, in lateribus ſingulis pinnas duas, mox à branchiis, unam ſub caudâ oblongam, ad ipſum caudæ extremum vergentem. Cute conſtat nec glabrâ, nec ſquammatâ, aſperâ tamen, ex laminis quaſi quibuſdam coagmentatâ, ut in Hippocampo, colore albo, alioquin cum reliquis pungitivis, ſeu Aculeatis convenit.

Fluvii & lacus horum piſciculorum copiâ abundant. Piſcatores hos piſciculos ſponte generari ajunt, & ex ipſis alios omnes, hac inducti obſervatione, quod in lacunis novis, primo ſtatim anno, inveniantur, & poſtea ſequentibus annis diverſi piſces, quanquam nulli fuerint immiſti. Sed probabile mihi videtur, quod verno tempore, ubi ab aquis pluviis & nivibus liquefactis ſtagna & fluvii exundant, piſciculos hoſce, ut & aliorum fœtus, per rivulos unà cum aquis in ejuſmodi alveos derivari, atque hoc pacto in novis lacunis propagari.

A pauperioribus coqui, & manducari conſtat, & alimentum ſuppeditant, nec improbum, nec inſuave.

CAP. XIII.

De Cetis.

AQUATILIA ſanguinea ab Ariſtotele in Piſces & Cetos dividuntur, cumque de illis jam dictum, hoſce ut contemplemur neceſſe eſt. Differunt verò Piſces à Cetis, non tam magnitudine, quam aliis notis, ſiquidem in genere Piſcium adeò magni quandoque reperiantur, ut quoſdam Cetos magnitudine ſuperent. Organa reſpirationi dicata habent Cete, quibus carent Piſces, pulmones nempe, arteriam aſperam, collum, aliaſque partes cum Quadrupedibus communes, ut renes, veſicam, teſtes, penem, mammas. Vulgo Balenas vocant. Noſtrates Gual-fiſche.

Cetorum quam plurima ſunt genera, &, ut ego exiſtimo, omnia nobis nondum ſatis ſunt explorata. Extat liber Manuſcriptus, priſcâ noſtrâ linguâ exaratus, quem SPECULUM REGALE vocant, cujus autorem fuiſſe Regem Suerronem multi putant, in eo ſupra viginti ſpecies Cetorum enumerantur, in mari Norvegico obſervatorum, quorum catalogum, juxta ejus ductum, perſtringere lubet, licet proprie dictos piſces quoſdam in hanc claſſem etiam referat.

I. Genus NYDING vocat, quod ad longitudinem viginti ulnarum excreſcit, quamvis quidam vix decem attingant, caret dentibus & barbâ (per barbam intelligimus tabellas corneas ad latera piloſas, in ore Balenarum quarundam exiſtentes, vulgo Guals-finder / Norvegis Taſken) nec hominibus infeſtum, captatores fugiens, licet ſæpè magno agmine, ad centum uſque, in littora propellantur.

II. Genus NISEN vocat, Delphinos puto, quod ad quinque ulnas pervenit.

III. LEIPTER, ſeptem ulnarum.

IV. WAGNHYALUR vel HUALHUND, duodecim ulnarum, dentibus præditum magnis & acutis, quibus alias inſequitur Balenas, non ſecus ac canis feram. Agminatim aggrediuntur bullam, eamque diſcerpunt fruſtulatim, donec exſpiret. Sæpe à piſcatoribus auditus Balenæ fremitus, à canibus hiſce laceratæ, interim & ipſa multos ex hiſce lædit & conficit canibus, antequam capiatur. Puto eſſe Canem Carcharium, de quo ſupra actum.

V. & VI. Genus vocant ANDHYAL & SUINHUAL, viginti ulnarum, cujus caro & pinguedo eſui apta non eſt, quia in nullius ventriculo concoqui poteſt, ſed inconcocta ejicitur, nec ullo vaſe, vitreo excepto, ſervari poteſt, quin propter tenuitatem exſudet, ſi diutius cuſtodiatur.

VII. RARNHUALLER vel RAFNHUALER.

VIII. HUITING, cujus tota cutis inſtar nivis candicat.

IX. SKIDLDHUAL. X. GEIRHUAL. XI. GARDHUAL, in nigrâ cute, candidas geſtant maculas, carnes eorum ſunt edendo.

XII. FISKREKAR: hoc genus piſces ex mari in ſinus adigit. De eo hæc narrantur: quod ſi piſcatores pie & pacate piſcationi incumbant, nec lites ac jurgia invicem moveant, piſces copioſe iis ſuppeditet; ſin rixas excitaverint & ſanguinem profuderint, omnes piſces à ſinubus in altum mare abigit, quaſi ad hoc conductum eſſet. Triginta aut quadraginta ulnarum ſtatuitur, carne non ingrati ſaporis, ſed quia hominibus ſua opera multum commodat, lege prohibitum eſt, ne capiatur aut lædatur, eo præſertim tempore, quo reliquos piſcantur piſces.

XIII. HURHUAL, ſupra LXX. præditum dentibus, ſed vix majoribus, quam ut ex ſingulis cultellorum fabricari poſſint manubria, & ludi Scacchici icunculæ. Vix quempiam lædit, crebro capitur, longitudine triginta ulnarum.

XIV. SLETTEBAK, pinnâ in dorſo carens, ejuſdem cum priori magnitudinis. Naves & cimbas petere ſolet, ut cum iis ludat, interim ſæpè evertit.

XV. HAFKETTE vel HAFKAT, inteſtina ſimilia habet quadrupedibus, longitudine triginta ulnarum.

XVI. & XVII. ROSHYAL & RAUDKIERBINGE, cetorum pernitioſiſſima, unde & TROLDHYALE, quaſi cetum Diabolicum diceres, vocatur. Voraciſſimum animal, naves & homines ſubvertens, ut iis potiatur. Carnes eſui ſunt ineptæ, quandoque XL. ulnarum attingit longitudinem.

XVIII. NA-

XVIII. NAHUAL. Hujus caro homini venenata. Viginti est ulnarum bestia, dentata, in superiori enim mandibulâ unus est octo quandoque ulnarum, longus, acutus, striatus, pulcher, rectà exsertus.

Sunt qui putant, nec ad injurias propulsandas, nec ad inferendas ei usui esse, sed diligenter cavere nè lædatur.

Hæc quidem Author citatus; sed ego hunc Cetum eum esse arbitror, cujus dentem pro cornu Monocerotis venditant.

Quod Author Speculi Regalis ait minoribus etiam dentibus præditum, experientiæ reclamat. Ipse enim cranium & maxillam superiorem sæpe manibus tractavi, & etiamnum possideo, sed nullum inveni dentem, præter magnum istum, de quo mox plura. Nec veritati litare credo, quod eo ad sui defensionem non utatur.

Docent enim navigationes versus Septentrionem institutæ, navem à tali bestiâ impetitam dente, adeo ut fracti frustum navi impactum domum retulerint nautæ.

XIX. SKELVING immanis est Balena, LXXX. ulnarum, impetuosa valde, naves crebro submergens corporis sui objectu. Carnes tamen ejus comedunt piscatores.

XX. NORDHUAL, omnium maxima bellua, XC. quandoque ulnarum, cujus amplitudo respondet longitudini, caput tertiam belluæ constituit partem, aquâ & nebulis vesci creditur; nam in exenterati ventriculo nihil tale repertum, quale in aliis. Os præterea in amplitudinem sufficientem aperire nequit, quia cirrhi barbæ rectà ascendentes obstaculo sunt, quo minus rite claudi semel apertum queat, hinc quandoque suffocatur. Dentibus caret, carne & lardo sapido constat; pinguedine præ reliquis insignis.

XXI. REIDER. Esui aptus est Cetus, nequaquam noxius, sed homines fugiens. Omnium maximus hujus generis, qui in Oceano captus est, ad ulnas CXXX. accessit, pinguis, sapidus, dentibus destitutus. Hujus semen seu sperma commendatur ad Lepram, Phtisin, aliosque desperatos morbos.

XXII. Restat una species, quam HAFGUFE vocant, cujus magnitudo latet, cum raro conspiciatur. Illi qui se ejus corpus vidisse narrant, similiorem Insulæ, quam Bestiæ volunt; nec unquam ejus inventum cadaver. Quocirca sunt qui existiment, non nisi duo ejus generis in Naturâ esse. Hactenus Speculum Regale; Nos de iis saltem agemus, quorum particulas tenemus.

CAP. XIV.

De Ceto dentato, Balenâ, Monocerote.

CETUM DENTATUM verbis Clarissimi Caroli Clusii delineabimus, qui Exot. lib. 6. cap. 17. eum describit qui Anno MDXCVIII. in littus Hollandicum, inter Scevelingam & Catvicum, magnâ tempestate appulit. Ejus longitudo quinquaginta duorum aut trium erat pedum, crassitudinis ambitus supra triginta. Superior rostri pars, ab extimo ad oculos usque, quindecim pedum reperta est, ipsum in eâ parte palatum, quadraginta duobus foraminibus sive alveolis præditum erat, in utroque latere viginti & uno, ad excipiendos totidem dentes inferiori mandibulæ inhærentes, qui magnitudinem pollicis alicujus viri grandis & robusti habebant. In capite versus dorsum erat etiam foramen, circiter tres pedes amplum, per quod aquam in altum ejaculabatur. Inferior mandibula, in quâ illi dentium bini ordines, septem pedum longitudinem non excedebat, & fragmento crassi & ingentis mali navis conferri poterat. Linguæ extima pars tam magna & crassa erat, ac dolium cerevisiarium.

Oculorum magnitudo pro tam vasto corpore non erat major, quam spacium quod pollex & digitus index extensi comprehendere poterant. Distabant oculi, quatuor pedibus à pinnis, pinnæ verò quatuor pedes & totidem pollices erant longæ, ac pedem ferè densæ.

Umbilicus à mandibulis, sexdecim pedum spacio distabat, ab umbilico ad penem, interstitium erat trium pedum. Penis verò jam mortuæ, sex pedum longitudinem habebat, à pene autem ad podicem, trium pedum cum semisse erat distantia, & à podice ad caudam tredecim cum semisse. Ipsa verò cauda valde crassa, tredecim pedes alta

alta ſeu lata erat. In capite belluæ reperiſſe dicebantur plus quam quartam partem dolii in quo aſſervantur ſaliti Haleces, plenam liquoris iſtius, quem vulgo SPERMA CETI, Hollandi **Walſcot** appellant. E totâ autem corporis mole in partes ſectâ & deinde uſtulatâ, circiter quadraginta dolia, prædicto ſimilia, plena pinguedine excepiſſe, præter magnam quantitatem ſponte fluentem, ab aliis collectam, & ad eam quæ in undas marinas effluxerat. Dorſi corium nigrum erat. Ex his tanquam certis, Ceti dentati conſtitutionem & magnitudinem metiri licet.

Dentes, quos teneo, craſſiores & majores aliquanto ſunt iis quos Cluſius deſcribit, obtuſi tamen & colore albiſſimi. Ex Iſlandiâ etiam magnam copiam minorum accepi, qui figurâ variant, ratione ſitus, ut credo, quem in ore obtinuerunt.

Anno MDCL. ad oras Syderoë, quæ una eſt ex Inſulis Feroënſibus, appulit Balena quædam mortua, ſemiputrida, in cujus cranio inventum eſt corpus quoddam oſſeum, corollæ inſtar, interiorem ejus ſubſtantiam cingens, cavum, circulis parvis per ambitum dotatum, album, pollicis craſſitie, lineis etiam quibuſdam per longitudinem excurrentibus. Hujus circuli duas particulas, unciali circiter longitudine, ad me tranſmiſit Reverendus Vir Dominus Joh. Eraſmi, iſtarum Inſularum Præpoſitus honoratiſſimus; quas, quia res à nemine, quod ſciam, antea animadverſa, hic delineari curavi, ut ex iis totius ſtructura melius aſſequi detur.

BALENA VULGI, ſic dicta quod fiſtulâ careat, quâ aquam projiciat, ut vera Balena μυϛίκη Ariſtot. Bellua hæc ut plurimum triginta ſex cubitos longa, octo alta, cujus oris ſciſſura ad duo de viginti pedes porrigitur, dentes in eo nulli, ſed horum loco in utrâque maxillâ corneæ ſunt laminæ, nigræ, ſenſim in pilos ſuillis ſimiles deſinentes, quæ in anteriore & poſteriore, ſive interiore oris parte breviores ſunt, in mediâ longiores, lingua laxa & lata, quæ ſale condita multis eſt in delitiis; tanta, ut viginti tres tonnas implere poſſit. Oculi quatuor ulnarum ſpacio à ſe invicem diſtant, foris parvi apparent, intus capitis humani magnitudinem ſuperant. Pinnas duas maximas in lateribus habet, quibus natat & catulos in metu occultat; in dorſo nullam: cauda ſitu ſimilis Delphinorum, quam cum movet, ita mare agitat, ut naviculas ſubmergat. Roſtro eſt brevi, fiſtulâ caret, corio duro, nigro, integitur, ſine pilis: pulmones habet, Renes, veſicam, teſtes, pudendum. In hujus ventriculo, mucus, ſpuma, aqua, alga fœtida inveniuntur, ſine ullis piſcium fruſtis. In quorundam ventriculo Ambra viſa eſt. Vivos parit catulos, foramina duo in vertice habet, per quæ aquam hauſtam ejicit & reſpirat.

Mihi ex verâ Balenâ eſt Homoplata, ſeptem pedes longa, duos lata, & plane figurâ reſpondens ei quam Aldrovandus lib. 1. de Cetis delineavit.

Ejus quoque mihi ſunt Genitalia, quorum unum flavum & perſpicuum ferè, reliqua nigra, pedum octo longitudine, in acutum deſinentia.

Sunt quoque alia, inter quæ Vertebræ, Spinæ, Medulla quoque, quæ ſevo quamplurimis fibris referto reſpondet. Fuere qui ex eâ ſperma, quod vocant Ceti, confici poſſe putarunt.

Corii quoque fruſtulum poſſideo, quod craſſum valde & nigrum, ſed nequaquam eam attingit craſſitiem, quæ in pelle Roſmari conſpicitur.

Lac quoque. Cum Anno 1649. in tractu Stavangrienſi Balena fœmina cum duobus pullis appuliſſet, eo forſan ab inſequente hoſte adacta, magno impetu in littori vicina & vadoſa loca ſe conjecit, unde ſe aquis deſtituta expedire cum nequiviſſet, ab incolis oc-

cisa est. Cum verò ubera lacte distenta animadvertisset Nobilissima quædam matrona spectatum veniens, ultra tres mensuras candidissimi lactis suis manibus emulsit, ac vitrum eo repletum ad Serenissimam Majestatem Regiam transmisit, cujus dono illud ego jam possideo.

UNICORNU MARINUM etiam è genere Cetorum est, & quia pauci admodum sunt, qui hoc monuerunt, de eo quædam uberius hic dicenda. Supra ex speculo Regali monuimus Cetum hunc Septentrionalibus dici NARHUAL, à Cadaveribus quibus vescitur. Nar enim priscis Cadaver dicitur. Qui versus polum Arcticum & fretum Davis navigationes instituerunt, ad elevationem Poli 59. 50. min. & 74. grad. trium min. in freto Davis hæc animalia haud rara esse retulerunt Nautæ, qui eum sæpe ibidem viderunt, & circa Gronlandiam capitur.

Defertur quoque cum glaciei fragmentis ad Islandos. Gerardus Mercator, in Atlante minore, quadraginta ulnas longitudine attingere ait: D. Thorlacus Sculonius Episcopus Holensis, in Islandiam quendam appulisse mihi scripsit, triginta ulnas superantem, figurâ reliquis Cetis similem, pinnas duas ad latera habentem, tubera tria in dorso, unum in ventre, branchias nullas, dentem unicum in sinistrâ superioris mandibulæ parte, ad septem cubitos prominentem, teretem, striatum, acutum, nullos præterea minores.

In vertice foramina duo, per quæ aquam pro lubitu evomit. Hujus carnem si quis comedisset, sive homo, sive brutum, in mortis periculo non secus constituebatur, ac si venenum hausisset. Quod tamen aliter se habere docuit Bellua illa, quæ Anno 1648. in Islandiam appulit, ex cujus carne multi sine detrimento sanitatis comederunt, ut postmodum accepi.



Dens ejus hactenus pro vero Unicornu à magnatibus & aliis habitus est; quocirca, quid de eo observaverim, hisce, in veritatis patrocinium, libens inseram. Anno MDCXXXVI. cum fortè fortunâ apud Magnificum & Illustrem Virum D. Christianum Frisium de Kragerup, Cancellarium Regium, mentio incidisset Unicornuum, quæ secum ex mari Gronlandico, circa fretum Davis, attulissent Mercatores nostri, non potui non iis exprobrare insignem & supinam negligentiam, quod, cum nossent tantopere inter doctos etiam disputari, qualenam animal illud esset, quod cornu illud ferat, quod vulgo ab omnibus, etiam magnatibus, pro vero Unicornu habeatur & ematur, ne quidem particulam aliquam reliqui corporis adferant, ex quâ certo sciri posset maritimumne an terrestre, an verò amphibium esset, quod tantum gestaret thesaurum. Subrisit Heros, & ex me quæsivit, an tanto tenerer desiderio videndi aliquam hujus animalis partem. Respondi nihil gratius mihi accidere posse. Accede igitur, inquit, & voti fies compos, deduxit verò me in Museum ac cranium ostendit, cui adhuc cornu putatum inhæsit, cumque tam subito cuncta accuratè satis lustrare non potuerim, petii usibus meis tantisper indulgeret, donec majori diligentiâ singula rimari & delineare possem. Annuit Heros ille nobilissimus.

Cranium ipsum inveni mandibulâ inferiori destitutum, colore cinereo nigricante, qualis esse solet ossium aëri diu expositorum & ad putredinem tendentium, inæquale, variis foraminibus & protuberantiis præditum, quibusdam in locis æquale & læve, quibusdam scabrum, substantiâ ossis partim porosiore, partim à cutis adhærentibus particulis & fibris tali redditâ.

Figurâ

Figurâ triangulari ferme in longitudinem protensâ, à vertice ad extremitatem proboſcidis, ſeu tenuioris ejus partis, cui dens inſeritur, duos exactè habebat pedes Romanos. Ab extremitate unius latioris proceſſus, qui cilia firmabat & oculum dextrum muniebat, ad extremitatem proceſſus, qui ſiniſtrum tegebat, Cranii latitudo erat pedis unius cum ſemiſſe, eâ enim parte erat latiſſimum: gracileſcere deinde & imminui cœpit in extremum uſque oris. Occipitium verſus etiam paululum extenuabatur parte ſuperiore, ſed inferior eandem tenebat latitudinem, quam occupat linea ab unâ oculorum orbitâ ad alteram ducta. Occipitium totum per Diametrum pedem unum paulo ſuperabat. Sed roſtrum ſeu extremitas oris parte ſiniſtrâ, cui dens inſerebatur, erat pollicum trium cum dimidio. Dextro latere, ubi nullus erat alveus, qui dentem capere poſſet, craſſa erat unciam cum dimidiâ, ſubſtantiâ fungoſâ.



Tribus circiter pollicibus ab occipitii apice, duo ampla extabant foramina, tanta ut Cranii ſuperiore ſuperficie duos digitos junctos caperent. Hæc cranium obliquè perforantia in palato deſinebant, ubi ampliora aliquantulum, ſepto oſſeo & valido ſatis diſtincta. Per hæc reſpirabat & aquam ſuperfluam ejaculabatur. Canales enim duo magni à faucibus orti in hæc terminantur, ut à ventriculo expulſa, ductu recto & commodiore huc ferri poſſent. In ſupremâ Cranii ſuperficie corniculata quaſi duo tubercula, foramina dicta cingebant, in acutum proceſſum terminata, quæ per ejus medium excurrentia, lineâ ſeu canali à reliquis oſſibus ſegregabantur, ipſum verò horum foraminum ſeptum, in frontis ſummitate monticulum quaſi criſtatum conſtituebat. Utrinque minora alia viſebantur foramina, quorum maximum, minimum digitum vix admittebat, nervis è cerebro in cutem & ſuperficiem capitis excurrentibus & muſculorum tendinibus recipiendis apta.

Poſt oculorum orbitas duo ſimul ampli viſuntur ſinus ſeu meatus, ex oſſe Zygomatis & Syncipitis conſtituti, utrinque unus; oblongi, ad palati interiora tendentes, longitudine pollicum ſex cum dimidio: latitudine, quâ ſe maximè extendunt, duorum cum ſemiſſe, verſus occipitium in angulum acutum deſinentes. An in his organa auditus, aut oculorum muſculi latitaverint, ignoro. A monticulis, qui foramina ejaculatoria ſtipant, oſſa duo oblonga, plana & lævia, per longitudinem Cranii excurrunt, quæ utrinque aliis oſſibus ſpongioſis & aſperis fibriſque membraneis horridis muniuntur. Hæc in latere dextro aliis uniuntur, & nullam conſtituunt cavitatem, in ſiniſtro verò magnum & profundum exhibent alveum, denti iſti maximo recipiendo aptum. Qui alveus ab extremitate oris ad foraminum ejaculatoriorum parietem tendit, profunditate pedis unius, cum quatuor pollicibus.

Interiorem ejus ſuperficiem aſperam & horridam reddebant ligamentorum membranarumque, quibus dentis radix obvolvebatur in ſuo alveo, reliquiæ. Diameter ejus erat pollicum trium cum dimidio, ipſi denti reſpondens.

Occipitis figura à tergo intuenti ſemicircularis fermè apparebat, extuberantibus in vertice quibuſdam proceſſibus inæqualibus. A vertice verſus foramen, per quod ſpinalis medulla à cerebro in vertebras excurrit, pollicum erat ſeptem ferme. Foramen ipſum, in Diametro longitudinis, pollices duos cum ſemiſſe occupabat (oblongum enim erat, latius paulo in ſummo quam imo, ubi unum cum dimidio vix æquabat) utrinque à dextris & ſiniſtris extabant prominentiæ ovali fermè figurâ & magnitudine, quæ primæ colli vertebræ ſinubus inſinuabantur in vivo.



Inferior Cranii ſuperficies palatum conſtituens, integri pedis ſpacio ab oris extremitate in occipitium uſque æqualis fermè, & ſinubus ac proceſſibus deſtituta eſt, nulliſque dentibus inſignis, longo hoc excepto. Nec ulla adſunt veſtigia Phatneorum aut alveolorum, quæ iis excipiendis deſtinari poſſunt. Hinc quatuor pollicum ſpacio per ejus medium progreſſus ſi fueris, occurrunt ductuum ejaculatoriorum foramina inferiora ſeu orificia, à quibus inſignes & magni proceſſus, S. literam quodammodo referentes, utrinque oriuntur; qui quo magis ad occipitium vergunt, eo majores, ampliores & latiores evadunt. Hos ad latera ſtipant utrinque proceſſus Pterigoides, ſeu alares, ſuis ſinubus tam majoribus, quam minoribus inſignes. Haſce alas interius contemplatus ſi fueris, quodammodo oſſi Zygomatis in Cranio humano reſpondere videntur. Hic rurſus occurrunt magni illi ſinus, de quibus ſupra dictum, ab alterâ parte proceſſibus alaribus circumſcripti. Iis adjacent interiori hac parte conſpicui alii duo ſinus magni, oblongi, inæquales, foraminibus, in ipſam cavitatem cerebrum continentem ſeſe inſinuantibus, præditi, per quæ, ni me fallant omnes circumſtantiæ, tranſeunt nervi ad linguam tendentes, guſtui proculdubio inſervientes ac linguæ motui. Ad latera horum ſinuum ſeſe dilatat Cranium, ut oculis munimentum præbeat. Utrinque ſub hac dilatatione, duo grandia occurrunt foramina, tantæ capacitatis, ut pollicem admittant, ſeſe in ipſam cavitatem cerebro dicatam inſinuantia, quæ nervis opticis & motoriis oculorum deſtinata eſſe, ſtructura ipſa docet. Pendet Cranium totum exempto dente libras duodecim.

Dens



Dens ipſe integer non erat, ſed tertiâ fermè ſui parte mutilus, quinque interim pedes longus, duos pollices ſi exceperis, craſſitie inæqualis Baſis, quæ fundum cavitatis ſeu alvei occupabat: Diameter duorum erat pollicum, circumferentia ſex cum dimidio, hinc paulatim in ampliorem molem ſurgebat, uſque dum Cancellis alvei liberatus, liberè vagari cœpit. Egreſſus alveum in Diametro continebat tres fermè pollices (tertiâ enim parte minor) in circumferentiâ octo. Diameter ſummitatis, cujus periit portio, pollicis eſt unius cum dimidio, circumferentia quinque: ex quo, quanta ejus deſideretur pars, colligere licet, cum alii ejus generis, quotquot viderim, in acutum valde terminentur apicem. Figuram quod attinet, oblongus eſt, teres, verſuris & ſtriis multis, nunc majoribus, nunc minoribus, ab imo ad ſummum excurrentibus, quarum extuberantiæ ſeu exochæ læviores; ſtrigiles ſeu canaliculæ & ſulci intermedii aſperiores & poroſiores. Totum illud, quod alveo ambitur, ſcabrum valde eſt, ligamentorum, membranarum, & concreti ſanguinis portione fœdatum, ſed maximè ubi cute capitis ambitur, ut ſtrictius firmetur & retineatur. In extremitate, cerebrum ſpectante, ſinum habet, in cujus meditullio foramen, nervis, venis, & nutrimento ſuſcipiendo deputatum.

Quod extra gingivas prominet, buxei fermè eſt coloris, ſed, cultro tenuiter ſi raſeris, candicat. Ætate & aëris ambientis injuriis flavedinem acquirere, non ſecus ac alios dentes Elephantis, Roſmari Apri, &c. veriſimile eſt. Magnâ ex parte cavus eſt, quid verò in eâ cavitate contineatur me latet, quia obſtructum erat foramen, quod eo tendebat. Narravit mihi Eſaias Fleiſcherus, Pharmacopœus induſtrius, ſibi à Regiâ Majeſtate talem traditum fuiſſe dentem ut calcinatione Philoſophicâ ejus partem in teneriorem redigeret ſubſtantiam. Cui cum ſerrâ partem juxta Baſin abſtuliſſet, ac fortius aliquanto reliquum concuteret, erupit tenellus ac novus dens, majori huic incluſus qui fuit, figurâ & ſubſtantiâ plane ſimilis magno iſti. Quamvis varios & in exteris & domi viderim integros hujus generis, in nullo tamen hoc obſervare licuit. Ad noſtrum ut revertamur, quod ei deeſt, nec ſerrâ, nec alio inſtrumento ablatum eſſe ocularis docet inſpectio, ſiquidem inæqualiter ſe habet, ſciſſuris crebris & denſis de violentiâ atteſtantibus.

Ferunt ejuſmodi belluas glaciei cruſtis majoribus implicatas, magno impetu hoc dente ſe expedire, unde frangi & mutilari haud raro contingit, quod ab oculatis & fide dignis habeo.

Ejus cum Cranio conjunctionem quod attinet; abunde ex præcedentibus patet, non cornuum inſtar externè adnaſci, ſed in cavitatem ſibi deſtinatam, ſeu alveum, per Gomphoſin inſeri, non ſecus ac dentes aliorum animalium ſuis Phatniis inſeruntur. Situm verò talem occupat, ut, ſi animal hoc naribus præditum eſſet, ex ſiniſtrâ nare prodire jurares, quod etiam putarunt quidam qui oſſa hæc apud me viderunt. Verum, cum bellua ſit marina Cetacei generis, naribus & reſpiratione per nares non eget. Mandibulæ igitur ſuperioris pars ſiniſtra, alveo hoc grandi dotatur, & vaſtum hunc dentem (in quo elaborando materia aliorum, quos habere debebat, penitus exhauſta videtur) capit. Oppoſitum huic latus, nullam plane habet cavitatem, aut cavitatis veſtigium, quæ ſimilem capere poſſet, ne quis exiſtimet animal hoc pluribus uno dotatum eſſe. Nullum namque habet; ſive majorem, ſive minorem, præter hunc in mandibulâ ſuperiore. Inferior an quibuſdam minoribus prædita ſit, me latet, ſiquidem eam nunquam vidi. Nam Iconem, quam ſupra exhibui, mihi ex Iſlandiâ tranſmiſit Vir Reverendus & Clariſſimus D. Thorlacus Sculonius, Epiſcopus Holenſis meritiſſimus, qui belluam integram vidit, quæ cum glacie Gronlandicâ in Iſlandiam appulit, dum ipſe domi apud parentes degeret. Quin imo hoc Anno MDCXLVIII. aliam hujus generis belluam cum glacie Gronlandicâ ad Inſulæ oram Borealem appuliſſe, ipſe idem mihi ſcripſit. Cujus molis 12. æquabat ulnas Iſlandicas; dens verò ad Sereniſſ. Regem noſtrum Fridericum III. tranſmiſſus ulnas tres excedebat. Deſcriptio, quia aliquantum diſtat à præcedenti, hic annectenda.

Bellua erat duodecim ulnas longa, pinnas caudamque habens, quales habere ſolent

Cete, cutis plana, glabra & ſine ſquammis, colore pallido adinſtar humani cadaveris, ubi æſtui Solis non fuit objecta. Craſſities corporis parte anteriore cum longitudine certare viſa eſt, cum tamen poſteriore Phocarum marinarum craſſitiem non excederet. In medio dorſi bina prominebant tubera eaque carnea. Sub pelle carnem habuit lardo veſtitam, in occipitio reſpiramen, binos in fronte oculos bubulis paulo minores. Caput, ſi ad corpus comparetur, admodum tenue videbatur, in longitudinem paulatim extenuatum, inſtar bovilli ferme, niſi quod circa occipitium amplius & grandius.

Nares nullæ conſpicuæ. Siniſtrâ Promuſcidis parte dens ille ſe exſerebat ad longitudinem trium ulnarum cum quadrante, cui extremus apex ablatus; cæteroquin aliis dentibus caruit. Lingua exporrecta erat, mandibula ſuperior, inferiori prominentior. Probatum eſt à piſcatoribus qui belluam ceperunt, eam eſui non ineptam eſſe.

Cæteroquin Cranium hujus animalis, quod mihi à Sereniſſ. Reg. Maj. dono datum, paulo minus eſt eo, quod ſupra delineavimus, auctius oſſibus auditui inſervientibus, carnis reliquiis haud paucis & Oeſophagi particulâ; verum mutilatum alveo qui dentem excipere debebat, quod ab iis factum qui ſine fracturâ eximere non potuerunt.

Mihi, præter alia fruſtula minuta, hujus dentis ſeu Unicornu portio eſt, pedis fermè unius longitudine, ſtriis & verſuris ſuis inſignis, duorum pollicum in Diametro, cavâ parte quâ caput ſpectat tenuior, quâ eminet craſſior, pondere libræ unius & trium unciarum.

Corii quoque eſt fruſtulum, quod ex jam delineato detraxi Cranio, nigricat, nec admodum craſſum eſt, fibroſum tamen.

De viribus ut aliquid dicamus; hoc ipſum eſt quod à magnatibus & principibus pro vero venditatur Unicornu, quodque contra venena & morbos venenatos multum pollere omnibus perſuaſiſſimum eſt. Eſt mihi judicium Medicorum Auguſtanorum de ejuſmodi cornu, quod, cum typis divulgatum non ſit, hic addere operæ duco pretium. Sic autem illi.

Ex longinquis regionibus ad nos hoc cornu nobis judicandum propoſitum eſt, nunquid eſſet Monocerotis cornu. Nos diligenti adhibitâ conſideratione eorum omnium, quæ ad deſcriptionem legitimi cornu Monocerotis requiruntur, nimirum ut ſit ex toto ſolidum, ſine ullo modo aut fiſſurâ, anfractuoſum & ſpiris minuſculis quaſi lineamentis decenter convolutum, inodorum, colore non abſimile ebori vetuſto, hoc eſt, ita pallidum, ut ſubflavi quid habeat, judicamus veriſſimum hoc eſſe Monocerotis ſeu Unicornis cornu, & ad quod exigi, examinarique debeant omnia quæ undique locorum ſunt, utpote ad integrum & ex omni parte nulloque artificio, niſi ſolâ politurâ adulteratum aut à genuinâ formâ ac ſpecie in aliam verſum.

Quin etiam viſum eſt nobis, ad experientiam, rerum magiſtram, tanquam κριτήριον deſcendere, num viribus & facultate id præſtare poſſit, quod vero Monoceroti tribuitur; cujus uſus adverſus venena Alexipharmacum quoddam, & præ aliis Bezoardicis omnibus venena propulſandi poteſtatem ei ineſſe perhibetur. Dato igitur in præſentiâ noſtrâ Arſenico cani, jam moribundo, infuſis hujus cornu ramentis revixit. Unde non dubitamus verum & legitimum eſſe Monocerotis cornu, utrâque tamen extremitate mutilatum, tam in baſi quam in apice, quemadmodum ſenſui apparet, cujus ramenta, ut dictum, cani poſt Arſenicum exhibita, à veneno eum immunem reddidere. Cujus rei oculati teſtes fuere Medici Collegæ Auguſtani, qui ſubſcripſere, quique arbitrantur, cum res nobilis, rara ſit, & precioſa, non tam locorum omnium Medicorum judiciis, quam quos talia in primis decent, Nobilium, Magnificorum, atque adeo Principum ulteriori experientiæ committenda, cum præſertim ea experientia firma ſit, quæ non in uno, non ſemel, ſed pluribus & ſæpius ſtabiliatur. Actum Auguſtæ Vindelicorum Anno MDXCIII. Menſe Martio, præſentibus Medicis, qui ſubſcripſerunt, & Sigharto Pharmacopœo primario.

Ego Georgius Laubius, civis Auguſtanus, M. D. τῇ ταυτοφίᾳ ſubſcribo.

Adolphus Occo ATAN, civis Auguſtanus & Collegii Medici Auguſt. & S. C. vicarius perpetuus, idem teſtatur, fretus inſuper cenſurâ Illuſtriſſ. & Generoſi D. Marci Fuggeri, Comitis in Wiſenhorn, &c. qui hoc ipſum cornu vidit & pro legitimo approbavit.

Ego Johannes Uldaricus Rumlerus, civis Auguſtanus, Med. D. præſens vidi, eadem vera eſſe manus meæ atteſtor ſubſcriptione.

Ego

Ego Johannes Paulus Zangmeisterus, patritius Augustanus, Med. D. & Serenissi. Principis Ferdinandi Archiducis Austriæ, &c. observandæ piæque memoriæ Medicus & Consiliarius & Oculatus testis, hac manu propriâ subscripsi.

Ego Johannes Georgius Sighardus, civis Augustanus & Pharmacopœus, cum in præsentiâ, jussuque Clariss. & Doctiss. virorum Collegii Medici Augustani primarii, exhibuerim venenum, superinfusisque Monocerotis ramentis, ejusdem verum viderim effectum, omnia, quæ supra scripta sunt, vera esse, manus meæ testor subscriptione.

Simile ferme experimentum legere licet apud Philippum Hegsteterum, observat. Med. Decad. v. casu IX. Ante viginti annos (scripsit verò has Decades anno MDCXXVII.) Dominus Sighartus Pharmacopœus ingenuus, inquit, unà cum quibusdam ex Collegio Medico, in quorum numero & Ego, subjecit experientiæ cornu quoddam, quod Unicornu vocabant, & oblatis duobus canibus æqualis staturæ utrique Nucis Vomicæ in lacte Drachmam unam, uni vero ex iis cornu rasuræ paulo post ad grana XII. in eodem succo, ambo convulsi, miras sensere contorsiones, à quibus alter, cui & cornu exhibitum, vomuit, & convulsiones leviores sensit, qui vivus & alacer tertio dimissus die, periit alter agitatus multis convulsionibus, qui solam nucem sumpsit, spacio mediæ horæ. Posterâ die ejusdem cornu vires experti sumus in alio cane, cujus convulsio multa, at non lethalis, & hic sine vomitu convaluit. Hoc cornu cum apud Principem Imperii eandem experientiam faceret, justo precio redemptum fuit. Hæc Hegsteterus.

Nos etiam Anno MDCXXXVI. die tertio Octobris apud Johannem Woldenbergium Pharmacopœum nostrum ingenuum de advectis nupere ex Gronlandiâ dentibus hisce, in columbis duabus & catulis felium experimentum fecimus, exhibito Arsenico & sublimato, non plane sine nullo successu. Licet igitur Cornu non sit, sed Dens, ut alibi demonstravimus, & eleganter probat Thomas Broun in Pseudodoxiâ Epidemicâ c. 23. suis tamen non videtur carere viribus, à quam plurimis ei adscriptis, qui cornu Monocerotis esse putarunt.

Non possumus quin hoc loco, licet alieno, ea referamus de Unicornu terrestri quadrupede, quæ Anno MDCLII. coram Rege & Regni primatibus disseruit Franciscus Marquis Æthiops Africanus, Legatus Regis Congensis, dum hic Hafniæ commoraretur. Fides sit penes Autorem.

Animal hoc ab Africanis vocatur TORE' BINA', id est, animal cornutum, & in deserto Cano degere solet. Magnitudine & figurâ est equi mediocris, caput, crura & pedes habet equinos, pilosos. Jubam spithamæ longitudine, caudam equinam, colore griseo, seu asinino, per dorsum transcurrente lineâ nigrâ, ut in Asinis. Venter cum inferiore colli parte candicat, pilis parvis & lenibus. In frontis medio Cirrhus extat longior, ex quo emergit cornu, quod, cum aufertur, secum Cirrhum istum trahit.

Cornu hoc trium spithamarum est longitudine, crassitie, juxta basin, octo aut novem pollicum, paulatim in apicem gracilescens, cui insidet & adhæret alius Cirrhus, pugni magnitudine, colore purpureo. Nullis gyris aut striis præditum, sed rectis in apicem excurrentibus sulcis, colore flavo.

Solus autem mas, non verò fœmina cornuta est, licet omnibus aliis lineamentis corporis mari sit similis. Animal hoc, ob cursus velocitatem, vivum capi nequit, sed sagittis interficitur, & quandoque in desertis mortuum reperitur.

Cornu ipsum Africanis in magno est pretio, ob eximias, quas contra venena habet, facultates, exterius & interius usurpatum. Cum animal bibit, aquam suo cornu turbat & movet, antequam quicquam hauriat. Unde ipsi Africani ejus usum contra venena ubi requirunt, aquam extremitate Cirrhosâ commovent, quæ mox ebullit ac si igni esset apposita, hinc bibunt & sanantur.

Caro hujus animalis cocta & comesta Lepram curat. Pili caudæ in cineres redacti, & cum vino Hispanico exhibiti, Dysenteriæ medentur.

Discedens promisit Serenissi. Regi nostro Friderico III. se missurum & animalis totius exsuvias, & cornu ipsum, quod si fidem liberaverit, forsan plura de hoc Animali nobis sunt differenda.

CAP. XV.

De Delphino, Pristi, Phocâ, Rosmaro.

DELPHINUS, nostratibus Marsvin / ex cetorum genere est, magnitudinis diversæ, quandoque sex pedes longus, crassus quantum hominis amplexus concludere potest, glaber ac sine squammis, livente tergo, ventre albicante, rostro tereti, tenui & oblongo. Pinna utrimque ad latera unica est, altera in dorso erectior. Dentibus centum & sexaginta, post rostri cuspidem, os communitum habet. Fistulam inter oculos gerit, per quam & aërem trahit, & aquam rejicit: cauda nigra, lunata, leviter fissa, transverse posita. Præter communem piscium modum palpebras habet & meatus auditorios. Masculo foramen quoddam apparet in ventre medio è quo pudendum exserit, quadrupedibus ferè simile. Fœminæ pudendum ano vicinum est.

Carnivorus est, in minores pisces impetum faciens, visu & velocitate præstat, amore in prolem insigni, nam eam gestat & lacte nutrit, homini amicus, Musicâ delectatur.

Caro ejus vel lardum à multis in cibum expetitur, ex eâ etiam oleum & pinguedinem coquunt, vulgò Tran dictum. Hepar & lingua, ad esum præcipue commendantur. Jecur à Kiranide contra Tertianam, & Quartanam, comestum ante accessiones, juvat, oleum ex eo elicitum Hydropicis prodest, & ad difficilem puerorum dentitionem, cum melle inunctum dentem etiam commendant affrictum.

Ejus mihi est Cranium, spina & cauda, nigra, bifurcata, pedalis magnitudinis. Exsiccari propter pinguedinem haud commodè potest ejus pellis.



Quamvis Clusius PRISTIN potius ad Galeas quam Cetos referat, nos tamen ob magnitudinem, Aldrovandum secuti, hic locum ei damus. Aliis Serra dicitur, à rostri similitudine.

In vastam excrescere magnitudinem, ex rostro quod ego possideo, colligere licet, quod trium est pedum cum semisse in longitudine. Clusius cutem asperam habere ait, in dorso fusci coloris, in ventre candicantis, sex pinnis præditum; in lateribus, medio scilicet corpore, duæ, quibus vicinæ duæ utrinque angustæ & oblongiusculæ branchiæ. Sub podice duæ pinnæ, supra caudæ initium, extremo scilicet dorso quinta, in sextum cauda ipsa terminatur. Caput in longum, planum, & firmum rostrum exit, utrinque multis dentibus sive osseis firmisque spinis, ex adverso sitis, ferræ instar munitum. Binos oculos in pronâ capitis parte habet, binas nares in supinâ, & infra illas oris scissuram transversam, in quâ nulli dentes expressi.

Rostrum quod ego possideo Majus, præterquam quod trium pedum cum semisse sit longitudine, quatuor libras cum dimidiâ pendet, latitudine pedis dimidii, dentibus seu spinis exceptis. Dextrâ parte dentes habet acutissimos XXIII. sinistrâ XXII. sed juxta caput tuberculum est, in quo unius rudimenta latere videntur. Pronâ parte candicat, supinâ ex cinereo ad fuscedinem vergit. Per ejus longitudinem in poroso osse, duæ excurrunt cavitates, digiti minoris amplitudine, quæ juxta extremitatem coalescunt, nec in apice hiant. Quod si piscis, pedes duos cum triente longus, rostrum habuerit, septem uncias longum, ut refert Clusius, is qui meum gestavit, trium pedum cum semisse, hoc est XLII. unciarum, habitâ hac proportione, quatuordecim pedum fuisse necesse est, unde inter Cetacea reponendus.

Sunt mihi præterea alia minora hujus piscis rostra; à minoribus & catulis ut arbitror desumpta, quæ, licet magnitudine non æquent prius, figurâ tamen conveniunt.

PHOCA, Græcis φώκη, Bos vel vitulus marinus, quibusdam Canis vel Lupus marinus, Danis ein See-hund / corio tegitur duro, solido, piloso, colore nigricante & cinereo, quandoque maculoso, capite brevi & parvo, pro corporis ratione, dentibus serratis & acutis, naribus Vitulinis, ore mediocri, pilis longiusculis superciliorum loco, oculis versicoloribus & splendentibus, linguâ bisulcâ, meatibus auditoriis angustissimis, collo longo, quod pro arbitrio extendit & contrahit, lato pectore, renibus vitulinis. Genitale maribus oblongum, fœminis ad terrestria accedens. Pedes habet brevissimos, carpo humano respondentes, ex multis ossibus constantes. Metacarpium quinque constat, pelle tectis, tanquam manus non divisa, in extremo quatuor linearum distinctiones apparent, & ungues quinque. Hisce vero pinnarum loco utuntur.

Amphibium est tam in mari quam terrâ vivens & littora amans, sed pedum in terrâ usus difficilis, carnivorum, quod piscibus insidiatur. In retia incidens, ea rumpit, dormit extra aquam in saxis & arenis, cicurari potest, quia homines amat. Leporum & aliorum animantium, retro mingentium ritu, mingit, tam mas quam fœmina, coëunt aversi, & in medio coitu inviti cohærent. Pariunt pecudum more, sed nunquam binis plures. Pelles à fulminibus tutos reddere volunt, iisque arculas itinerarias obducunt.

Caro illarum insuavis est & difficilis concoctionis, pinguis adeò ut lardum potius referat, ex eâ oleum coquunt. In Medicinâ etiam suum invenit locum. Dextræ pinnæ vim Soporiferam inesse vult Plinius, somnosque allicere tradunt si capiti supponatur. Pellis Podagricis commendatur. Calceamenta & vestes ex eâ conficiunt Gronlandi. Carnem & sanguinem Epilepticis mederi volunt. Adeps suffocatione uteri laborantibus succurrit, tam suffitu adhibitus, quam in potu datus.

Veteribus ignotum plane animal videtur, quod Anglis & Russis WALRUS, aliis MORS, Danis & Islandis ROSMARUS vocatur, credo quod in Septentrionali Oceano saltem reperiatur. Quidam equum marinum & Hippopotamum vocant.

Monstrosum animal est, & amphibium, bobus nostratibus, ubi adolevit, interdum majus, cute Cani marino, de quo jam egimus, quoad Hispiditatem, simile, buccâ vaccæ (unde & Vaccæ marinæ nomen à quibusdam obtinuit) nisi quod duos dentes prominentes, & ante recurvos habeat, cubiti nonnunquam longitudine, quorum usus ac pretium ebori comparatur. Fœtum supra unum aut alterum vix enititur, robustum & ferox animal, idcirco difficulter capitur, sæpius in terrâ.

Hujus catulum vidit & accurate descripsit Ælius Everhardus Vorstius in hunc modum. Bellua hæc magnitudine erat Vituli aut Canis Brittannici, majoris Phocæ non dissimilis, capite rotundo, oculis bovinis, naribus depressis ac patulis, quos modo contrahebat, modo diducebat, aurium loco utrinque foramina, rictu oris rotundo, nec ita vasto, superiore parte aut labro, mystaca gerebat setis cartilagineis crassis & rigidis constantem. Inferior maxilla trigona erat, lingua crassa brevisque, atque os interius dentibus planis utrinque munitum, pedibus anterioribus posterioribusque latis, atque extre-

mâ corporis parte Phocam plane referebat noſtratem. Pedes anteriores retrorſum ſpectabant cum ingrederetur, digiti quinque membranâ interſepiente diſtincti eâque craſſâ. Poſterioribus digitis ungues impoſiti, non prioribus. Cauda plane carebat. Poſticâ parte repebat magis quam incedebat. Cute craſſâ, coriaceâ, piliſque brevibus ac tenuibus obſitâ veſtiebatur, colore cinereo. Grunnitum apri inſtar edebat, ſeu crocitabat voce gravi & validâ, repebat per aream abſque aquâ. Quotidie per ſemihoram aut amplius dolio aquâ pleno immittebatur, ut ſe ibi oblectaret. Catulus erat, ut ferebant qui attulerant ex Novâ Zemblâ, decem hebdomadarum, dentes ſeu cornua exerta, ut adultiores, nondum habens, tubercula tamen in ſuperiori labro percipiebantur, unde brevi proditura facile apparebat. Ferum & validum animal, calebat ad tactum, valideque per nares ſpirabat. Pulmentarium ex avenâ milioque comedebat lente, & ſuctu magis quam deglutiendo, herumque, geſtantem cibum & offerentem, magno niſu ac grunnitu accedebat, ſequebaturque nidore ejus allectus. Lardum ejus guſtantibus haud inſuavis. Seniorum coria cccc. aut D. pondo pependiſſe ferunt. Dentes habent validos, quibus rupes ſcandunt & ſe ſuſtinent. Gregatim in terram prodire dicuntur, ut ibi ſomnum capiant. Pabulum illis folia oblonga & magna, herbæ cujuſdam è fundo maris naſcentis. Nec piſcibus vivere, nec Carnivorum eſſe volunt. Penem oſſeum mas habet, cujus pulvere Ruſſi utuntur contra calculum.

Hos dentes eſſe arbitror quos Hechſteterus Obſerv. Rarar. part. 2. Decad. 4. caſu 2. vocat dentes Hippopotami, ſic enim pag. 95. inquit. Raſura dentis Hippopotami ad ℈ß. in aquâ Pimpinellæ Sanguiſorbæ ſæpius exhibebatur. Singularis hic pulvis in ſiſtendo fluxu ex utero deprehenſus, ita ut Monocerotis cornua, ſi quæ ſint, ſuperet.

Ex ejus dentibus varia conficiunt, annulos contra ſpaſmum, manubria gladiorum, framearum & cultrorum, quoniam pondere ſuo, Ictus fortiores ut fiant, juvant. Quo nomine ad Tartaros & Turcas mittunt, à quibus expetuntur. Iſlandi Icunculas ex iis affabre conficiunt, quibus in ludo Scacchico utuntur.

Eſt mihi Cingulum, cujus bracteæ ex hoc dente ſunt formatæ, quod geſtatum à Spaſmo procul dubio immunes reddit. Animalis mihi eſt integrum caput, dentes aliquot, & particula corii, quo ſpiſſius vix credo in ullo animali inveniri.

Ejus Iconem ineptam dedit Nierenbergius Hiſtor. Nat. libr. 11. cap. 37. Sed accuratiſſima eſt quam adduximus ex D. Joh. de Laet deſcriptionis Indiæ Occidentalis l. 2. c. 6.

CAP. XVI.

DE AVIBUS.

PISCIBUS non immerito ſubjunguntur Aves, cùm affinitatem inter ſe habeant maximam, ex aquis enim, ut Piſces, ortum traxiſſe volunt quidam: Fraterculant, inquit Nierenbergius, cum piſcibus, communis humor vulva eſt, ideo & piſces per aquam volant, & aves per aëra natant, illi aves Pelagi, iſtæ piſces ſublimes. Similitudo inceſſus & elementi conjunxit nativitatem.

Aves autem proprie vocamus animalia ſanguinea, roſtrata & pennata. De quarum Naturâ & partibus in genere hæc tradit Ariſtoteles 2. de generat. Animal. cap. 12. Avibus omnibus ineſt caput, collum, dorſum, & ſupina pars corporis & quod pectori proportionatur. Crura bina hominis modo, ſed quæ in averſum flectantur, ut quadrupedes carent manibus & pedibus prioribus, alas poſſident & clunem fœmori ſimilem, longiorem, ventremque medio tenus porrectum cohæſione perpetuâ. Os ſibi proprium poſſident, non enim labra, non dentes, ſed roſtrum habent, auriculis carent & naribus, meatuſque odorandi in roſtro continent, audiendi in capite. Oculi omnibus, ut cæteris animalibus, bini, ſine ciliis, graviores palpebrâ inferiore connivent, nictantur omnes ab angulo obeunte membranâ. At quæ noctuæ ſpeciem gerunt, ſuperiore jam palpebrâ connivent. Omnes ova pariunt, ſed coëundi & pariendi tempus non idem omnibus eſt: cum aliæ omni ferè tempore coëant & pariant, ut

ut Gallinæ & Columbæ, aliæ ſemel in anno & parcius generent, aliæ fœcundius, quod aut fit quia crebrius, ut Columbæ, aut numeroſius, ut Gallinæ.

Earum differentiæ quam plurimæ ſunt, ratione morum, partium & conſtitutionis corporis. Aliæ gregales, aliæ ſolitariæ, tum quæ volant, tum quæ natant, tum quæ pedes habent. Aliæ vitam ancipitem degunt, ut eædem modò ſocietate, modò ſolitudine gaudeant: Item, aliæ civiles, aliæ inciviles, tum ex gregalibus, tum ex ſolitariis. Ariſtot. 1. de Hiſtor. Animal. cap. 1. earum differentias ratione ventriculi & ingluviei proponit: Item lib. 2. cap. 17. in hunc modum. Aliis ingluvies præpoſita ventriculo eſt, ut Gallinaceo, Palumbo, Columbo, Perdici (ingluvies cutis in amplum ſinuata eſt, quâ primum cibus ingeſtus continetur incoctus) hac parte quâ jungitur gulæ anguſtior eſt, mox amplior, tum quâ deſinit in ventriculum arctior. Ventriculus parti plurimæ carnoſus calloſuſque eſt, cutis intus robuſta, cruſtaque detrahi facile integra poteſt. Aliis ingluvies deeſt, ſed ejus vice gula latior & patentior, ut corvo, cornici. Quin etiam Coturnici gula amplior ineſt, &c. Nec deſunt quibus ventriculus ipſe ſimilis ſit ingluviei, ut Tinnunculo. Sunt item quibus neque gula, neque ingluvies amplior ſit, ſed ventriculus longior. Sunt etiam, quamvis paucæ, quæ ingluviei gulæque amplitudine careant, longitudine autem admodum prolixâ, ut Porphyrio: quæ ferè omnes alvi excrementum humidius, quam cæteræ ſolent, rejiciunt.

Jul. Cæſar Scaliger Exercit. CCVII. ſubtilius aves diſtinxit variaſque differentias annotavit, quas hic recenſere forſan non abs re foret. Sic autem differit. Eſt & diviſio à partibus. Cruribus carentes, brevicrures, longicrures, bonis, pravis cruribus, & ὀρνίθοδες, κακορνίθοδες, ἄπωδες. Bifidis pedibus, ut Struthius Africanus, multifidis, ut aliæ. Digitorum numerus non idem. Terni, ut Anatibus. Quaterni duobus modis, Pſittaco & Iyngi bini ante & retro, alii terni antrorſum ponè ſinguli. Digiti ſejuncti, ut maximæ parti; conjuncti membranis, ut aquatilibus, in quibus etiam gradus ſunt. Nam curticruribus membrana ad ungues protenditur magis, Longicruribus non item, ut Mergis. Longiſſimi pedes Alaudæ, breviſſimi Phænicoptero. Unguirecti Galeritæ & aliis quæ in planis agitant, unci rapacibus, media formula nonnullis, ut Picæ. Uncorum unguium uſus ad rapinam Aquilis, nulli uſui Hirundini, ad reptandum ei aviculæ, quæ muros ſcandit, atque araneolis veſcitur, Picum Murarium Ligures Taurini vocant. A roſtri ſubſtantiâ corneâ, ut maximæ parti oſſeâ & carneâ, ut veſpertilioni: colore & figurâ; croceum, buxeum, rubrum, album, lividum, fulvum, nigrum. Rectum, aduncum, longum, breve, craſſum, tenue. A Linguâ, longâ, ut Iyngi & Glottidi; brevi, tereti, latâ, cucurbitini ſeminis, figuram Pſittaci lingua repræſentat. Luſciniæ mucro quaſi amputatus.

Ab Uropygio & caudâ. A pulveratione & aſperſione & lavacro; A bibendi modo, quippe hauſtu intercepto & morſu: Quædam etiam non bibunt. Item clamoſæ, canoræ, querulæ. Fœcundæ multis modis. Unâ incubatione, Perdix, Struthius, Melancoryphus. Pluribus incubatibus inordinatis, Gallinæ. Pluribus ſtatis, columbæ plumipedes. Itaque finges; ſemelparæ ut multæ, biparæ ut Hirundines. A temporibus: Hibernæ, æſtivæ, nocturnæ, diurnæ. A nidis: in algâ, in reſtibulis, in ſtercoribus, in quiſquiliis, in cavernis, in ſaxis, in opis, in arboribus, in ſegetibus, in pellibus animalium. A victu: carnivoræ, piſcivoræ, frugivoræ, herbivoræ, vermivoræ.

Et in differentiis genericis: ὀρνίθοι, κακόρνιθοι; idque duobus modis; ſive quæ fœdo victu ſpiritum ducunt, ut quæ in ſtercoribus incocta legunt, anates cortales etiam excrementa vorant animalium; ſive quæ magno labore victum parant, magniſque exſpectationibus, ut Milvus, Harpe, aliæ. A locis Aëreas omnes dici jubet ſummi generis differentia. Victus tamen ratione trifariam diſtinguuntur. Terrâ, ut Gallina, aquâ, ut Mergus, aëre, ut Hirundo. Hæc Scaliger.

Nos, omiſſis aliis differentiis, ad ordinem ab Ulyſſe Aldrovando obſervatum nos accommodabimus. Is aves omnes diſtribuit in aëreas, terreſtres & aquaticas.

Per aëreas rapaces & carnivoras intelligit, quas diſpeſcit in diurnas, nocturnas & medias. Terreſtres granivoras ſtatuit, (quæ vel pulveratrices, vel pulveratrices & lotrices ſimul complectuntur) baccivoras, vermivoras, & canoras. Aquaticæ verò, vel in aquis degunt & ſunt palmipedes, vel circa aquas. Ex his quas tenemus, hujus methodi ductu, brevibus more noſtro delineabimus.

Cap. XVII.

De Aquilâ, Corvo versicolore, Emeu, Picâ albâ, Topau, Manucodiatâ, Noctuâ.

AQUILAM quidam à visus acumine, quidam à colore aquilo seu fusco & nigricante dictam volunt.

Avis est magna, colore nigro seu pullo, carne durâ, ossibus firmis, plumis rigidis, carnivora. Capitis pars anterior porrecta, paulatim arctatur, & in rostrum terminatur durum, solidum, admodum aduncum, oculi rubore vivido perfusi, parvi corporis respectu. Collum habet longum, alas rectas & extensas, in summitate recurvas, nervosas, paucæ carnis, crura haud ita longa, pedes inæquales, dextrum sinistro majorem, colore varios, caudam brevem, sanguinem crassum, fibrosum, ossa crassissima, durissima, pennas firmas & duras; quas aliis permistas, anserum præsertim & columbarum, consumere ajunt. Ungues pro mucronibus gerit, aduncos, recurvos, firmos, Leonum non dissimiles. Viribus inter aves validissimam volunt, visu perspicaci, volatu pernici.

In cibis usum habet nullum, pellis debito modo separata & gestata, stomachi vitio laborantibus succurrit & Colicæ medetur. Nervi, colli, dorsi, Vertebrarum, manuum & pedum dolores mitigant, dextri dextræ applicati, sinistri sinistræ. Ossa verticis corio cervi inclusa hemicraniam curant: alas pedibus subjectas, partum accelerare volunt. Pedes lumborum doloribus succurrunt. Lingua aquilæ collo suspensa, ad asperæ arteriæ & columellæ vitia & spiritus difficultatem commendatur. Hepar Epilepsiæ resistit, Testiculi Venerem provocant, suffitus fimi fœtum expellit & serpentes fugat.

Aquila ad classem avium rapacium diurnarum spectat, ejusque species multæ ab Aldrovando enumerantur, ut Chrysantes, Halyætes, Melanurus, Morphnus, Morpho congener, Perenopterus, Ossifraga, Alba, Pygargus, Heteropus, Palustris, Aves Schyticæ, atque huc etiam refert Vultures, Accipitres, Falcones.

Mihi duo sunt Crania cum rostris diversarum specierum, Pedes quoque, cum reliquum corporis difficulter à tineis & Blattis conservari possit.

CORVUS VERSICOLOR Feroënsis, colore & albo & nigro alternatim in corpore dispositis. Minor aliquanto est corvis nostris nigris vulgaribus: sed rostro, capite, alis, pedibus, totoque habitu iis respondet. Capite circa rostrum & oculos albo, vertice nigro, collo, pectore & dorso nigris, alarum pennis majoribus albis, minoribus pectus spectantibus nigris. Caudam obtinet ex nigris & albis alternatim constantem, albicat & Uropygium, ut & pars ventris caudam spectans. Duos ejus generis ex Insulis Feroënsibus accepi, sed jam fermè à vermibus exesi, cum difficulter, ut aliæ aves, à Blattis & tineis conservari ejusmodi avium exuviæ possint.

EMEU à quibusdam dictus CASEARIUS, avis peregrina est & mirabilis, in Insulis Moluccis, Taprobanâ & aliis Indiæ Orientalis frequens. Dum capite surrecto incedit, quatuor pedum & aliquot unciarum est altitudine. Nam collum à summo capite ad dorsi initium tredecim penè uncias habet longum, ipsum corpus binos pedes latum, femora cum cruribus, usque ad pedum inflexiones, decem & septem uncias longa. Corporis autem longitudo à pectore ad Uropygium trium ferme pedum est. Pennæ seu verius plumæ totum avis corpus, cum infimâ colli parte, dorso & pectori proximâ atque femoribus, tegentes, perpetuo sunt geminæ, ex eodem parvo brevique tubulo prodeuntes, & sibi invicem incumbentes. Superna quidem paulo crassior, inferna verò tenuior & delicatior, illæque variæ longitudinis, omnes duræ & rigidæ, non latæ, sed angustæ & rarioribus lateralibus pilis ex adverso sitis præditæ, coloris nigri, quæ tamen circum femora ad cineraceum tendunt. Procul aspicientibus hæc avis non plumis, sed villis duntaxat tecta videtur. Alas sub plumis latentes, quatuor nigris pennis præditas, habet, quæ non ad volandum, sed ad cursum juvandum datæ videntur: siquidem volucris non est, nec à terrâ tolli possit. Crura in ambitu quinque unciarum crassitudinem superant, crebrisque corticibus seu squammis latis tecta, præsertim supra pedis inflexionem. Pedes habet crassos, duros, tribus crassis digitis præditos, pronâ parte veluti squammis tectos, supinâ prorsus callosos, quorum medius, qui reliquis longior est, tribus articulis constat, interior uno, exterior binis, omnium ungues valde magni, binas penè uncias longi, crassi, duri, cornei. Caput pro avis magnitudine exiguum & ferè

ferè glabrum, coloris ex atro cœrulei cum colli supremâ parte, in quo apparent rari pili nigri, oculi paulo supra rostri fissuram, magni, ardentes, truces Leonis instar, quos cingunt nigri pili, quemadmodum & meatus illos aurium parvos & detectos quos ponè oculos habet. Rostri prona pars quodammodo arcuata est; pauloque supra mucronem binis foraminibus narium usum præbentibus prædita.

A cujus medio ad capitis usque verticem porrectum diadema assurgit, corneæ substantiæ, tres ferè uncias altum, coloris ex flavo fusci, quod cum plumarum defluvio cadit, &, cum plumæ renascuntur, novum crescit. Supina rostri pars, ab ejus scissurâ ad extremum mucronem, quinas uncias longa; anterior colli pars, quatuor penè unciis infra rostrum bina velut membranea palearia, seu barbulas propendentes habet, duas uncias longas, coloris rubri miniati. Postica similiter colli pars deplumis, à capite secundùm longitudinem, rubri miniati coloris est; deinde infima ejus pars, aliquot rubris plumulis, quibus nigræ intermistæ, tecta. Hæc ex Clusio qui Avem vidit, tanto pedum robore, ut arborem humani femoris crassitie contundere valeret. Aversis retrorsum pedibus, eos, cum quibus pugnat, impetit. Quævis obvia vorat, ordinarius tamen cibus est panis similagineus, seu primarius, quem in magna fragmenta concisum vorat. Recentibus Gallinarum ovis maxime delectatur, quæ integra deglutit. Parum firmâ est valetudine, integra per anum rejicit, & rursum vorat & concoquit. Ovum parit maximum & pulcherrimum, sed testa non admodum dura, externâ parte virescentis coloris ex cineraceo & creberrimis tuberculis saturâ viriditate præditis ornata.

Icones duas exhibet Nierenbergius, quarum altera delineationi Clusianæ jam allatæ congruit; altera multum ab eâ differt, alterius harum avium generis esse videtur.

Mihi ex hac ave non nisi pluma est unica.

Pica alba, pro re insolenti semper habita est; unde Scaliger de judice justo hæc ausus est pronunciare:

Sed judex bonus est picâ nunc rarior albâ.

Quia verò mihi una obtigit, ejus Historiam addam.

Ex Norvegiâ ad me transmissa est, ubi in nido duo hujus generis pulli sunt inventi, quorum hunc, quem possideo, amicus transmisit. Cum Picis vulgaribus quoad corporis constitutionem planè convenit, nisi quod colore sit candido & staturâ minori, cum ad adultam nondum pervenerit ætatem. Quod de Picâ referunt, circa Autumnum calvescere, id etiam huic contigisse credo, siquidem, cum pennis albis adhuc totum reliquum tegatur corpus, caput glabrum visitur.

In cibis rarus est Picarum usus; quod carne constent minus gratâ. Sunt tamen qui esum pullorum Picæ, visum augere dicant. Gordonius Picas in ollâ novâ urit, in pulverem redigi ut possint, quo in collyriis, vel per se in oculorum affectibus utitur.

Ex Picis minutatim concisis liquorem destillant quem oculis rubentibus, lippientibus, linteis applicatum conferre volunt. Ad Epilepsiam quoque cum aliis appropriatis aquam ex iis destillant, quam quidam magni faciunt.

Topau Avis Indica, Rhinoceros dicta Aldrovando, quod instar quadrupedis ejusdem nominis cornu in fronte ferre videatur, à nemine, quod sciam, descripta est. Aldrovandus caput depictum vidit, mihi ejus Cranium est cum rostro cornuto, quod ex Indiâ Orientali ad me delatum. Cranium respectu rostri parvum est, anserinum vix superans. Rostrum decem pollicum est longitudine. Illud, quod Aldrovandus describit, fermè quadruplo majus fuisse oportuit, quatuor namque dodrantes longum asserit, recurvum non more rapacium, sed instar arcus cujusdam acutum. Inferior Maxilla longitudine superiori respondet, & maxillæ inferioris os ad finem usque Cranii suis pertingit apophysibus. Ex luteo albicat, nisi ubi maxillæ jungitur, ubi atro splendente est colore, transversim instar literæ V. in acutum apicem terminati, illud pingens, serratum potius quam denticulatum. Oris & palati rostrique interior superficies planè nigricat; supina, quæ etiam dentata, caput versus colore est miniato. Circa oris hiatum, corpus latum nigrum apparet, quod quasi apophysin quandam constituit fauces transcendentem, extra corpus rostri paululum propendentem. Reliquum ut in inferiori ex albo luteum est. Ubi rostrum desinit, cavitas insignis orbicularis in Cranio est, oculorum orbitam constituens utrinque, cui vicina intra cornu & rostrum foramina parva, odoratui procul dubio inservientia. Cornu supinæ rostri parti adnatum, crassum, aduncum, ejusdem cum rostro est substantiæ, sed cavum, tenue, & molle, substantiâ Asta-

corum cruſtæ reſpondens, longum pollices octo, quatuor latum, coloris ex luteo & rubicundo miſti, lineâ latâ nigrâ inferiorem ejus partem à ſuperiore utrinque dividente. Totam avem qui deſcripſerit, aut de ejus naturâ quippiam tradiderit, neminem adhuc vidi; quocirca, nudo roſtro contenti ut ſimus, neceſſum eſt.



Manucodiata, Indis Boëres, Luſitanis Paſſaros de Sol, aliis Avis Paradiſiaca, vel quod in Paradiſo terreſtri vivat, ut quidam exiſtimant, vel propter eximiam corporis venuſtatem. Mollucani Avem Dei vocant & in ſummâ habent veneratione; alii Apodem, quòd pedibus carere crediderint.

Avis eſt quandoque Columbæ, quandoque Hirundinis magnitudine, capite compreſſo (meam delineare ſaltem animus eſt, cum quinque diverſa ejus genera proponat Aldrovandus) parvo, cujus plumæ, quæ ſuperiorem partem à primâ cervicis vertebrâ ad roſtri uſque initium exornant, breves ſunt, craſſæ, duræ, ſpiſſæ, colore luteo, egregiè micantes ad inſtar auri puriſſimi, radiorumque ſolarium modo ſplendentes. Reliquæ, quæ mentum tegunt, molliores, tenuiores & ex Cyaneo mirè virides, ut in Anatum maſcu-

masculorum capitibus dum soli obvertuntur conspicimus. Circa rostrum nigricant. Rostrum, pro ratione corporis & capitis, magnum, corneum, acutum, ex luteo nigricantibus maculis insigne. Alarum ut & dorsi pennæ ac caudæ, fuscæ, inter nigrum & ruffum fulgentes, aliarum avium pennis similes: sub his aliæ sunt longiores, partim amplis divisuris & raris ad latera plumis dotatæ, partim in pilosum acumen desinentes, colore fulvo eleganti.

Juxta Uropygium duæ oriuntur pennæ, quæ juxta exortum pilosæ, sed tandem in longissimos & duros desinunt Cirrhos, quadrangulos fermè & pedum duorum longitudinem superantes. Mox sub collo parte supinâ plumæ etiam molles, sed longiores aliquanto quam illæ sunt quæ collum ornant, ex spadiceo nigricantes, quas sequuntur tenues & oblongæ, aureæ, molles, sanguineis guttis eleganter consperſæ. Quibus succedunt ex luteo albicantes, raræ texturæ & hiantes, ut illæ quæ in Ardearum dorso conspiciuntur. Crura, pro corporis ratione, magna satis. Tibiæ enim longitudo ab infimâ fœmoris articulatione, ubi plumis raris exiguis colore fuscis dotatur, ad pedem usque unciarum est trium, membranâque seu cute subluteâ lævi & glabrâ vestitur.

Pes quatuor constat digitis, quorum unus instar calcaris posteriorem constituit partem, reliqui tres anteriorem, ut in Gallinis & ejus generis avibus videre licet, inter eos medius reliquis longior. Quilibet verò digitus tribus dotatur articulis; quorum primus metapedium, reliqui digitos ipsos constituunt. Superius crustâ quasi teguntur durâ, asperâ, squammatim coagmentatâ, inferius callosâ & detritâ. Quâ ungues (qui adeò adunci ut semicirculum ferme constituant) digitis nectuntur, callosa quædam protuberat pulpa, commodiori procul dubio incessui destinata. Ungues ipsi quales avium rapacium esse solent, magni, acuti, cornei, colore ad albedinem inclinantes. A tibiæ extremitate ad unguium apices, quinque numerantur unciæ, quas non attingit corpus ejus exsiccatum sine plumis. Hæc accuratius delineanda erant, quod etiamnum multi ex modernis constanter negent pedes habere, ex quorum numero est Nierenbergius.

Hinc patet dubia illa & difficillimi nodi, de quibus Aldrovandus loquitur, ex hac historiâ facile enodari posse, imò per se evanescere. Quod enim omnes, paucis exceptis, hasce aves apodes esse & pedibus carere crediderint, id falsum esse, ocularis docet demonstratio.

Qui in Paradiso terrestri nidulari eas & certam regionem non habere in quâ vivant & nidos constituant, experientiâ & modernorum navigationibus falsitatis convincuntur. Didicit enim Clusius (ut in Auctuario docet) ex nautis, qui aves hasce vendebant, majores in Insulâ Aru, sive Arou duntaxat reperiri, minores Insulas Papuas, Insulæ Gilolo vicinas, producere, ut de earum patriâ dubium jam nullum sit.

Error quoque patet eorum, qui, cum pedibus carere putarent, aut motu tonico in aëre sustineri, aut cirrhis seu filis se ab arboribus suspendere dixerunt, ut quiescerent.

De incubatus ratione, valde etiam hallucinatos esse eos constat, qui in masculorum dorso quandam cavitatem dari arbitrati sunt, in quâ fœmellæ, quibus venter etiam cavus sit, ova sua deponant, atque ita utriusque cavitatis auxilio incubari voluerunt. Ii quoque qui fœmellas receptaculum quoddam sub alis, in quo ova reponant, habere putant. Denique, cum pedes habeant, & crura, ut aliæ aves, frustra sunt, qui solo aëre nutriri volunt; quod etiam aliis argumentis docuit Aldrovandus Ornithologiæ lib. 12. cap. 21.

De usu alia non habemus, nisi quod Moluccarum Insularum Reguli religiosè admodum, sancteque has aves colant, & Mancodiatas, hoc est Aves Dei vocent, sibique persuasum habeant, quod si illarum pennas secum portaverint, non vulnerandos iri in prœlio, etiamsi in primâ acie ante alios collocati fuerint.

Magnates etiam nostri in pileis ornamenti loco olim gestare solebant, ut alias Struthionum pennas. Cum nullâ ave majorem affinitatem quàm cum Pavone habere mihi videtur, ut non immeritò parvus & Indicus Pavo appellari possit.

NOCTUA, avis haud rara, huc potissimum adducitur, ob miram oculorum structuram, quâ fit ut in luce eminente cæcutire, in ambiguâ & tenebricosâ nutrimentum quærere soleat. Omissâ igitur ejus historiâ de oculis saltem agemus, quos diligenter rimatus est M. Aurelius Severinus, Anatomicus & Chirurgus Neapolitanus, descripsit verò Zootomiæ parte v. p.336. in hunc modum. Noctuæ admirabilis oculorum forma, præsertim externa. Non rotundi, neque mobiles. Extremis suis Cornea mollior, media fere Cartilaginea, & petasi modo formata, cui aliæ globosæ portiones imponuntur. Interim humores & tunicæ ea habent peculiaria. Retiformis crassior & veluti pannosior, Musculi perpauci & graciles, numero non discreti. Ipsam corneam tunicam, figuram Petasi æmulantem, quia per Virum Clariss. D. D. Thomam Bartholinum ad me transmisit D. Severinus, hisce hæc annectenda erant.

CORNICIS CÆRULEÆ quia alam ab amico accepi, qui avem in Scaniâ globo trajecit, de eâ etiam hic aliquid dicendum. Germanis Wilde Holtz-kraje / Galgen-regel / Halk-regel / Racher / Trosche-papegoje dicitur. In silvis & locis non frequentatis degit. Nidum, ut Upupa, ex Oleto construit, &, præter cætera, à projectis cadaveribus victitat, unde etiam semper fœtere solet, & nomen Racho obtinuit; sed à colore Psittacus Germanorum indigitatur.

Rostrum nigrum est, crura fusca, proportione corporis parva, cœruleo colore passim nitet, in capite, alis, caudâ, circa Uropygium & totâ parte supernâ, alibi sinceriore, alibi admixto viridi. Dorsi & colli proni color fuscus est, majores alarum pennæ nigræ. Ea quam teneo ala, longitudine est unciarum octo, latitudine quatuor.

CAP. XVIII.

De Pavone, Gallinâ Guineæ, Pullo Bicipite, Ossibus Gallinæ pumilæ, Aviculâ minimâ.

QUÆ hactenus delineatæ sunt aves, ad Rapaces ab Aldrovando referuntur. His succedunt Terrestres ipsi dictæ, quæ neque in aquâ, neque circa eam degunt, quas dispescit in Granivoras, Baccivoras, Vermivoras & Canoras. Granivoras rursum alias constituit pulveratrices, alias lotrices, alias pulveratrices & lotrices simul, omnes gratiâ suæ carnis præstantes. Ex his paucas saltem delineabimus in quibus aut gratia, aut rari aliquid.

PAVO,

PAVO, Græcis Ταὼς vel Ταῶν, noſtratibus Paafuel / quoad colores & habitum non levem in ſexu habet differentiam. Mas capite, collo & pectoris ſummo, coloris eſt intenſè cœrulei. Caput pro corporis ratione exiguum, maculis variegatum, in vertice apicem, ex nudis plumarum ſcapis virideſcentibus conſtantem, habet. Roſtrum candicat, in extremo aliquantulum recurvum, collum longiuſculum, tenue & exile, dorſum ex albo cinereum, maculis quibuſdam atris tranſverſalibus conſperſum. Cauda ex longis & brevibus conſtat pennis. Longæ ex dorſo propè Uropygium ortum trahunt, quas erigit quandoque & in circulum dirigit, coloris caſtanei, lineis aureis ſurſum repentibus decoratæ, in quarum extremitate ſpecula ſeu oculi, quatuor diſcretis conſtantes circulis, aureo, purpureo, viridi & ſaphirrino. Sub oculis alia eſt macula, modo viridis, modo purpuraſcentis coloris. Hi colores ad Solis ſplendorem variant ſeſe ubi circumgyraverit Pavo. Coxæ, tibiæ, & pedes cinerei ſunt, maculis nigris conſperſi & calcaribus armati. Venter ex cœruleo viridis, prope podicem nigreſcit. Fœmina tam elegantibus non eſt veſtita pennis. Avis naturâ ſalax, unus mas quinque ſufficit fœminis, ova duodecim parit, munditiem amans.

Caro ejus ſalubris & grata eſt, mediæ naturæ inter humidas & ſiccas, ut Caponum, ſed durior aliquanto & fibroſa, coctionis difficilioris, aſſervatam non putreſcere volunt quidam. Venena & venenata animalia fugare dicitur. Jus carnis in Pleuritide commendatur, lingua ad Epilepſiam. Adeps colicis prodeſt. Oſſa uſta, & in aceto trita ac illita lepras & vitiligines emendant. Fumus è pennis combuſtis, oculis exceptus, lippientibus conducit. Fimus Podagræ fervorem mitigat, oculis conducit, & tanquam ſpecificum ad vertiginem commendatur à Quercetano, in primis ſi ab albo Pavone ſit depromptus.

GALLINA GUINEÆ Aldrovando, quibuſdam Numidica Gallina, & Meleagris, Perdix Terræ novæ, avis viſu pulcherrima, pennis infinitis maculis candidis in ſpatiis nigris prædita, corpulentiâ noſtras vix ſuperat, tibias tamen habet longiores; in capite ſupra frontem gibbum habet calli naturam obtinentem, duritie cornu, caudam ſemper gerit demiſſam, non erectam ut noſtrates, in quærendo victu admodum ſollicita, unde huc illuc perpetuo vagatur. Mas à fœminâ non diſtinguitur, niſi quod calloſam illam & corneam ferme in vertice criſtam majorem & eminentiorem habeat.

Carne eſt delicatâ, ova parit eſui apta. Ejus ſuffultam habui pellem, ſed Blattæ & tineæ mihi inviderunt.

PULLUS GALLINACEUS BICEPS. Ante annos circiter novem cum exeundum mihi è domo eſſet, caſu in areâ offendi ovum expoſitum Gallinaceum, grande ſatis, quod cum ſublevaſſem, fractum vidi & in eo formatum pullum imperfectum, qui mihi duplex videbatur. Corticem igitur porrò aperui & bicipitis pulli offendi rudimenta. Albumen conſumptum erat, ſed reſtabat vitellus fermè integer, quem ſeparavi, &, quicquid erat pulli, chartæ impoſui, ut ſiccaretur: erat enim mucoſus plane, ſed perfectè delineatus præſertim quo ad capita.

Exsiccatum in eâdem chartâ asservo, lineamentis in quibusdam vix conspicuis, perinde ac si à pictore esset delineatus. Quamvis omnia mollia & mucosa essent, sanguineo colore permista, nulla tamen pars desiderabatur, cujus non extiterit rudimentum.

AVICULARUM MINIMARUM varias species in Brasiliâ existentes recenset & describit Georgius Margravius Hist. Nat. Brasil. lib. 5. cap. 4. quas generali vocabulo GUAINUMBI vocant. Alias describit Ferdinandus Oviedus, Lerius in Hist. Amer. Thevetus Augustinus Carate in Hist. Peruanâ, Josephus Acosta & alii; quas etiam Guaracayba, id est radius solis, & GUARACIGABA, id est Capillus Solis, Huitzitzil, Ourisia, Tomineo, vocant. A quibus aviculis discrepare illam video, quam dono Cl. D. Sperlingii teneo. Totum ejus corpus, caudam si exceperis, unciam unam magnitudine non attingit. Muscam majorem non superat, plumis cinereis, ad viriditatem inclinantibus, prædita. Capite & pedibus, proportione corporis, minimis & tenuibus, haud absimilis ei quam Thevetus cap. 48. singularium Franciæ Antarcticæ hisce describit, Grandi Muscâ non majorem, quæ, licet omnium avium sit minima, tam elegans tamen est, ut fidem superet. Ejus rostrum oblongiusculum & valde tenue, color cineraceus, & tametsi adeo sit exigua, ejus tamen cantus admodum suavis est.

Mea vero avis hoc discrepare videtur, quod caudam habeat longam, septem circiter unciarum, pennis tam elegantibus constantem, earum pulchritudinem exprimere ut nullus valeat pictor. Ex cœruleo & viridi ita micant ut Chalybs politus cœrulescens, sed majori splendore & gratiâ ad Solis radios varietatem insignem exhibens. Ultimæ duæ in caudâ pennæ, eam, quam dixi, obtinent longitudinem, binæ sequentes tres saltem attingunt uncias, & majoribus incumbunt, hinc minores sequuntur, squammatim quasi reliquis impositæ. An tertia sit GUAINUMBI species à Margravio delineati nondum satis liquet. Ejus mentionem facere videtur Jon. Faber in descriptione Animalium Novæ Hispaniæ pag. 707. Est ex his aliqua, inquit, quæ caudam curtam habet & rotundam Pipionum more: alia vero tam longam & completam, ut bis terve longitudine suâ totum adæquet corpusculum. In hac tres vel quatuor sunt pennæ colore pretioso variegatæ, &c.

Aliâ me donavit Nobiliss. D. Georgius Rosæcrantz, trium unciarum longitudine, quæ cum omnino respondeat ei, quam delineavit Carolus Clusius Exot. lib. 5. cap. 11. sub nomine Ourisiæ sive Tominei, hic pluribus delineare operæ non duxi precium, videatur ipse Clusius.

OSSA CRURIS GALLINÆ PUMILÆ huc refero, quæ cum ſuo radio arcum exquiſitè referunt. Crus enim ipſum cum tres fermè æquet uncias, ambitum ſi metiaris, ita incurvatur, ut duas tantum obtineat. Huic verò obtenditur radius rectus quâ curvaturam jungit, quâ verò fœmur tangit aliquantum incurvatus, rarâ & ſpectandâ Naturæ fabricâ.

Nec omittendum CORNU CAPONIS monſtroſæ longitudinis, eſt namque novem unciarum, in ſpiras eleganter convolutum, ac in apicem acutum deſinens, ſubſtantiâ corneâ, colore ſubluteo, ſtriatum aliquantum. Ejus generatio manifeſta eſt, cum enim caſtrantur Galli, criſtam abſcindere ſolent & calcaria; atque hæc vulneri abſciſſæ criſtæ ita indere ut adhæreant, ac ita paulatim incrementa ſumant, corneam prorſus induentia naturam. Sed in eam longitudinem excreviſſe, quâ meum conſpicitur, non memini me legiſſe unquam.

CAP. XIX.

De Avibus Aquaticis.

INTER aquaticas aves CYGNO non immeritò primæ debentur, tum ob magnitudinem & pulchritudinem, tum ob uſum. Hic OLOR aliàs dicitur. Formâ victuſque ratione Anſeri ſimilis, ſed multo major, totus candidus, plumis mollibus, roſtro parum turbinato, in extremitate obtuſo, colore rufo in adultis, in pullis nigricante, in cujus ſummitate tuberculum nigrum, atque rotundum, ſerratum ſeu dentatum, collo longo & procero, in longitudinem extenſus mediocris viri ſtaturam æquat, crura nigra, digitos pedum nigrâ membranâ junctos habet, hos veluti annuli quidam interſecant in latum, medius digitus omnium craſſiſſimus & maximus, alarum ambitus ſuperior quatuor eſt palmorum, cauda tres palmos longa.

De Cygneâ cantione lis eſt inter Auctores haud exigua, quibuſdam, qui ſtreperum & ingratum ſonum eos quandoque edere animadverterunt, ſuavitatem nullam eorum Cantui tribuentibus, quibuſdam tot Poëtarum & Hiſtoricorum relationibus fidem adhibentibus, de ſuavitate minime dubitantibus. In hanc ſententiam etiam inclinat Aldrovandus, argumento ab aſperæ arteriæ conformatione ducto, ad omnes ſonos formandos aptiſſimâ. Ego, quid de eo mihi conſtet, non celabo.

Erat in familiâ meâ juvenis honeſtiſſimus, D. Johannes Roſtorphius, S.S. Theologiæ Studioſus, Norvagus Natione, hic bonâ fide, interpoſito juramento, ſancte affirmavit ſe in tractu Nidroſiano, ad littus maris ſummo mane, inſolitum ac ſuaviſſimum audiviſſe murmur, ſibilis ac ſonis jucundiſſimis permiſtum, quod unde, aut quo pacto excitaretur cum ignoraret, ſiquidem neminem vidit hujus modulationis authorem, undique circumſpiciens, & jugum promontorii cujuſdam ſcandens, vidit Cygnorum multitudinem infinitam, in ſinu maris vicino conglomeratam, harmoniam hanc modulantem, quâ ſuaviorem in vitâ nunquam audivit. Ab Iſlandis quibuſdam meis diſcipulis percepi, nihil hac harmoniâ apud ipſos frequentius iis in locis ubi Cygni ſunt. Quod ideo adduco, ut, præſtantiſſimorum autorum de hac cantione Cygneâ non vanam eſſe relationem, vel modernis experimentis comprobari conſtet.

Caro cibum non admodum ſuavem ſuppeditat, dura enim eſt, ingrata, difficilis concoctionis. Pellibus, durioribus & rigidiorum ablatis pennis, relictâ plumâ molliori, utuntur ad frigus depellendum, in primis operimenta pectoris & ventriculi ex iis confici

ſolent, coctionem peculiari vi juvantia. Tenellum pullum in oleo decoctum Aëtius mirabile nervorum medicamentum eſſe ait. Adipis uſum frequentiorem faciem erugare, ſedis vitiis ſucurrere, adverſus hæmorrhoides & vulvæ duritiem valere volunt.

MERGANSER Geſneri, Geir-fugl Iſlandorum, avis rariſſima, corpus anſeris habere videtur, licet roſtrum ſit Mergi. Caput cum tertiâ colli parte ex viridi nigricat, collum reliquum album eſt, cum quodam pallore. Infra colli pars & dorſum nigreſcunt, cauda colore cinereo eſt. Alæ dorſum verſus nigræ, mox albæ, dein iterum nigricant, ſed remiſſius, mox iterum albæ ſunt, idque intenſius, extremæ pennæ nigricant. Sub alis prima pars albet, poſterior ex albo nigroque miſta reſplendet. Plumæ ventris & ſupinæ caudæ gilvæ ſunt, quaſi ex albo & flavo miſtæ. Palmipes eſt ut Anſer. Crura & pedes cum membranis inter digitos Minii colorem habent, fœmorum plumæ in pronâ parte variæ ſunt, ſubalbidæ & nigricantes per intervalla. Roſtrum ſimile Mergi Cirrhati, longitudine digiti medii ſeu longiſſimi, color per mediam partem pronam niger, utrinque ruffus vel puniceus, dentes habet ſerratos & aſperos, retrorſum inflexos, & alium ordinem dentium minorum paulo interius in ſuperiori roſtro tantum, cujus extrema portio adunca eſt. Quidam Anatem Italicum vocant. Ego ex Iſlandiâ accepi Anno MDCXLVIII. Ferunt in clarâ luce cæcutire, ac cum natat non niſi caput exſerere.

ANSERIS MAGELLANICI ſeu PINGUINI Hiſtoriam verbis Clariſſimi Cluſii lib. 5. Exotic. cap. 5. proponam, & cum tres hujus avis exſuvias habeam, ac earum unam vivam aliquamdiu domi aluerim, quid præterea in eâ obſervaverim, non diſſimulabo. Marina eſt, ex Anſerum genere, tametſi roſtro diſſimilis, in mari victitans, valde pinguis, prægrandis Anſeris magnitudine, ſuperna parte nigris pennis tecta, ſupinâ & in ventre albis. Collum, quod craſſum & breve, albis pennis tanquam torque cinctum. Cutis craſſa & denſa, inſtar ſuillæ, loco alarum binas parvas coriaceas pinnas habet, in latera, tanquam parva brachia, propendentes, pronâ parte brevibus, anguſtis & rigidis pennulis confertim tectas, ſupinâ autem minoribus adhuc & rigidioribus, iiſque albis, quibus nonnullis locis intermiſtæ nigræ, minime quidem aptas ad volandum, ſed quarum adminiculo velociter natat, maximâ enim parte in aquâ verſatur & terram duntaxat pedibus fœtificationis gratiâ petit, ternæ aut quaternæ in unâ ſcrobe ut plurimum latitant. Roſtrum corvino majus habet, non adeò tamen elatum, valde brevem caudam, pedes nigros, planos, anſerinorum pedum formâ, non adeò tamen latos, erecto & ſublimi capite incedit, demiſſis ad latera pinnis tanquam brachiis, ſic ut procul intuentibus homunculus videatur. Piſcibus duntaxat veſcitur. Illius caro ingrata non eſt, nec piſcem ſapit. Scrobes valde profundas in littore fodit, cuniculi inſtar. Totum ſolum adeò cavum, ubi multæ ſunt, efficientes, ut per illud gradientes nautæ, ſæpiuſculè genu tenus, in eas ſcrobes incidant.

Ex Feroënſibus Inſulis delata ad me erat avis, quam vivam domi per aliquot menſes alui, junior erat, quia ad eam non pervenit magnitudinem, ut anſerem communem mole ſuperaret. Halecem integrum unâ vice deglutire valuit, & quandoque ſucceſſive tres, antequam ingluviem expleret. Dorſi plumæ adeò molles & æquales, ut holoſericum nigrum æmularetur, venter eximio erat candore. Supra oculos aream rotundam, candidam, Daleri magnitudine habuit, ut perſpiciliis dotatam jurares. (quod non animadvertit Cluſius) Nec alæ eam obtinuere figuram, quam idem exprimit, latiores enim paulo erant, cum limbo albo. Quocirca meam avem ad vivum depingi curavi, ut Icon eſſet accuratior.

ANAS PLATYRINCHOS Gesnero sic dicta à rostri latitudine, Germanis quibusdam Skeleudt/ quod instar crepitaculi se habeat rostrum, aliis Lepel-gans/ quod rostrum Cochleare figurâ referat, sed non tam ex Anserum, quam Anatum est familiâ. Rostrum ei nigrum, latum, in extremitate concavum, corneum & tenue, tres uncias longum, in apice partis superioris, apophysi incurvâ & crassiori dotatum, infinitis denticulis mollibus, cartilagineis, pectinis instar armatum, quorum extremam rostri partem ornantes, introrsum versus diriguntur, reliqui verò erecti eminent. Inferior rostri pars corneo constat limbo nigro, dentibus pariter ornato, ut superior; sed membranulâ tenui in medio contexta. Magnitudine est Anatis vulgaris, cujus & pedes habet. Caput nigrum & collum, sed intermistâ viriditate quadam. Secundùm oculos macula alba est;

tergum & cauda nigra. Gula cum ventre tota candida, alæ partim nigræ, partim albæ. Non admodum in nostris regionibus frequens est; capitur tamen hic interdum.

Minor est, attamen elegans ANAS ISLANDICA protensâ caudâ, Havellda ipsis dicta. A vertice ad Uropygium longitudine est pedis unius, cum tribus unciis, caput parvum & compressum, plumis circa oculos albis, in vertice nigris ad cinereum inclinantibus. Ejusdem coloris collum. Dorsum, intermisto colore gilvo, nigricat in Uropygium usque, quod ex albis & nigricantibus mistum est. Ex Uropygii extremitate emergunt pennæ quatuor, acutæ, nigræ, quarum duæ novem uncias longæ, duæ reliquæ, ejusdem coloris & figuræ, tertiam saltem partem longitudinis priorum attingunt. Supinâ parte collum & venter, ad medium usque nigricat, reliquum albicat, cum lateribus quæ alæ tegunt. Alæ pronâ parte plumis teguntur nigris, purpurascentibus, supinâ cinereis. Rostrum instar Anatis vulgaris latum, dentatum, in apice, seu extremitate, ut & parte capitis vicinâ, nigrum, intermediâ eleganter miniatum, parvum est & corpori proportionatum. Pedes brunni coloris, unguibus & intermediâ membranâ digitorum nigris. Quartus digitus, qui posterior & instar calcaris est, latam habet annexam nigram membranam.

Elegans est, & nescio an ab aliis descripta sit.

ANAS ARCTICA Clusii, Lunda Feroënsibus, ad Anates quoque refertur, licet rostro non sit lato. Avis marina latipes, à summo capite, rostro tenus ad caudam extremam usque, novem unciarum longitudinem non superat, densis & confertis pennis, nigris prorsus in dorso & parte primâ alarum, quæ sex uncias longæ, & vix ad caudam usque pertingunt. Cauda binas uncias longa, pennæ pectoris ventrisque & quæ sub caudâ albæ, collum breve, crassum, nigrum, caput parvum; vertex rostro tenus niger, reliquum capitis à rostro ad occiput, supra & infra oculos, album, infernæ parti proximæ, cinerei coloris. Rostrum Anatinis minime simile, unciam cum semisse longum, quodammodo aquilinum & mucronatum, tenue tamen & planum, nam, quâ parte capiti contiguum, sescunciam latum.

Ejus superna pars capiti proxima, callosa penè ut in Psittaci rostro subsequens in quâ rimæ pro naribus, ex fusco subcœrulea, tam in supernâ quam infernâ rostri parte, usque ad primum sulcum. Tribus enim sulcis obliquis prona & supina pars rostri insignitur, spacium inter primum & secundum sulcum, partim candicantis est coloris, partim subrubri, reliquum subrubet, cujus prona pars in mucronem nonnihil aduncum desinit, supina aliquantum sima, quo arctius claudi possit, lingua rostro longitudine respondet ferè, cartilaginosa, subflava, mucronata & quasi triangularis. Pedes in extremo ferme corporis siti, plani, tribus digitis, membranâ junctis, constantes, sine calcari, coloris ex flavo rubescentis, unguibus nigris. Interior digitus in utroque pede tres habet articulationes, medius quatuor, tertius, qui exterior, quinque.

In Insulis Feroënsibus & Islandiâ capitur.

Anatis feræ genus quoddam ex Insulis Feroënsibus ad me delatum EIDER vocant, quo nomine Latini appellitent ignoro, ANATEM PLUMIS MOLLISSIMIS vocare lubet. Mas à fœminâ in multis discrepat, licet lineamenta fermè sint eadem. Mas anatem figurâ plane refert, rostro plano, nigro, magis ad Anseris quam Anatis figuram accedente, in medio duabus foraminibus oblongis, respirationi dicatis, prædito, longitudine trium unciarum, ad latera pectinatum. A foraminibus rostri, per verticem duæ nigerrimæ & mollissimis plumis constantes maculæ supra oculos ad occiput tendunt, quas dividit linea albicans stricta, quæ in colli partem superiorem ex viridi albescentem desinit. Totum vero collum, capitis pars inferior, pectus dorsi & alarum pars superior, candicant; remiges vero pennæ nigricant, ut & pectus totum & Uropygium. Cauda trium unciarum etiam nigra. Pedes tribus digitis constantes nigri, membranâ nigrâ ad extremum junctis. Crura brevia & nigra, digiti unguibus acutis & incurvis armati, calcar habent ex adverso, ad initium cruris situm, simili membranâ & ungue dotatum.

Fœmina ejusdem est magnitudinis & figuræ, sed non nisi unius coloris, fusca, maculis quibusdam nigris hinc inde conspersa, reliquis partium lineamentis mari respondens.

Nidos in cautibus sibi struunt ac ova copiosa sapida pariunt, ad quæ capienda per funes periculose satis se demittunt accolæ, ac eâdem operâ plumas (quas Eiderdun vocant nostrates) quæ mollissimæ & culcitris fulciendis aptissimæ sunt, colligunt. In exiguâ

exiguâ copiâ se valde dilatant, & præ reliquis corpus calefaciunt. Solent enim hæ aves statis temporibus se deplumare, hinc hac merce expetitâ ditant venatores.

ALKA avis est maritima, major Lundâ, rostro lato & nigro, itemque corpore, nisi quod sub pectore & extremis alis albicet, pedes nigri, caput fuscum, nisi quod linea alba ab utroque oculo ad rostri partem proximam ducatur. Nidificat in editissimis scopulis ut Lunda, magnitudine æquans Gallinam minorem. Ova ejus maculata ex albo & nigro. Ex Insulis Feroënsibus ad me delata est.

MERGUS MAXIMUS FARRENSIS, Feroënsibus Ildbrimet, Islandis Himbryne, quasi loricâ cœlesti induta. Ejus Etymologiæ rationes ita reddidit D. Stephanus Olavius, verbi divini in Islandiâ præco fidelissimus, meus olim in Academiâ Hafnienſi discipulus industrius: Himin cœlum, Loricam vero Brynia significat, juxta illud Poëtæ, Brynia gefur ei feigusjör / &c. Lorica non dat morti vicinis vitam. Ratio nominis à colore, ut existimo, petita est, juxta tritum proverbium, Himbrynn hafa himneskan lit / en helvitska röddi / id est, Himbryne cœlesti colore, voce verò infernali præditæ sunt. Voluerunt Islandi hâc nominis impositione significare; aves hasce pulcherrimâ colorum varietate & distinctione usque adeo ornatas esse, ut dici possint cœlestem quandam loricam induisse. Duo pariunt ova, Anserina magnitudine penè superantia. Viridi sunt colore, ferrugineis sparsim aspersa maculis, in stagnis nidificant. Inter volandum, tinnitum more solito edunt, nimbumque & tempestates diuturnas præsagiunt: unde patet Clusium minus bene informatum esse, cum scribit, *Volantem nunquam esse conspectam, nec alarum usum habere ad volandum.* Alæ certè magnæ sunt, corpori avis proportionatæ, ut non videantur frustra illis datæ. Cum capiuntur, maximis viribus reluctantur, hominemque rostro acutissimo ferocissimè petunt: si fœminam capias, ovis incubat maritus, excludit, & pullos educat. Laqueis capiuntur circa nidum extensis.

A Clusio hisce delineatur: Avis est maxima, palmipes, Anseri æqualis, nam à collo, quâ parte pectori conjungitur, usque ad Uropygium, binos pedes longa, corporis ambitus binorum pedum longitudinem superat, alæ quatuordecim uncias longæ, caudâ brevi vix trium unciarum, collum ferè octo uncias longum, ejus ambitus paulo major. Caput breve, tres uncias latum; rostrum nigrum, mucronatum, quatuor unciarum longitudinem superans; lingua penè tres uncias longa, nigra, mucronata, cartilaginea, quodammodo carinata, superiore parte, quâ rostri parti connexa est, parvis dentibus introrsum incurvis utrinque prædita, mediâ autem parte asperâ; palatum similiter quatuor exiguorum & brevium dentium introrsum spectantium ordinibus constat, quibus escam retinet & conficit, nam rostrum dentatum non est.

Totum corpus densis pennis tectum, quæ in pectore, toto ventre, & alarum supinâ parte breves & candidæ, in dorso autem alarumque pronâ parte longiores & nigræ, singulæ tamen circa extremum geminis maculis albis insignitæ, quæ in dorsi quidem lateribus longiores majoribus; quæ verò circa collum in medio dorso alisque & supra caudam, minoribus, sic ut aliæ aliis incumbentes, invicemque tegentes, ad maculas illas usque, eam fere varietatem repræsentent, quæ in Meleagride, seu Numidicâ Gallinâ conspicitur. Collum veluti torque cinctum, è nigris pennis constante, caput etiam similibus pennis tectum. Quæ tamen oculos & rostrum ambiunt, parvis maculis albis sunt distinctæ, sub gutture etiam aliquot parvas pennas albas nigris permistas habet. Prona similiter colli pars, supra torquem illam nigrarum pennarum ad unciæ longitudinem, parvis pennis nigris, latera tamen alba habentibus, exornatur, quemadmodum & ea pars quæ infra torquem, in pectoris lateribus. Infra podicem transversam nigrarum pennarum lineam habet, quas albæ subsequuntur. Dein sub caudâ aliæ nigræ, albis maculis notatæ.

Crura in extremo corpore sita, paulo longiora tribus unciis, plana, nigra, pedes quatuor uncias longi, plusquam tres lati, tribus digitis præditi, quorum interiores tribus articulis constant, breviorèsque sunt, medii quatuor, exteriores quinque, nigrâ membranâ simul connexi ad ungues usque, qui plani; singuli etiam pedes in posteriore parte, paulo supra inflexionem, parvum articulum instar Calcaris habent.

Circa Insulas Feroënses & Islandiam capitur, fœtum in undis educat, nec nisi procelloso mari, ac circa autumnum, hiemisve initium conspicitur. Terram nunquam attingit, nec quisquam volantem vidit, adeò ut nec alarum usum ad volandum, nec pedum

ad

ad incedendum habere videatur, quo fit, ut non nisi capite extet, quando se conspiciendum præbet. Halcyonis speciem quidam esse putant.

COLYMBOS duûm generum habui, quorum unum saltem integrum adhuc possideo, ex altero pedes tantum & caput.

Primum genus CRISTATUM seu AURITUM, cristam habet, plumis circa verticem eminentibus, superius nigris, ad latera rufis instar pilorum Vulpis. Crista verò hæc duplicata est, eminente ad utrumque capitis latus unâ, auris instar. Rostrum duos pollices longitudine æquat, angustum, in mucronem desinens, caput parvum, collum oblongum & angustum, gula, pectus, venterque albicant, & splendore argentum referunt, in reliquo dorso color niger ad purpureum vergens, in alis dilutus est. Pedum digiti terni, lati, adhærentibus membranis, quæ squammatæ apparent, sed aliquousque divisi. Ungues latiusculi, non ut in aliis avibus teretes. Crura juxta anum retrorsum porriguntur, natationi potius quam ingressui apta, fœmoribus in ventre conditis. In ipsâ aquâ nidos ponit, voce altâ clamat, pisciculis vivit. Quidam hoc Mergi genus Cristatum, Cornutum vocant. Videtur URIA esse Bellonii. Depinxit hanc avem Beslerus in Gazophylacio, sub nomine admirandæ avis Cucullatæ aquaticæ species.

Aliud genus Norvegiæ & Islandis frequens, apud nos raro visum, Fridriciburgo adhuc vivum ad me est delatum. Hyeme enim anno MDCXXXVIII. stagnis glacie utcunque obductis, captum est in quadam parte nondum glaciatâ; sed à paucis nisi Norvegis & Islandis cognitum, qui suâ linguâ LUMME vocant. Ejus meminit Carolus Clusius in Auctuario pag. 367. Avis elegans, Anatis magnitudine, rostro nigro & acuto, unciarum duarum longitudine, caput & collum pennis teguntur cinereis, in apicem acutum desinentibus, ac si Cucullâ monachali tegeretur, dorsum & alæ nigræ, maculis quadratis albis consperſæ, quæ tamen majores sunt in dorso quam alis, sub collo quadrata est macula nigra, oblonga, scuti instar, unciarum quinque longitudine, latitudine duarum, undique variegatis ex albis & nigris plumis instar zonæ cincta. Venter totus & alarum partes inferiores candicant. Crura juxta anum porriguntur, non tam incessui, quam natationi apta, plana & lata, non autem gracilia, digiti cujusque pedis tres, nigri, ejusdem coloris membranâ juncti, unguibus acutis & aduncis. Fœmora etiam in ventre reconduntur, ut in priori. E Mergorum vel potius Colymborum est genere, diu enim urinando spiritum continere potest, & eâ nulla alia pernicius se submergit, quod experiuntur qui sclopetis eam petunt. Visâ enim pulveris pyrii flammâ, aquis se condit, antequam globus eo pervenire possit. Nidum propè aquas ita struit, ut, cum necessitas flagitat, in eas se celeriter præcipitare possit. Sed nidum repetitura, infixo terræ rostro se suspendit, donec corpus sublevaverit, ac petitum obtinuerit nidum. Ubi imbres largiores imminere, peculiari naturæ instinctu, persentiscit, pullis ac nido suo ab inundatione metuens, querulo sono aërem verberat: è contra, cum cœli serenitatem & clementiam præsagierit, lætis acclamationibus & alio gratiore sono pullis applaudit, unde de futurâ tempestate certi accolæ, vocem HUI audientes, exclamare solent Norvegi. Da werte brat wate af / di Loomin quia Saa. Serenitatis prænunciam vocem Karloa (sic enim clamare videtur) sentientes: wi far braat/ inquiunt, turre sive torre/ di Loomin roope turke rafft. Ova singulis annis terna vel quaterna ponit, magnitudine Anserinis paria, coloris prasini & maculata. Statis anni temporibus in loca calidiora migrare dicunt, nec ante adultum Ver redire; unde ominosum putant, si quis redeuntis sonum jejunus primum percipiat. Norvegi nefas putant avem hanc interficere aut turbare, quam sanctam existimant.

Retibus

21

Retibus involutam inviti quandoque capiunt; quandoque ſclopetis petunt. Iſlandi, quia eam comedunt, vel laqueo captant, vel lineâ piſcatoriâ. Binos ad nidi aditum humi defigunt palos, à quibus ſupenſum ita aptant laqueum, ut nidum petitura caput ei inſerat. Vel ſtagnum in quo verſatur, anguſtiore ſui parte, piſcatoriâ tranſmittunt lineâ, ita ut ejus extremitates quiſque ad ſtagni latus teneat, ac aquæ ſuperficiem eâ ſtringat, donec inſidias metuens avis fundum petat. Locum hinc ubi rurſus emerſuram ex circulis in aquâ factis notantes, eò laqueum lineæ adhærentem dirigunt, ut jam emergens ei collum indat, atque ſic capiatur.

Exſuviæ ejus & capiti & pectori à frigore muniendo deputantur, Cygneis namque præferuntur. Hanc avem depinxit Beſlerus in Gazophylacio, hoc titulo, Singularis Hirundinis Aquaticæ exoticæ ſpecies. Sed cum Hirundine nihil ferme habet commune.

FULICA, FULIX Latinis, Folega Italis, pullus aquaticus quibuſdam, Bleſaand Danis, à maculâ albâ quam in fronte gerit, ſed è genere Anatum non eſt, ad Mergos potius referenda.

Magnitudine eſt Gallinæ, colore nigro per totum corpus, in collo quidem & capite atro. Roſtrum acutum & molle ex albo rubeſcit, ſinciput glabrum, figurâ ovali, albâ pelliculâ tectum, calvitiei ſpecie, toto capite gallinam referens, ventris plumæ molles & confractæ colore cinereo. Alarum (quæ breviſſimæ) ambitus per anguſtam lineam albicat. Digitis pedum membranæ nigræ latæ adhærent, non, ut in reliquo ferè Palmipedum genere, continuæ, ſed divulſæ, ut in Colymbo. Sed hoc peculiare habent, quod ſecentur utrinque, aut ſaltem ab alterâ parte juxta digitorum articulos, præſertim in medio. Internodia membranarum ſemicirculos ferme conſtituunt. Color pedum niger in recenti non exſiccato. Supra genu, ubi deſinunt Plumæ, pars fœmoris in ambitu ex viridi flaveſcit. Collum oblongum, cauda breviſſima. Verſatur ſemper in aquis & ſtagnis. Recta pedibus incedit & velociter currit. Ungues grandiuſculi & nigri. Hyeme potiſſimum conſpicitur, tempeſtatibus gaudet. Querula eſt & vociferans, præſertim quando eſurit. Caro haud grata & conveniens ventriculo, nam grave quid & paluſtre ſapit.

CAP. XX.

De Avibus circa aquas degentibus.

AB Aquaticis ad eas quæ circa aquas degunt tranſitum faciamus. Hic jam primo occurrit CICONIA NIGRA, in Provinciâ Stevanienſi capta, quam ad me tranſmiſit Nobiliſſimus Vincentius Bilde de Waldbygard. Avis certe apud nos rara & inſueta, ſed in montibus Helveticis frequentior, atteſtante Geſnero.

Figurâ eſt vulgari Ciconiæ ferme ſimilis, à principio roſtri ad extremos pedes extenſa dodrantes quinque cum dimidio excedit. Dorſum totum nigrum apparet, viridi ſubcœruleo & pauco purpureo mixto, ſed venter & latera ſub alis albo. Roſtrum magnum & validum habet, colore puniceo, ut crura & pedes. Longitudo roſtri ſuperne à mucrone extremo, modicè deorſum inflexo, uſque ad dimidium plumarum capitis, digitis octo, oculos pellicula rubra ambit orbicularis, collum pedem longum, Alæ dodrantes quatuor, cauda dodrantem, ſimiliter cruris pars ſupra genu ad coxam, à genu ad pedem paulo brevior.

Corpus inter collum & caudam dodrantem, ſimiliter cruris pars ſupra genu ad coxam, à genu ad pedem paulo brevior. Corpus inter collum & caudam dodrantale. Dorſum & pectus latiuſcula. Pes quatuor conſtat digitis diviſis, tribus anteriora, uno poſteriora verſus, quorum medius eſt quinque digitorum longitudine. Sono eam crepitare ajunt, ut aliæ Ciconiæ.

Aſſervare integram non potui, quocirca caput, alæ, & pedes ſaltem mihi ſunt ſuperſtites.

Viribus cum aliis convenire Ciconiis dubium non eſt, cum color ille externus tantam differentiam non conſtituat, ut hinc viribus aliquid decedat.

ARDEA, πελλὼν Græcis, Avis eſt ciconiæ fermè magnitudine, roſtrum luteum & robuſtum habens, prope frontem craſſum, ſed paulatim tenuius evadens, oculorum pupillam nigram lutea ambit iris, croceo permixta cinereo cirrho ex tenuibus pennis conſtante exornatum. Pennæ ſub cirrho ad cianeum inclinant, retro oculos & juxta mentum albicat. Collum ſuperius, dorſum totum, alæ (exceptis pennis majoribus) cauda

Leucophæi

Leucophæi coloris, alarum remiges nigricant, venter candicat, ut & pectus & collum inferius, fœmora pennis nuda, coloris lutei, crura & pedum digiti fusci, ungues atri, digitos parva interstinguit membrana. Posticus digitus longiusculus est, & anterioribus longitudine penè æqualis, quod in aliis aquaticis raro observatur.

Ardeam in Angliâ occidere capitale esse ferunt. Tantâ prædita est continentiâ, ut ad Venerem accessura dies quadraginta tristetur. Excrementa sua si in accipitrem ejecerit, pennas ejus & putrefacit & exurit. Astute insidiatur piscibus, nam Solis ita excipit radios, ne illi visâ umbrâ refugiant. Pede aquæ imposito tanquam illicio pisces allicere dicitur. Si pedes per descensum destillentur, & oleo inde collecto inungantur manus, pisces sponte ita advolabunt ut manibus comprehendi possint.

ARDEÆ NIVEÆ caudam & alas ex Brasiliâ accepimus: quam avem ita describit Margravius Hist. rerum Nat. Brasil. lib. 6. capite ultimo. Reperitur, inquit, & hic Ardeæ species, tota alba, rostro croceo, recto, acuto, oculis nigris, circulo aureo, cruribus & pedibus nigris. Rostrum habet quinque digitos longum, collum longissimum, nimirum quinque digitos supra pedem, corpus septem digitos longum; caudam quinque, cum quâ alæ desinunt. Crura superiora octo digitos longa, & ex parte pennis vestita, inferiora sex digitos. Digiti pedum communi modo se habent, quorum medius anteriorum, quatuor digitos longus, reliqui breviores; omnes unguibus lunatis & nigris præditi.

ARDEA STELLARIS apud nos non adeò infrequens. A quibusdam Asteria, Butaurus, Buteo & Butorius dicitur, aliis Bos palustris. Nobis Rördum. Sed diversa avis est ab eâ, quæ Onocrotalus dicitur.

Avis est ex Ardearum genere, toto enim corporis habitu eas repræsentat, longis cruribus, sed vulgaris Ardeæ minoribus, collo longo & mirè plumoso, rostro acuto. Caput pennæ tegunt nigerrimæ, reliquum corpus fuscæ & pallidæ, maculis nigris densissimè respersæ; pedes habet longos. Nam inter extremos ungues medii digiti pedis & calcis spithami fermè est longitudo. Ungues habet longos, lunatos, acutos. Nam ille, qui calcis vicem in avibus gerit, longitudine sescunciam superat. Cauda illi brevissima, stomachus capacissimus, vorax enim est. Infixo in aquam, lutum, terram, aut, ut alii volunt, arundinem, rostro, mugitum instar tauri edit, qui à longe percipitur, unde instrumenta ad sonum fabricandum diversa ab aliis obtinuit avibus. Ad ripas lacuum & paludum otiosa desidet, pisces observans, nec fugit hominem advenientem ad nidum usque. Sonum verò istum Verno tempore potissimum edit, cum in Venerem agitur.

Ungulis auro aut argento inclusis ad dentiscalpra utuntur. Mihi viva fuit; cujus pellem postea farciri curavi; sed à tineis adeo exesa jam est, ut nil nisi caput & pedes restent.

ARQUATA seu Numenius, Gallis Corlis, à rostro quod habet instar arcus curvato nomen traxit.

Ab extremo rostri ad pedes ultimos extensa, septem circiter palmos longitudine æquat. Colore est cinereo, maculis fuscis & subrubris distincto. Rostrum habet falcis

instar incurvatum, nigrum, longitudine pedis dimidii, paulò crassius pennâ olorinâ, lingua exigua est, brevis admodum, sub ventre candida & maculis nigris variegata. Collum sex digitos longum, colore obscuriore aliquantum. Alæ magnæ & egregiis, partim albis, partim fuscis, maculis variegatæ. Crura oblonga, colore subfusco, digiti tres anteriores validi & crassi, posterior brevis, dimidia fœmoris pars supra genua plumis caret. Fœmina minor aliquanto est mare, & maculis prædita magis fuscis. Dorsum & alæ nigricant. Vermibus victitat & ova parere quina, gallinaceis magnitudine simillima, ajunt.

Elegans est avis Brasiliana GUARA dicta, quæ cum nostrâ Arquatâ figurâ & magnitudine planè convenit, sed colore prorsus differt. Frequentissimam ait Margravius Hist. Nat. lib. 5. cap. 8. in Marahoon & Rio Jennaro, tam in aquis quam terrâ degens. Rostrum habet falcis, seu ensis Polonici figurâ, longum, ex albo flavescens, oculos nigros, collum & corpus instar Albardeolæ. Alæ desinunt cum caudâ, quæ brevissima est, & demissa crura longa, quorum superior medietas pennis vestita, reliqua nuda, digiti pedum quatuor communi modo longiusculi, brevibus unguibus propè exortum, cute inter se connexi, crura autem nuda cum pedibus, coloris ex albo grysei, uti & rostrum.

Tota avis vestitur pennis elegantis coloris Coccinei, remiges tantum alarum nigras habent extremitates. Hæc avis primum exclusa coloris est nigricantis. Hinc evadit cinerei, deinceps albi, sensim autem rubescere incipit, & secundo ætatis anno coloris est in totum, quem Columbin vocant, quoque magis senescit, eò magis elegantissimum illum colorem Coccineum acquirit. Victitat Piscibus, carne, adjunctâ semper aquâ.

Brasiliani è plumis hujus avis varia componunt corporis ornamenta. Togam hic apud amicum vidi.

Avem meam ex Brasiliâ secum adduxit Nobilissimus D. Christophorus Lindenow, sed ego dono Clarissimi D. Collegæ D. Johannis Resenii possideo.

Agmen claudat VESPERTILIO, qui an avibus, an quadrupedibus sit annumerandus dubitant multi, attamen illorum potius accedendum arbitror opinioni, qui in classem avium nocturnarum eum referunt. Volat enim, quod nullis competit quadrupedum, nec pedibus incedere visus est, licet reptando aliquantulum serpat, & duos saltem perfectos habet pedes, reliquos imperfectos.

Mihi cum unus sit quatuor præditus auribus, eum hic delineabo. Capite est murino, cui quatuor auriculæ ita constitutæ, ut duæ, quadruplo ampliores aliis, minores alias duas complectantur. Rictu amplo & magno, nares vitulinæ, dentes murini, lingua longa, libera, pupillæ oculorum nigræ. Alæ membranaceæ, quæ ab armis per latera & axillas continuo ductu ad crura usque feruntur eaque ambiunt, quatuor plicis præditæ, quibus dilatantur & contrahuntur, hamulis acutæ. Per has vero rudimenta quædam brachiorum nervosa disposita sunt, quæ in uncum desinunt. Color corporis niger seu murinus. Pedes membranâ inferiori parti annexi, in quinos digitos dissecti, unguiculis aduncis armati, in medio ampli, palmam manus quasi referentes. Inter pedes cauda exigua membranis involuta.

Interdiu

Interdiu parum, noctu melius videt. Voce est exili, gannitum potius quam sibilum referente, carnibus, larido, & culicibus vescitur.

Ad Schirrum Lienis ex iis mundatis & in pulverem redactis, medicamentum conficit Avicenna. Ad Podagram Cataplasma ex iisdem conficit Galenus. Sanguis pilos exstirpat, ut & cerebrum. Urinam vim venenatam & septicam habere tradunt. Morsum etiam venenatum quidam putant, quem aquæ marinæ ablutione, vel cinerum calentium applicatione curandum docent.

Cranium avis SEMENDÆ cum rostro ex Indiâ Orientali attulit quidam nostratum, quod Regni Admiralio D. Ovenio Giedde obtulit, qui mihi id dono dedit. De eo ita disserit Aldrovandus Ornithologiæ lib. 12. De Semendâ Neoterici, qui de Indiâ commentarios ediderunt, multa eaque parum verisimilia commenti sunt, pro veterum Phœnice nobis obtrudere conantes. Equidem caput Semendæ nullo pacto caput Phœnicis refert, quoniam ad Aquilinum quodammodo accedere debebat. Cum verò Cranium hoc Aquilino capite vel quadruplo majus sit, itaque vel eorum Semendæ, vel certe veterum Phœnicis minimè fuerit. Damasco allatum erat, curvum, valde crassum, colore albicante in anteriore parte, in posteriore verò purpureo obscuro, figurâ ovali. Rostrum erat palmum longum, admodum acutum & intus cavum quidem, sed sine tribus illis fistulis, quibus Musicam harmoniam à Semendâ suâ edi illi fabulati sunt.

Meum Semendæ Cranium ex tractu Coromandel Orientalis Indiæ allatum est. Ab apice rostri ad primam vertebram colli decem circiter erat unciarum longitudine, latum eâ parte, quâ tuber prominebat, uncias quinque, sed amplitudine pedem Romanum æquabat. Rostrum ipsum acutum, colore buxeo, ad tuberis initium longitudine unciarum quatuor.

Hinc tuber ovali figurâ eminet, altitudine trium unciarum, anteriore parte buxeum, per ambitum usque ad Cranium, coloris purpurei, qui color inferiorem mandibulam etiam exornabat eâ parte.

Hanc partem mox excipit Cranium ipsum, cute adhuc tectum, in quo utrinque duo grandia foramina, oculorum orbitas constituentia, & in occipite unum, pro spinalis medullæ exitu, cum duabus prominentiis, quibus inferior maxilla adhæret. Grave est adeo, ut totum pendeat uncias octodecim. Ex residuis plumarum, colligitur coloris fuisse brunni, seu atro purpurei, quod etiam refert is, qui sclopeto avem in Indiâ trajecit ac huc secum tulit, addens eam magnitudine Cygni esse, eumque fermè superare collo oblongo, cruribus altis & rubicundis, digitis discretis. Petita glande in adversarium se ultura involavit. Pugnax & animosa esse videtur.

PHOENICOPTEROS avis est rara, de quâ disputatur an cognita fuerit Aristoteli. Gallis Flambant dictam volunt, à colore flammeo. Scaliger eam his delineat. Rarior Phœnicopteros, sed cognitu facillimam efficiunt notæ multæ peculiares. Rostrum neque rectum planè, sed neque aduncum habet, Scythici arcus potius partem imitatur, cinereum colorem nobilitant alarum puniceæ pennæ, à quibus & nomen, earum quoque nonnihil ad caudam, quam hujus generis longicruris levibus brevissimam habet, ac veluti præcisam. Sub rostri initium ad colli commissuram, sinus turgidus est, qualis & in Ardeolâ. Crura pedesque alis habet concolores, sed adeò breves, ut, cum in homine Galenus agnoverit longissimos, huic omnium, quæ nota sunt nobis, animalium brevissimos attribuere potuerit. Magnitudo ei Ardeæ. Hæc ille. Verum esse illud comperi quod ait Cardanus, Phœnicopterum mandibulam movere superiorem, sed non adeo causam manifestam esse ut in Crocodilo.

Addam quæ de eâ ave refert Gassendus in vita Pierescii lib. 3. Noctu potius quam interdiu capit cibum, ex pane aquâ madefacto; præsentit frigus adventans ac tum ad ignem accedit, pedibus interdum ut cremetur: dolente pede altero, illius vice utitur rostro, ipsoque & altero pede alternando incedit. Dormit erecta in alterum pedem, reliquo in ventrem plumasque subducto. Parci est somni.

Mihi caput ejus cum rostro dono datum est ab Ornatissimo Juvene D. Ludovico Hummel Dantiscano, quod longitudine uncias octo superabat. Ipsum caput, excepto rostro, trium erat, anserino haud majus, plumis ex albo rubicundis. Rostrum ipsum figuram à Scaligero delineatam obtinet, in medio crassum satis, sed cavum, à cranio ad Curvaturam coloris cinerei, cum intersperſâ rubedine, sed à curvaturâ ad extremum apicem, qui acutus est, nigrum planè, superiore ejus parte utrinque ad latera Canaliculatum,

latum, ad ſui exortum duobus grandibus foraminibus, olfactui deputatis, præditum, in extremitate aduncum, interne denticulatum, cum coſtâ, ſeu eminentiâ in medio. Pars verò inferior nigra, frequentibus prædita ſtriis ad extremum excurrentibus, longitudine verò cedit ſuperiori, ſed ampla & capax, craſſæ linguæ (quæ aberat) excipiendæ apta. Superiorem, non vero inferiorem mandibulam in hac ave mobilem, ex hoc roſtro patet. Linguam hujus avis veteribus Romanis in delitiis olim fuiſſe, docent cupediarum magiſtri Apitius & alii.

PASSER NIVEUS. Paſtor Pagi Kerſlóf in Selandiâ, cum anno MDCXLIX. menſe Octobri circa veſperam in Cœmiterio deambularet, vidit aviculas duas invicem certantes in vicinâ conſediſſe Sambuco: Quas cum prehendere tentaret, avolavit altera; alteram cepit & mihi tranſmiſit, quæ tota erat candida, è genere paſſerum, quos & ſtridore & toto corporis habitu æmulabatur. Hunc paſſerem exenteratum & exſiccatum in Muſeo ſervo, etſi nihil in eo rari ſit præter colorem. Tales albos paſſeres obſervavit Cælius Rhod. libr. 27. cap. 11. Scalig. Exer. 59. Aldrovand. lib. 15. Ornith. cap. 10. & quibuſdam in locis Norvegiæ hyeme paſſeres omnes niveum colorem acquirere, fide dignâ relatione accepi.

ALBARDEOLA ab aliis Ardeis roſtro maxime differt, illæ enim acutum, hæc latum habet inſtar Cochlearis efformatum, unde & Alberto Cochlearia dicitur, aliis Platea, Leucorodion quibuſdam, Platelea Ciceroni, Germanis Leffel-gans.

Integram avem ex Inſulis Feroënſibus accepi, ſed roſtrum antea habui maris ut videtur, differunt enim colore, quod vel ſexus vel ætatis ratione contingere puto. Roſtrum enim, quod antea poſſedi, majus eſt illo, quod in ave viſitur colore variegato ex albo & maculis tranſverſis oblongis, extremitas albicat, ad flavum inclinans. Verum quod in ave viſitur totum colore fuſcum eſt. Cæterùm ipſam avem, quam teneo, quod concernit, tota nivea eſt, magnitudine Anſerem non attingens, nam paulo minor, capite anſerino, ſed roſtrum habens octo uncias longum, planum, ſubſtantiâ coriaceâ, durâ, ab initio duos digitos latum, inde paulatim arctatur, ut medio ſui vix digiti latitudinem expleat, hinc rurſus ampliatur, donec in extremitate (quæ Cochlear figurâ ferme refert, cum apice acuto) tres digitos compleat, intus ut & inferius lineis & tuberculis quibuſdam dotatum, cujus tota circumferentia lineâ ſeu ſulco quodam cingitur. Collum longum, corpus totum candidum, crura nigra, longa, digitos pedis membranâ parvâ junctos habens, cauda digitos ſeptem longa, alæ planè albæ, quamvis in aliis in extremitatibus nigræ ſint animadverſæ.

Circa littora Oceani verſari ſolet & quatuor fœtus alere, apud Anglos ejus caro in delitiis eſſe ſolet. Piſcibus veſcitur, quos Mergis & aliis maritimis avibus eripit. His enim roſtro caput ferit, ut prædam relinquant, quam ipſa captat. Ranis quoque & ſerpentibus veſci volunt, herbas quaſdam in ejus ventriculo invenerunt quidam. In aquam immiſſa natat & roſtro in fundo alimentum quærit.

ANATIS feræ genus ex Inſulis Feroënſibus ad me delatum, quod nullibi adeo frequens ac in Septentrione EIDER, quo nomine Latinis vocetur ignoro, cum dubitem an ab ullo ſit deſcriptum, ANATEM PLUMIS MOLLISSIMIS vocare lubet. Mas à fœminâ colore maxime diſcrepat, licet lineamentis conveniat.

Mas roſtrum habet nigrum, parvum, magis ad Anſeris quam Anatis figuram accedens, carinatum collum verſùs longitudine trium unciarum, duobus foraminibus ovalibus in medio ferme præditum, reſpirationi dicatis. Ab his per verticem duæ nigerrimæ & molliſſimis plumis conſtantes maculæ ſupra oculos ad occiput tendunt, quas dividit linea albicans ſtricta, quæ in colli partem ſuperiorem, ex viridi albeſcentem, deſinit. Totum vero collum, capitis pars inferior, pectus, dorſi & alarum pars ſuperior candicat. Remiges vero pennæ nigricant, ut & pectus totum & Uropygium. Cauda trium unciarum etiam nigra, crura & pedes tribus digitis conſtantes, membranâ nigrâ juncti & unguibus acutis lunatis dotati, quibus reſpondet calcar pari modo ungue & membranâ præditum. Fœmina ejuſdem eſt magnitudinis, ſed ſolo colore differt: fuſca enim tota eſt & maculis quibuſdam nigris, maxime circa pectus, conſperſa.

Nidos in cautium ſummitate & rimis conſtruunt ac ova copioſa Gallinarum inſtar ponunt, ad quæ capienda per funes periculoſe ſatis ſe demittunt aucupes, qui plumas earum potiſſimum venantur; molliſſimæ namque ſunt, leviſſimæ, & exiguâ copiâ in culcitris mire ſe diffundunt. Eiderdun vocant noſtrates, & maxime expetuntur ac carè ſatis venduntur.

duntur. Solent namque hæ aves, nidos ubi ſtruunt, pectus deplumare ut plumis eos fulciant, quo ova in cautibus molliter locentur, & ab earum calore melius excludantur. Hinc nidos tantopere expetunt accolæ.

CAP. XXI.

De Nidis & Ovis.

AD avium claſſem Nidi & Ova referenda, in quibus cum raritas etiam quædam occurrat, minime à nobis prætermittenda.

Adferri nuper ad nos cœperunt ex Indiâ Orientali Nidi quidam avium, dimidii ovi anſerini magnitudine, ſubſtantiâ Ictiocollam referente, variis ramulis hujus ſubſtantiæ intertextis conſtantes, quos in jure coquunt & diſſolvunt, atque ita comedunt, in primis ii qui in caſtris Venereis ſtrenue ſe exercere ſtudent. De quibus cum nihil apud auctores invenerim, amicum meum Clariſſ. Virum D. Joh. de Laet, Hiſtoriæ Americanæ autorem conſului, ut, quid de iis perſpectum haberet, indicaret; qui Anno MDCXLVIII. octavo Julii ita per literas reſpondit.

Nidi avium, de quibus ſcribis, ad nos adferuntur ex Indiâ Orientali, qui Ictiocollam referunt, dedi operam ut cognoſcerem, quinam illi eſſent, & à duobus qui ibidem cum ſummâ poteſtate præfuerunt didici, ad oram Indiæ, quæ Coromandel vulgo dicitur, & præcipuè Patanen eſſe aviculas quaſdam (quarum tamen nomen ut & nidorum non meminerunt) quæ ex glutinoſâ quâdam ſubſtantiâ, ut res ipſa docet, conficiunt nidulos hemiſphæricos, quos petris arduis & abruptis affigunt, inſtar hirundinum, quos indigenæ avellunt & opulento commercio ad Sinenſes & alios mittunt. De facultatibus variant, alii enim aliquid Venereum illis tribuunt, alii non. Diluuntur & coquuntur in juſculis, & materies, cum ſit glutinoſa, furculis decerpitur, cum voluptate quadam, ut ajunt, devoratur. Nomen autem avium, ut jam dixi, ignoro, minimas eſſe teſtantur, à quibus hæc accepi, & in nidulis interdum viſuntur plumulæ & interdum teſtularum ovorum fragmenta.

Inter OVA magnitudine eminet STRUTHIOCAMELI, quorum mihi tria ſunt, caput pueruli magnitudine æquantia, oſſeâ duritie. Ex iis pocula conficere ſolent quidam auro & argento incluſis. Imo Garamantes pileos, & capitis tegumenta, aſſerente Plinio.

OVUM MONSTROSUM mihi eſt, quod inter alia ova Gallinacea in nido inventum in ædibus meis Anno MDCXXIV. octavo Junii, ſubventaneo ſimile, magnitudine ovi Anſerini, cruſtâ duriore carens, cujus tamen rudimenta aderant. Integrum dum erat, licet exterius molle, interius tamen durum quid tactu in eo deprehendere licuit. Aperui, ac primo in eo materiam quandam mucoſam inſtar Albuminis ovi deprehendi, cui innatabat alium ovum ſubventaneum, longum, contortum. Quod fractum etiam Albumine ſine Vitello erat refertum.

OVUM MAGICUM. Ex Norvegiæ Præpoſiturâ Næſs, Diœceſis Stavangrienſis, delatum ad me eſt ovum, vulgari ovo Gallinaceo prorſus ſimile, integrum, cum hac narratione, trium virorum fide dignorum manu & ſigillis confirmatâ. Fœmina quædam honeſta Anna Amundi filia, uxor Guldbrandi Erlandſonii in Sundby, quæ in matrimonio ante duodecim peperit liberos, qui adhuc ſunt ſuperſtites. Anno MDCXXXVIII. quarto Martii in morbum incidit, qui in annum ſequentem MDCXXXIX. duravit. Cum decimâ-ſeptimâ-Aprilis vehementius doloribus ventris torqueretur, vicinas convocavit, & circa veſperam ovum peperit, quod cum aperirent, Vitello & Albumine prorſus nihil diſtabat à communi ovo Gallinaceo. Decimâ-octavâ Aprilis, iterum doloribus correpta parturientium ſimilibus, circa meridiem, præſentibus fœminis iiſdem, aliud peperit, quod integrum in aulam huc cum fide dignorum teſtimonio literis conſignato tranſmiſſum, meæque tandem cuſtodiæ traditum. Quod inter rara mea adhuc reconditum ſervo. Tantis vero parturiginis doloribus divexatam ſe conquerebatur Mater, quantos nunquam in aliis partibus eſſet experta, quod & fœminæ præſentes teſtabantur. Unde per aliquot ſeptimanas poſt lecto affixa detinebatur, antequam vires recuperare potuerit.

Partus hic nequaquam Naturalis eſſe potuit; quocirca præſtigiis Diabolicis tam excitatos fuiſſe dolores iſtos, quam ova ſuppoſita, exiſtimamus.

Sunt

Quamvis à vulgari ovo Gallinaceo nihil aut parum discrepet, ob raritatem tamen facti, & quia vix ante tale quid auditum, hic delineationem ovi observatâ naturali magnitudine exhibemus.



Sunt mihi alia præterea variarum avium monstrosa ova, tam quoad figuram, quam magnitudinem, in quibus varium Naturæ lusum contemplari licet, sed ea speciatim delineare ac describere nimis foret operosum. Inter ea verò memorandum Ovum Columbinum, quod magnitudine vix superat Pisum grandius.

Testudinis parvæ terrestris, ex Hispaniâ advectæ, mihi oblatum est ovum hic Hafniæ in horto civis cujusdam exclusum, quod candidum est, & licet amplitudine Columbinum ovum grandius non superet, duplo tamen longius est.

DE PEDESTRIBUS.

CAP. XXII.

De Lacerto Indico, Monstroso, Viridi, Argentei coloris, Facetano, Iguanâ, Scinco, Crocodilo, Testudine marinâ, Stellatâ, Tessellatâ, Vulgari.

ESTANT in censu Animalium PEDESTRIA, quæ in terrâ maximâ ex parte degunt, & quatuor ordinariè prædita sunt pedibus. Hæc, Aldrovandum secuti, in tres, ratione dispositionis pedum, dispescimus classes seu genera. Primum ἀχιδὲς & ὀνώνιχον, seu μονόχηλον vocant, unâ tantum præditum ungulâ, Solidipedem Plinio; Alterum quorum anterior & posterior pars cujusque pedis scissa est, Græcis δίχηλον, Latinis Bisulcum; Tertium πολυδάκτυλον, seu multifidum & multipliciter digitatum; quoniam hæc animalia pedes habent instar manuum humanarum fissos, quæ etiam anterioribus pedibus, non solum ad gradiendum, sed & apprehendendum utuntur. Horum alia vivum pariunt animal, ζωοτόκα, vel vivipara dicuntur; alia ova, ὠοτόκα, inde ovipara.

Hæc cortice teguntur, illa pilis, exceptis Echino & Histrice, quæ aculeis armantur. Nos, quoniam ab imperfectioribus ad perfectiora ascendimus, ab oviparis, utpote reliquis hebetioribus, initium faciemus.

OVIPARA ratione integumentorum differunt; quædam enim cute, quædam corio membranaceo, quædam squammato, quædam crustâ durâ teguntur.

Inter

Inter ea, quæ ſquammato ſunt corio, primas tribuimus LACERTO INDICO, qui lib. v. Exot. cap. 20. à Carolo Cluſio deſcribitur. Sed quoniam ipſum animal non vidit, ſed juxta Iconem à Jacobo Plateau tranſmiſſam illud delineavit, in multis labi mihi videtur, quocirca juxta exemplum, quod in Muſeo meo extat, illum exhibeo. Quatuor fermè pedum Romanorum eſt longitudine, novem unciarum ambitu, capitis & colli longitudo, uſque ad anteriores pedes, octo fermè unciarum, ab anterioribus cruribus, ad poſteriora, novem; cauda, in longum & tenuem deſinens mucronem, pedes duos & uncias quatuor explet, colore fuſco, ſed maculis variis, nunc majoribus, nunc minoribus, quadratis, & formâ Rhomboideâ, inordinatè diſpoſitis, per totum corpus variegatus, quæ maculæ colore ex albo ad cœruleum vergunt. Cutis ſquammis veſtita, circa caput & collum rotundis, mox ad dorſum quadratis, per caudam oblongis circulariter diſpoſitis, in ventre verò majoribus & longioribus multo quam in dorſo. Caput quatuor ſaltem unciarum, Mandibulâ ſuperiore mobili, ut in Crocodilo, indiſcrete poſitis cruſtis veſtitâ. In ejus apice foramina duo mediocria, poſt quæ oculorum orbitæ oblongæ, hinc ad collum foramina duo obſcura, auditui procul dubio deputata.

Rictus pro ratione capitis magnus, ſupernè & infernè dentibus horridus, quorum anteriores acuti, parvi tamen, poſteriores obtuſi, utrinque in inferiori maxillâ ſeptendecim. Crura anteriora minora & graciliora poſterioribus, toroſa tamen & craſſa, ſupernè majoribus, infernè minoribus ſquammis dotata. Pedes graciles, quinque digitis præditi, quorum medius longiſſimus, reliqui ad latera paulatim decreſcentes. Poſteriora crura duplo craſſiora & longiora, majoribus etiam veſtita ſquammis. Pedes parvi, ſed longiſſimis præditi digitis & valde inæqualibus. Ex quatuor, qui cohærent, minimus primus, major ſecundus, & hoc major tertius, ſed quartus omnium longiſſimus, quintus primo longitudine reſpondet, ſed tenuior, & ab aliis longius ſegregatus, ab ipſo crure ortum trahens. Unguibus omnes dotati incurvis, acutis & flaveſcentibus. Mentum ei craſſum & protuberans, ſed minus quam in Iguanâ.



YVANÆ ſeu IGVANÆ hiſtoriam accuratè ſatis nobis tradit poſt Cluſium & alios Clariſſ. Vir D. Joh. de Laet, deſcriptione Indiæ Occidentalis lib. 1. cap. 9. ubi ait. Amphibium eſt animal, Lacerti formâ, cute partim cinerei, partim fuſci coloris, quæ ſquammulis quibuſdam tecta, circa caput quidem majoribus, in tergo autem & ſub ventre minoribus, caudâ oblongâ, quam ſimiles ſquammulæ quibuſdam ordinibus ab initio ad finem ambiunt, ita ut quartus quiſque è majoribus conſtet, eleganti varietate, à cervice

ad extremam penè caudam, per dorsi medium spinæ quædam mucronatæ instar serræ descendunt. Rictus satis amplus, in utrâque mandibulâ plures dentes, breves & peracuti; oculi grandes & depressiores: binas habet nares in extremâ penè superioris rostri parte. Ponè caput foramina duo, piscium branchias referentia, sub cervice ingluviem ad pectus usque pendulam; crura quatuor, quorum duo anteriora minus crassa, brevioraque quam posteriora, singula autem quinque digitis distincta, quorum quidam binis, alii ternis, alii quinis articulationibus constant, omnes nigricantibus & acutissimis unguibus armati.

Taciturnum est animal & inediæ patientissimum, ova parit quadraginta aut quinquaginta, rotunda, testâ admodum tenui & fragili, nucum magnitudine, albumen & vitellum continentia, non minus grati saporis, quam caro animalis. Utrisque enim tam barbari, quam alii vescuntur, eaque in primis laudant. In terrâ juxta flumina & lacus ova deponit & excludit. Oviedus monet, dum ova ejus friguntur oleum aut butyrum non esse addendum; alioqui nunquam percoqui posse, sed aquæ momentum affundendum. Observavit idem, carnes hujus animalis noxias esse illis, qui aliquando lue Venereâ laborarunt, recrudescere enim malum dudum sanatum.

Franciscus Ximenes in capite hujus animalis interdum lapillos reperiri ait, qui præsentissimo remedio lapides renum comminuant, Drachmæ pondere in liquore idoneo hausti aut etiam corpori alligati. In Americâ frequentes sunt & circa Cubam Insulam.

LACERTUS VIRIDIS, à quibusdam LACERTA MAJOR dicta, quamvis Indicæ multo sint majores. Græcis θωῦρα χλωῦρα. Sylvaticus Ophiomachum vocat, à superandis serpentibus. Singulari enim naturæ instinctu serpentes adoritur, & cum illis præliatur æstivo tempore: quandoque arbores scandit, & instar ranæ vociferatur.

Viridis illa Lacerta, quam ego teneo, eam operâ D. Nicolai Wichmanni ex Hispaniâ accepi, ita verò viridis est, ut simul eleganter variegata intermistis maculis cœruleis visatur. A rostri extremitate ad caudam unciarum decem est longitudine. Cauda verò spoliata fuit cum acciperem. Capite est triquetro, unciarum duarum longitudine, latitudine unius, oris rictum habet dentibus utrinque minimis & acutis præditum. Duo narium foramina in extremâ & acuminatâ maxillæ superioris parte sita. Oculi pro corporis magnitudine mediocres, aurium meatus ad collum. Maxilla inferior squammis magnis dotata, quæ in medio latiores sunt iis quæ ad utramque extremitatem vergunt. Hinc minores infarciuntur ad collum usque. Pedes anteriores unciarum duarum longitudine, supra squammis viridibus, infra cute punctatâ & ad flavum tendente præditi, digitis quinque acutis & incurvis ungulis dotati. Hinc dorsum sequitur pulcherrime variegatum, venter verò squammis tegitur flavescentibus, cujus ambitus est unciarum quinque. Crura posteriora, prioribus crassiora, majora & longiora, uncias superant tres; digitis etiam quinque præditi sunt pedes, ungulis incurvis & acutis armati, quorum is, qui indicis situm habet, longissimus est, pollexque inferiorem locum possidet, cum in anterioribus æqualem habeat cum cæteris. Ex caudâ non nisi unius unciæ magnitudinis frustulum restat.

Lacertum viridem Plinius strumis exulceratis appendit, & post dies triginta mutat medicamentum. Lacertum viridem vivum in vino coquunt & Pthisicis exhibent. In dolore Lumborum, in Ischiade, & morbo Comitiali cibis permiscent. Oleum, in quo coctus, ad multum utile. Cinere utuntur ad strumas & pilos generandos. Ossa Comitialibus mederi volunt; capillos denigrat oleum per insolationem ab eo factum.

Fuit mihi & LACERTULUS ARGENTEUS, colori argenteo similis, trium unciarum longitudine, elegans valde, priori corporis lineamentis respondens, sed à vermibus erosus jam penè periit.

LACERTUS FACETANUS Aldrovandi, Tarantula quibusdam, asperâ cute, coloris cinerei, paulo major est & absque caudâ, tres superat uncias, torosus & crassior, Lacerto communi corporis lineamentis respondens, nisi quod oculos rictui propiores habeat aliis.

SCELETON LACERTI ut videtur, Draconis in modum compositum, rictu horrendo, linguâ latâ exsertâ, oculis prominentibus, pedibus anterioribus minoribus, posterioribus longioribus, dorso repando, caudâ longâ, sub alvum reflexâ & in dorsum incurvatâ,

curvatâ, ablatâ carne, cute & inteſtinis, reliquum exſiccatum & balſamo quodam inunctum videtur, ut ab interitu melius conſervetur.

SCINCUS, ſeu CROCODILUS TERRESTRIS, parvam Lacertam magnitudine non ſuperat, utpote pedem dimidium vix æquans, craſſitie pollicis, colore cinereo, ſquammoſus, caudâ rotundâ, capite oblongo, roſtro acuto, pedibus quaſi alatis quatuor, digitis quinis unguiculis armatis. Arabia hoc gignit animal & Mecham verſus reperiri ajunt; alii juxta Nilum degere volunt.

Locum obtinuit in variis Antidotis. Ad Venerem accendendam cum Naſturtio ejus præbent ʒj. Ex carne Antidotus præparatur, quam contra Ictus Scorpionum, & ad Elephantiaſin commendat Aëtius. Cor, lanæ ovis nigræ involutum, quartanas tollit, Fel ſuffuſionibus medetur. Renes potiſſimum in Venere ciendâ valent. De pelle ſcribit Plinius, quod in cineres redacta, & ex aceto ſuper partes ſecandas poſita, impediat ne ferrum ſentiatur. Cauda Diaſatyrium ingreditur. Fimus oculorum detergit vitia.

CROCODILUS, ἀπὸ τὸ τὰς κρόκας φοβεῖσθαι, quod littora timeat. Capite eſt lato; roſtro fermè ſuillo, rictu magno, uſque ad locum aurium patente, oculis ſuillis, maxillam ſuperiorem mobilem habens, dentes robuſtos, acutos, albos: Gaſſendus in vitâ Piereſcii lib. 5. ait eum obſervaſſe in ſuperiore maxillâ triginta ſeptem, utpote ſedecim utrinque & quinque anterius: in inferiore autem quindecim ad utrumque latus, anteriorum autem quatuor. Qui ſummam conficiunt ſeptuaginta unius.

In meo verò, quem in Muſeo teneo, numeravi in ſuperiori maxillâ triginta ſex; in parte dextrâ, quatuordecim; in ſiniſtrâ etiam quatuordecim, anterius octo. In inferioris parte dextrâ duodecim, ſiniſtrâ pari modo duodecim, anterius ſex. Quorum ſumma eſt ſexaginta ſex. Ætatis ratione an varient dentes ignoro. Dentes hi inſtar pectinis conjunguntur, lingua indiſcreta, crura cum pedibus, acutiſſimis unguibus armatis, in latera flectuntur, caudæ longitudo reliquum æquat corpus. Corio circa ventrem adeo molli, ut quolibet gladio facile ſauciari poſſit, ſed reliquæ corporis partes adeo durâ pelle teguntur, ut telis & ſagittis minimè cedant, ſquammis horridis & ſpinoſis refertæ. Colore Croceo quibuſdam ſtatuitur, ſed, quotquot ego vidi, ad gryſeum & cinereum inclinant; forſan vivus ad Croceum vergit. Viſus eſt quandoque tantæ magnitudinis, ut viginti ſex cubitos æquaverit. Meus octo ſaltem eſt pedum.

Pigrum eſt animal, nec in latus facile vertitur, gratum ſpirat odorem, quatuor menſibus frigidis ſine cibo in latibulis hæret. Perniciosum alioquin, quod unguibus necat, dentibus conterit, denſiſſima oſſa diſſipat. Quamvis non omnibus locis metuendum. Sexaginta annos vivere quidam volunt.

Caro ejus à quibuſdam populis Americæ comeditur: ova etiam, quæ anſerinis magnitudine paria, à quibuſdam manducantur, ſed ingrata ſunt valde.

Carnis decoctum opitulari iis, qui ab Araneis & Veſpis ſunt demorſi, vult Rhaſis. Dentes ex vivo animali ſumptos, dextros viris, ſiniſtros fœminis alligatos Venerem ſtimulare credunt. Adverſus horrores febrium, ægros adipe Crocodili inungunt Ægyptii; contra ulcera putrida & morſus Crocodilorum etiam commendatur. Corium crematum cum amurcâ miſtum, & parti amputandæ inunctum, carnem adeo reddit ſtupidam, ut ferrum non ſentiat.

CHAMELEON quaſi parvus Leo. A medio capite retrorſum oſſea pars triquetra eminet, reliqua verò antrorſum cava & canaliculata, eminentibus utrinque oſſeis marginibus, aſperis & leviter ſerratis. Oculi ipſi cavo receſſu prægnandes & corpori concolores conduntur, cujus pupilla non movetur: ſed animal totius oculi motu circumſpicit, ore ſemper hiante.

Linguam habet longam, & terreſtri Lumbrico ſimilem, in cujus extremitate ſpongioſus quidam & glutinoſus nodus exiſtit. Dentium & gingivarum loco os quoddam continuum & ſerratum habet. Superius labrum brevius, Pulmo, ad comparationem corporis, illi ineſt maximus. Cor habet magnitudine cordis Muris domeſtici, Hepatis lobos duos, quorum ſiniſter eſt major. Folliculus Fellis, granum hordeaceum æmulans, ſiniſtro jecoris lobo adhæret. Inteſtina omnia interaneis Lacertæ ſimilia. Pedes anteriores à poſterioribus valde diſcrepant: ut enim priores pedes ternos digitos intra, binos extra, ita poſteriores ternos extra & binos intra poſſident. Longitudo animalis, à ſummo roſtro ad initium caudæ, ſeptem vel octo digitorum eſt, altitudo quinque.

Nuper Dominicus Panarolus Romanus tractatum de Chameleonte edidit, quem

Romæ diſſecuit, in quo varia obſervavit, ex quibus quædam delibabimus. Oculos habet in omnes partes verſatiles, animal pigrum & ſtolidum, os clauſum gerens, præterquam ubi inſecta venatur, quod celerrime præſtare novit, cibum non maſticat, ſed tranſglutit, collum ferme nullum, ſed caput immediatè trunco nectitur. Coſtarum conſtitutione piſces æmulatur, ſupra dorſum ſquammam duram habet, ſpinoſam, caudam incurvatam. Oculorum mirus motus, uno immobili alterum movere poteſt in omnes partes, quando unum attollit, alterum deprimere valet, quod in aliis animalibus non obſervatur, quin imò in poſteriora oculum torquere, ut æquè poſteriora atque anteriora videat, quia omni carent muſculo, & ſolius membranæ corrugatione in omnes partes moventur. Quando oculum fixum tenet, membrana illa æqualiter circa pupillam criſpatur circulariter, ſed ſi in unam magis quam alteram moveat partem, magis in unâ quam alterâ criſpatur. Nervi optici ab uno quidem ortum trahunt principio, ſed non uniuntur, ut in aliis animalibus, antequam ad oculorum tendunt orbitas. Hinc fit quod unus oculus moveri poſſit, immoto altero, laxi quoque ſunt & non tenſi. Aëre ſolo non vivit, ut volunt quidam, ſed muſcis, formicis, & aliis animalculis veſcitur, quæ ſubitâ linguæ ejaculatione arripit, viſcoſitate quadam, & non maſticata integra deglutit. Caret Liene & Diaphragmate, & cum viſcera, habitâ corporis proportione, minora ſint, aëre diſtentus apparet, ſed in quem uſum ignoratur, niſi ut eo linguam diſtendat victum quæſiturus. Color Chamæleontis verus, cinereus eſt, ſed juxta animi affectus quandoque eum colorem mutat, ut & ratione calidioris vel frigidioris aëris, non verò ſubjecti, ut quidam volunt. Vide de hoc animali obſervationes Pierefcii traditas à Clariſſ. Gaſſendo in ejus vitâ libr. 5.

Digitata ovipara cruſtâ durâ tecta Testudines ſunt, quas in Marinas, ſeu Aquaticas & Terreſtres dividunt, quidam addunt Lutarias. Eſt autem Teſtudo animal quadrupes, digitatum, oviparum, cruſtâ durâ tectum, viſu ingratum, ſuperiorem teſtam figurâ ovali habens & concavam inſtar ſcuti, ſub quâ caput, pedes, & caudam pro lubitu reponit & exſerit, capite brevi, cervice anguinâ, aſpectu truci, loco dentium os unicum habens, pedes ferme Lacertorum ſimiles, non digitis fiſſis ſed unguibus ſolum. Ventrem quoque teſta tegit peculiaris. Tam firmam teſtam huic animali impartita eſt Natura, ut rotis plauſtri currentis minime conteri poſſit; hanc verò nunquam mutat. Hibernis menſibus latitat, lento admodum incedit greſſu, voce eſt exili. Fœminæ mares valde reformidant ob congreſſum, qui ipſis injucundus, ova pariunt ovis Gallinarum ſimilia ſed oblongiora.

Caro edulis eſt, & quibuſdam in locis in lautitiis habetur, ſed concoctu difficilis, Hydropicis commendatur, ut & Pthiſi & aliis pectoris morbis laborantibus. Cinis ex cremata cum albumine ovi miſtus fiſſuris in mammis mulierum ortis medetur. Crollius in Herniis eo utitur.

Sanguine collecto & exſiccato Plinius ad ignem ſacrum, verrucas abolendas, capitis ulcera & porriginem, defluvium capillorum & Ophiaſin. Ore detentus dentes mobiles firmat, contra morſum Viperæ & Scorpionum Ictus etiam valet. Fel Anginis & Nomis, Epilepſiæ etiam conducit. Combuſto tegumento fiſtulas ſanant, & capillorum cohibent defluvia. Pedem dextrum pedi dextro Podagrici, & ſiniſtrum ſiniſtro, utiliter alligat Albertus.

Testudinis marinæ una mihi cruſta eſt ſuperior, quæ tergum tegit, craſſitie pollicis, longitudine pedum quatuor, latitudine duorum cum dimidio, ut pro ſcuto commode quis uti poſſit. Varias quaſi habet ſuturas, ut ex variis variarum figurarum teſſulis videatur coagmentata. In eâ verò arte pictoriâ delineatus eſt miles, cum machærâ & ſcuto. Sunt præterea mihi duo majores nullâ picturâ illuſtres.

In ejuſmodi teſtis infantes olim lavabantur apud Turcas, ſcutorum etiam loco utuntur, quia ferri Ictibus reſiſtunt. Solinus in mari Indico tam grandes eſſe ſcribit, ut teſtis duabus ſupernâ parte junctis, & inferne diductis, ædes ſuas conſtruant. In Taprobanâ Inſulâ ædium tecta ex teſtis Teſtudinum conſtare refert Ælianus.

Populos Chelonophagos ejuſmodi corticibus pro cymbis, quibus ad continentem navigant, uti docet Diodorus Siculus, item pro vaſis & tentoriis. Tantum uſum apud eos unica hæc res habet.

Testudinis terrestris elegantis mihi Teſta eſt, colore luteo, ſtellatim picta, per convexum ſi metiaris, dorſi operculum digitos ſeptem longitudine ſuperat, lati-

latitudine quinque, colore nigro, ſtriis Rhomboideis referto: tres ordines prominentiarum, præter limbum, teſtam conſtituunt ſuperiorem, in quorum medio quinque, in iis, quæ ad latera, quatuor quadratæ conſpiciuntur eminentiæ, à quarum centro, nunc plures, nunc pauciores ad ambitum derivantur Lineæ aureæ, ſtellatim diſpoſitæ, ut vel hoc nomine TESTUDO PICTA vel STELLATA dici valeat. Inferior teſta octo diſcretis conſtat laminis, ſuturis quaſi conjunctis; quarum duæ reliquis duplo majores, nigro & ſubluteo colore variegatæ omnes.

Ex Indiâ Orientali puſillum, ſed elegans genus TESTUDINIS terreſtris attulerunt Mercatores noſtri, quarum unam, quam integram teneo, vivam domi diu alui in horto.

Teſtæ ſuperioris longitudo vix quatuor eſt digitorum, latitudo quatuor. Tribus conſtat teſſellarum ordinibus & limbo omnes ambiente. Hæ vero teſſellæ variis coloribus eleganter pictæ ſunt, nigro, albo, purpureo, ſubviridi, luteo, quæ ubi laminatim decidunt, ſubſunt remanentia veſtigia ex nigro luteola. Inferior teſta tota albicat, & variis lineis denticulatis interſtinguitur. Caput & roſtrum Pſittaci formâ habet, in cujus ſummitate prominentia quædam miniata luteo interſtincta, collum anguſtum. Pedes anteriores, ut & crura corneis ſquammulis obſita; plani ſunt pedes, in quatuor ungues terminati. Crura poſteriora longiora ſunt & tenuiora, corio communi tecta, ſed pedes ſquammoſi & ut anteriores quatuor unguibus armati. Caudam tenuem habet in apicem terminatam, vix digiti dimidii longitudine.

Aliæ ejus generis ſunt, majores & minores, quæ cum coloribus & magnitudine ſaltem ab his differant, pluribus de iis hoc loco ut agam minus neceſſum eſſe arbitror.

De uſu omnium ſupra in genere actum eſt. Nunc ex reſtis varia & elegantia conficiunt opera, pectines in primis, cochlearia, quæ cum iis certant, quæ ex Achate elaborantur; Ciſtulæ & alia ornamenta infinita.

CAP. XXIII.

De Viviparis digitatis.

OVIPARA quæ tenemus animalia hactenus perſecuti ſumus, ſequuntur VIVIPARA, quæ, ratione conſtitutionis pedum, ab Aldrovando dividuntur in ſolidipedia, biſulca & digitata. Alii in fera, quæ feris imbuta ſunt moribus, ſemifera, & domeſtica diſpeſcunt. Nos hic de digitatis primo agemus.

LEO, λέων Græcis, Quadrupes eſt digitatus, capite mediocri, fronte quadratâ, in medio cavâ, ſupercilio eminenti, oculis Charopis, ſeu dilutæ viriditatis, naſo craſſo, maxillis æqualibus, rictu amplo, labiis tenuibus, rigente collo, magno, pectore robuſto, fœmoribus parum carnoſis, medio ventre gracili, cruribus validis & nervoſis, pilis flavis, neque rectis, neque criſpis, pedes anteriores quinis digitis, poſteriores quatuor diſcriminantur, cauda in apice hirta. Leæna ſolâ jubâ & mammis, membriſque genitalibus à Leone diſtat. Lingua eſt aſpera. Falſum quod quidam ajunt, collum vertebris deſtitui, & oſſa cavitate ac medullâ, contrarium enim docet experientia.

Catulos miro amore proſequitur, pro quibus etiam ſtrenuè pugnat, pedatim graditur, injuriarum memor, raro bibit & egerit, oculis apertis dormit, gratum ſe erga benefactores præbet & magnanimitate præſtat.

Carnem habet ingratam, interim à quibuſdam populis Agriophagis comeditur. Cerebrum, cum modico olei auribus inſtillatum, doloribus & ſurditati medetur. Dens à collo puerorum ſuſpenſus dentitionem ſine dolore promovet. In Epilepſiâ & Quartanâ Cor pulveriſatum exhibent. Pinguedo ad multa commendatur, dolores lenit, nervos roborat, articulis impactos humores conſumit, quod ipſe experientiâ didici, perniones curat, duros tumores reſolvit. Sanguis Carcinomatis & Cancroſis ulceribus illitus prodeſt. Supra pellem qui ſederit, hæmorrhoidum doloribus non infeſtabitur. Calcei ex eâ elaborati Podagricis conveniunt.

Mihi Cranium eſt Leonis, quem Sereniſſimus Rex noſter ſclopetario globo per caput in cerebrum trajecit, quem globum ipſe in cerebro inveni & aſſervavi. Rictu & dentibus deſtitutum erat Cranium cum acciperem. Eſt mihi Pes quoque pelle nudatus, grandibus & fortiſſimis præditus tendinibus, ex quibus robur, quod in pedibus eſt, colligere datur.

Dum hæc à carnibus mundarem & percoquerem, pinguedinis collegi quippiam, quâ feliciter usus sum in articulorum tumoribus, & humoribus tenaciter iis impactis.

URSUS, Græcis ἄρκτος, deforme est animal, capite parvo, oculis minutis, noctu melius quam diu videns, dentibus acutis, maxillis firmis & versùs caput crassis, linguâ exiguâ, auribus parvis & mutilis quasi, interim acutius audit quam videt. Cranium juxta frontem fragile ac tenue, quocirca crassam cervicis pellem, quam Norvegi Biornhetten vocant, ei obducere novit, ubi periculum vel à venatoribus, vel ab aliis ipsi imminet.

Cruribus est curtis, pedibus latis, unguibus robustis & acutis, licet non admodum longis, quibus fretus altissimas arbores celerrimè scandere novit. Cutis villosa valde & firma, ut difficulter transfigi possit. Ossa habet dura, intestina Suis simillima; lardo quoque vestitur eundem in modum.

Varia sunt Ursorum genera: sunt enim magni & parvi, albi & nigri, terrestres & aquatici. In Norvegiâ tria genera observarunt. Primum maximum, quod non planè nigrum, sed fulvum est, non adeo nocuum ut reliqua genera; graminibus enim & arborum foliis vescitur, unde illis Greßdiur vocatur, in locis desertis & silvis vastissimis stabulari, seque nucibus & glandibus saginare solet, antequam ingruat hiems. Secundum genus minus est & nigrius, Carnivorum, equis aliisque animalibus infestum, Jldgiersdiur vocant, voracissimum animal, quod licet graminibus & foliis etiam vescatur, circa Autumnum tamen armentis insidiatur. Tertium minimum, nocuum tamen, Myrebiorn vocant, quod formicis delectetur, earumque nidos evertere soleat, iis ut potiatur.

Hasce tres species permisceri animadverterunt, ut intermedia quædam genera ex iis generentur. Nos quartum genus addendum censemus, Alborum nempe Ursorum, quod aquaticum vel amphibium est, Piscibus gaudens & Gronlandiæ peculiare.

Mira circa naturam Ursorum observarunt Norvagi, quorum quædam hic recensenda duxi. Ursa certo anni tempore concipit, & non nisi tertio quovis anno parit circa Decembrem tres fœtus, qui cæci & absque pilis, sed quoad membrorum conformationem perfecti, non verò informes, ut vulgo creditum, hoc enim observarunt, qui prægnantes dissecuerunt.

Ubi ex suo perrumpit latibulo, quandoque spacio annuo, quandoque tribus annis secum Catulos ducit.

Hieme omnes latent in suis Cryptis (Biornehye vocatis) sed verno tempore ex iis egrediuntur, & graminibus ac arborum foliis saturantur in Autumnum usque, tum qui Carnivori sunt pecora sectantur, quæ quo pinguiora, eo majori exposita sunt periculo; iis enim in futuram hiemem saginantur: baccis variis etiam delectantur, piscantur quoque nassas piscatorum ubi invenerint, in littus trahendo. Stabula Agricolarum petere solent, ex quibus pinguissima quæque auferunt, sed non per eandem egrediuntur viam, per quam ingressi sunt. Quandoque integra armenta incredibili velocitate abigit unus Ursus, sed ex iis unicâ vice non nisi unum aut ad summum duo vorat, secus ac Lupus facere solet. Quando magnus est Sorborum proventus, tum pecoribus maximè insidiari solet, ex eorum enim esu stupidi adeo redduntur dentes, ut curari nequeant nisi calido sanguine & carne animalium utatur. Quidam Ursi equos & boves adoriuntur, in dorsum eorum se conjiciendo, morsu venas circa collum aperiendo, sanguinemque exsugendo, donec concidat animal. Reperiuntur tamen quandoque equi, qui cum Ursis pugnare non dubitant, & victoriam quandoque reportant, anterioribus pedibus frontem ejus comminuendo; sed si dorso equi insultandi ei facta fuerit facultas, jam de equo actum est. Singularis inter equos & ursos est antipathia, adeò ut vix reperiantur equi, qui ejus cadaver domum transportare velint.

Quicquid ex prædâ reliquum eis fuerit, quod unâ vice consumere nequeant, terrâ obruunt, ne ab aliis auferatur: imminente hieme sibi latibulum struunt, ita ut frigidiores auras & ventos ab ipso arceantur, silvarum & cautium objectu. Quandoque speculas ante latibulum suum constituunt, ex quibus insidiantes animadvertere possint.

Raro in eodem tractu mas & fœmina conjunctim reperiuntur, sed crebrius plures mares. Antequam quieti se componit, excrementa sua deponit, ne iis cubile maculet. Pedes lambendo & murmurando tempus terit, nec quicquam comedit in Martium usque, obruitur quandoque nivibus in magnam altitudinem. Raro, nisi læsus, homines

lædit.

lædit. Si quis ex improviso eum invenerit, fugit, sed, ubi aliquousque progressus fuerit, regreditur, & si tum eum offenderit, qui fugæ causa fuit, in discrimine versatur. Musicâ delectatur, sed ignem aversatur.

In Norvegiâ carnem Ursorum, præsertim juniorum, multis in locis comedunt, eamque pinguem & delicatam satis judicant. Oculum ursi exsiccatum, collo puerorum appensum, contra pavores valere volunt. Testes Epilepticos sanant. Fel exsiccatum ad idem commendatur, & demorsis à cane rabido, magno commodo exhibetur. Adeps memoriæ conferre dicitur, pilos longos producere, alopeciam sanare, faciei cicatrices delere, linguæ paralysin curare. Sed crines & barbam albam reddere dicunt, nisi misceantur ea quæ nigredinem conciliare valent. Doloribus lumborum, articulorum & pedum ulceribus medetur. Pili adusti, cum adianto & radicibus arundinis, etiam ad pilorum generationem conducunt, pelle verò hieme commodè utimur in curribus & rhedis, ut pedes à frigore muniantur.

Ursus albus, quoad corporis constitutionem, planè respondet nigro, sed colore & moribus diversus, quandoque magnitudine superat nigrum, circa Gronlandiam capitur, quandoque verò glacierum fragminibus in Islandiam vectus, præda fit. Animal ferum, nulli, & ne ipsi quidem homini, parcens, nulla curans arma, pilis enim longis, villosis, & dense stipatis cum tegatur, & corio denso cum muniatur, venatorum non curat tela. Sub ventre verò locus est pilis destitutus, & pelle tenuiore constans, hic ubi læsus fuerit, succumbit. Gaudet aquis & maximâ ex parte in aquis versatur; hinc fit, ut, dum se glaciei committat, Phocarum ut venetur pullos, resolutâ glacie & in Islandiam tendente, sequi cogatur. Si enim mari aperto se commiserit, in Balenarum incidit rictus, quocirca eousque carnibus Phocarum se sustentat, donec terram versus glaciei appropinquaverint fragmina, ut natando evadat.

Mihi unum ex Islandiâ Septentrionali transmisit Juvenis ingenuus Gislaus Magni, junior fuisse videtur, quia staturæ est mediocris. In quo, præter colorem niveum & maculam sub ventre pilis destitutam, hoc admiratione non caret, quod totum corporis truncum per pedes exemisse videantur. In totâ enim pelle, corpus vestiente, nullum apparet foramen, præter oris & ani, nequaquam dilatatum, sed naturali & nativâ proportione; crura saltem parte interiore scissurâ Spithami longitudine sunt discissa, per quas scissuras exenteratum fuisse oportet.

Anno MDCXLIX. mense Julio, Amsterodamo ad me transmisit animal hoc vivum, quadrupes, digitatum, sub nomine Felis Americanæ, Vir Doctissimus D. Christianus Fossius, quod titulo Coati descriptum inveni in Brasilianâ Historiâ Quadrupedum Georgii Margravii, in hunc modum. Coati Brasiliensibus est Vulpes, magnitudine felis, cruribus brevibus & manibus Cercopithecorum, nam & eorum more arbores velociter conscendunt, & currunt usque ad ramorum extremitates, victitant fructibus, luben-

lubentissimè autem ovis & Gallinis; pedes posteriores majores prioribus, in singulis pedibus digitos habet quinque, acutis unguibus. Caput acuminatum Vulpinum, aures breves subrotundas, ut felis oris partem inferiorem breviorem superiore habet, promuscidem longam, acuminatam, naresque amplas, quasi fissuras; oculos nigros. Pili totius corporis obscuræ ochræ coloris, longi, caudam habet longiorem toto corpore, quam superius erectam gestat & incurvatam, cujus pili anulatim variegati cum Umbrâ & Ochrâ. Quando comedit, more canis anterioribus pedibus tenet cibum.

Clariss. Vir D. Johan de Laet notat se aliquandiu ejusmodi animal cicuratum tenuisse, valde domesticum, sibique amicum adeò ut ad os eniteretur, & ex illo cibum caperet, sed cum caudam suam prærodere cœpisset, ab eâ abstinere non potuisse, ita ut illam penè totam consumeret, & moreretur.

Meum quod teneo animal figurâ fermè cum jam datâ descriptione convenit; discrepat tamen in quibusdam. Color pilorum magis ad cinereum, quam Ochram inclinat, nisi quibusdam in locis ubi nigricat, ut circa oculos & pedum extremitates. Cauda longitudinem ipsius corporis non attingit, crassior & latior aliquantum eâ parte, quâ clunes attingit, annulis quasi quibusdam nigris cinctâ: pedes anteriores, qui minores sunt posterioribus, manus referunt, iisque utitur in rebus apprehendendis & divellendis, instar Simiæ.

Aquæ injectum, quod offertur, prius anterioribus pedibus lavat ac versat, quam ori admoveat. Omnibus fermè gestibus Cercopithecum refert. Quia Iconem ejus non satis accuratam dedit Margravius, à perito pictore delineari curavimus nostrum.

Castor, Græcis κάστορ, quasi γάστορ, quod ventricosum sit animal. Fibrum vocat Plinius, à Græco ἥβρος, quod tenerum notat, pilis enim præditus est mollibus & tenerrimis. Nostratibus Bewer.

Magnitudine æquat mediocrem canem villaticum, corpore crasso, colore ex cinereo nigricante. In dorso duo genera habet pilorum, unum longum, quod rarum est & supra alios eminet, alterum minus, tenuius, lenius, sed coloris diversi, quo nigrior pellis eo preciosior.

Dentes anteriores acutissimi sunt, quibus tanquam gladio ad sectiones lignorum utitur, rubicundi, crura brevia, pedes longi, ita constituti, ut anteriores similes sint Caninis, quinque digitis & unguibus præditi, posteriores Anserinos æmulantur, cum inter digitos membrana quædam sit interjecta, ut ad natandum sint aptiores. Caudam habet latam, pisci similem, sesquipedalem, senos digitos latam, duos crassam, quatuor interdum librarum pondo, ad margines attenuatam, membranâ glabrâ & lividâ tectam, super quam lineæ quædam, squammas piscium mentientes, depictæ. In inguinibus geminos habet tumores ovi anserini magnitudine, utrinque unicum, membranâ suâ conclusum, inter quos genitalia. Hi tumores testes non sunt, ut vulgo existimant, sed folliculi membranâ contecti, in quorum medio meatus observantur, ex quibus liquor pinguis & serosus exsudat, quem Castor sæpius admoto ore lambit, & reliquum corpus eo perfundit.

Si quem momorderint Castores, non desinunt antequam ossium perceperint fragorem. Falsum, quod ajunt quidam, sibi testes amputare dum venator eos insequitur. In vehendis lignis ad suas habitationes hoc utuntur compendio. Super unius resupinati ventrem ligna ordine disponunt, quæ pedibus fulcit, deinde bestiam ita onustam per crura mordicus apprehensam ad locum trahunt destinatum alii. Sed sunt qui verum hoc esse negant, qui viderunt eos concisa ligna humeris imponere & ad sua transferre domicilia. Corticibus arborum vescuntur, &, quando ad cædenda ligna se conferunt, semper eâdem semitâ à fluvio ad arborem gradiuntur; arboremque, quam elegerunt secandam pro ædificio & decorticandam pro escâ, non prius relinquunt, quam totam dentibus dissecuerint. Tanto ingenio sunt præditi, ut, casum quando minatur, singulis ictibus suspiciant, ne improvidi opprimantur. Ligna in stipites duarum ulnarum longitudine dissecare solent, ac, quæ hiberno deputarunt victui, aquis immergunt, ut cortex viriditatem & succum non amittat. Maximas arbores dentibus prosternere norunt, non secus ac si securi essent amputatæ. Domicilium suum mirâ arte fabricant prope aquas dulces, tantâ amplitudine, ut quinque aut sex capere possit; illudque in varias distinguunt contignationes, ut, aqua ubi accreverit, in supremâ aut mediâ tuti degere possint. Ubi decreverit aqua, semper in infimâ degunt, quia caudam aquis immersam

ut

beant neceſſe eſt. Ramos, quos hieme excoriant, ſupra tectum ponunt, ut in altum quandoque excreſcant cumulum. Varios præterea fodiunt ſub terrâ cuniculos, ut elabendi habeant commoditatem, ſi neceſſitas id efflagitaverit. Æſtate procul à domicilio ſuo in ſilvis & latibulis verſantur; hieme domi manent, & reparationi domus incumbunt. Salicibus & ornis maximè delectantur.

Ex Caſtoris pedibus poſtremis & caudâ edulium parant palato gratum, quod murenæ & anguillæ ſapore reſpondet, & in carniſprivio Catholicis conceditur. Reliqua caro ingrata. In uſum Medicum Caſtoreum maximè venit, ad Epilepſiam, Paralyſin, Lethargum, Vertiginem, alioſque capitis morbos commendatur. In Aſthmate, doloribus dentium, ſingultu, colicâ paſſione, uterinis inprimis affectibus, magno cum commodo adhibetur. Ad menſes movendos, ſecundinas expellendas, venena infringenda vim habet magnam. Quocirca quam plurimas compoſitiones ingreditur. Ad Venerem ſtimulandam Felle utuntur. Coagulum Epilepſiæ inſervit. Pellis combuſta ſanguinem ſiſtit, eâ quoque Paralytici & Arthritici commodè veſtiuntur.

Canem in genitali os habere, quod coitum ipſi reddat difficilem & doloroſum, omnibus in confeſſo eſt. Ejus generis unum poſſideo, longitudine unciarum trium cum ſemiſſe, canaliculatum, inæquale, quâ corpori adhæret craſſius, ad extremum acutum, jam humile, jam extuberans & ſinuatum, craſſitie pennæ anſerinæ; ſed eâ parte, quâ corpus reſpicit, tuberoſum & craſſius.

Lepus, animal omnibus notum ſatis, deſcriptione non indiget ullâ, ſaltem, quæ in hoc animali rara obſervaverim, delineanda veniunt. Leporis plane nigri pellem farctam accepi à Nobiliſſimo D. Holigero Roſæcrantz, Bornholmiæ Præſide Regio, qui Anno MDCXLIV. quo Sueci in Cimbriam irruperunt, eum in Boringholmo cepit, ac, quia rarum & ominis haud boni eſſe putavit, mihi dono dedit, ut inter alia rara in Muſeo ſervarem. Externâ figurâ & membrorum lineamentis nihil plane à vulgari Lepore differre video, niſi quod totus niger ſit, exceptis pedum extremitatibus, quæ ad cœruleum tendunt, intermiſtis quibuſdam pilis fuſcis, qualibus ordinariè præditi ſunt vulgares Lepores.

Cornua Leporibus eſſe, pro monſtroſo habetur, atque raro ejus generis viſuntur. Renodeus de materiâ Medicâ narrat Illuſtrem Heroëm Comitem de Vitri in venatione Leporem cornutum cepiſſe, cujus cornua Regi Anglorum Jacobo dono dederit, tanquam ſingulare munus. Cunradus Furer, qui Hiſtoriam Animalium Geſneri in Epitomen redegit, & in linguam Germanicam tranſtulit, de Lepore agens, duo paria Cornuum depingit, majus alterum, alterum minus. Lepores verò iſti Cornuti in Saxoniâ capti ſunt, cornua verò apud Electorem viſuntur, eâ formâ quâ ibidem proponuntur. Mihi ejus generis duo ſunt, cum Cranii particulâ, coloris ſubflavi, ut Cranium ipſum longitudine duarum unciarum, juxta ſummitatem plana aliquantum, obtuſa ac paululum incurvata, quæ mihi dono dedit Plaſtes quidam, qui caput ex gypſo iis aptare debebat. Oſſium temporalium Apophyſes quædam in cornuum formam enatæ videntur: nam oſſeæ potius quam corneæ ſunt ſubſtantiæ.

Alia duo cornua Leporina, hiſce majora & elegantiora, mecum communicavit Nobiliſſ. Eques Ebbo Ulfeld. Chriſt. Fil. E Cranio emergunt duæ Apophyſes oblongæ, oſſeæ ſubſtantiæ, cui inſident coronæ duæ prominentes, aſperæ, tuberculis inæquales, in cornua deſinentes, capreolorum cornibus ſimilia, magnitudinem ſi exceperis, longitudine unciam ſuperantia, purpurei coloris, quorum dextrum in tres acutos ramulos divaricatur, ſiniſtrum in duos. Cranii addita portio, abunde docet ex nullo alio animali depromi potuiſſe. Ut non ſit quod de eorum fide quis dubitet.

Norvagiæ & vicinis tractibus Animal quoddam peculiare eſt, è nubibus quandoque decidens, paſcuis & ſegetibus cladem inferens ingentem, de quo cum inter veteres, Ariſtotelem, Theophraſtum, Plinium, Solinum, Ælianum, &c. neminem: Neotericos paucos, & quidem obiter ſaltem egiſſe videam; rem non ingratam rerum Naturalium ſtudioſis facturum me puto, ſi, quæ mihi de eo cognita & perſpecta ſunt, in chartam paulò uberius conjiciam, aliis, qui accuratius ſingula obſervarunt, elimanda relinquens. Occaſionem verò hujus diſcurſus præbuit Vir Reverendus D. M. Janus Schelderupius, Diœceſis Bergenſis Epiſcopus vigilantiſſimus, gener meus dilectus; qui, cum me rebus Naturalibus rarioribus oblectari ſciret, hujus animalis exſiccati, rogatus, exempla quædam tranſmiſit, ex quibus multa, quæ huc faciunt, didici, eaque, quæ aliorum relatione

hausi, vera esse animadverti. Ut autem constet qui autores hujus animalis meminerint, non pigebit eos recensere, qui ad manus meas pervenerunt. Primus, quod sciam, qui de hoc animali aliquid literis prodidit, fuit Olaus Magnus, qui libr. 18. cap. 20. Historiæ gentium septentrionalium ea scripsit, quæ repetuntur à Cunrado Gesnero in Iconibus animalium quadrupedum viviparorum Tiguri editis Anno MDLX. & in ipsâ Historiâ Quadrupedum cap. 17. Art. 2. ubi obiter saltem ex Olao Magno hujus fit mentio, nullâ propositâ historiâ aut descriptione. Ex eo quoque id habet Jul. Cæs. Scaliger, quod de hisce animalibus scripsit Exerc. 192. sect. 3. ut collationem instituenti facile patere potest. Quæ examini subjicere aggressus est Fortunius Licetus lib. 2. de his qui diu vivunt sine alimento cap. 46. Hinc etiam hausit, quæ de iisdem tradit, Jacobus Zieglerus in Norvagiæ descriptione, ad castrum Bahus. Obiter ex Zieglero eorundem mentionem facit Jonstonius, Taumatographiæ classe 4. cap. 8. sed ita ut de veritate Historiæ dubitare videatur, cùm tamen in Historiâ Nat. quadrupedum postea editâ, cap. 17. de muribus art. 3. ejus historiam à Zieglero haustam integrè proponat. Petrus Undalinus in fragmentis Historiæ animalium Norvagiæ MSS. quæ penes me sunt, pauca etiam de iis congessit, linguâ vernaculâ, quorum in sequentibus fiet mentio. Quæ igitur ab hisce omissa, neglecta, aut parum perspecta fuerunt, hic adducam, additis observationibus nonnullis, quibus eorum natura & indoles illustrari potest, meliora docenti lubens cessurus.

Observationes Confirmationis ergo à me hic adductæ, à viris fide dignis in Norvagiâ, Pastoribus verbi divini præcipuè sunt transmissæ, ut de earum fide dubitare jure nemo possit. Multa prolixè narrata in paucas contraxi periodos, rescissis superfluis, iis, quæ rei tangunt nervum, retentis. Si qui sint qui plura aut diversa de hisce animalibus alibi observaverint, ea si communicare non fuerint gravati, dabo operam ut iteratæ addantur editioni. Interea vale ac hæcce boni consule.

Animal hoc, de quo agimus, vulgò à Norvagis Leming / Leminger / Lemender & Lömmer appellatur. Olaus Magnus Lemner & Lemmus vocat, Scaliger Lemner / Zieglerus Leem vel Lemmer. Quarum vocum originationem dum inquiro, videtur mihi quod à Le & adjunctis ortum trahant. Le verò vel adjectivè capitur nostratibus & turpem notat, vel substantivè falcem messoriam indicat. Utroque modo hisce appellationibus quadrare videtur. Si enim à substantivo trahas, Messores Latinis indicabit, & eos qui falce segetes demetunt, quod hæc animalia, dentibus primoribus in falcis modum formatis, facere dolent Agricolæ: sin verò adjectivè, turpia animalia notabit, quæ, ob noxam & cladem quam frugibus & arvis inferunt, meritò turpia & detestanda habentur. Hoc sensu mures falciferos aut turpes, idiomate Romano haud ineptè, quis vocaverit. Hæc quidem linguæ modernæ consonè dicuntur. At quibusdam in locis Norvagiæ Lomhunde vocari accepi, eo quod latratum edant similem catulis canum; &, si baculo tangantur, dentibus mordicus adeò eum arripiant, ut se per aliquod spacium trahi hoc pacto permittant. Item Läy-mende, à Läit vel Lojut / quod detestabilem priscis notat, & Mände, id est, vivens vel creatura. Quod hoc animal omnibus sit detestabile. Sic Vmande id vocant, quod nullius est precii & frugi, & Skicmande honic nullius æstimii. Alii Loem esse vocant. Esse vero ignem denotat, quasi sint frugum ignis; eas enim instar ignis consumunt. Quidam veterum Diopetes esse putant, à διὸς πίπτειν, quod cœlitus decidant: sed vox hæc nimis generalis est, & pluribus competit animalibus è cœlo delabentibus. Plinius lib. 32. cap. 7. ita vocat Ranas calamitas.

Nobis placuit MURES NORVAGICOS appellare. Quamvis enim in Norvagiâ varia murium genera reperiantur, præter vulgares, quales sunt silvestres, qui glandibus & avellanis vescuntur, & eam ob causam Mures avellanarum à quibusdam vocantur; Mures item aranei, qui ob venenositatem suspecti sunt, de quibus ferunt, quod, si corpus bovis aut equi tangant, claudicare eos faciant; quod item homines & rotarum orbitas maximè fugiant; si enim in eas inciderint, propriis viribus exinde se expedire nequeunt, unde sæpe in iis mortui reperiuntur. Quamvis, inquam, hos aliosque mures alat Norvagia, tamen, quia in aliis etiam reperiuntur regionibus, Norvagici propriè dici nequeunt: verum hi Norvagiæ sunt peculiares & proprii, ita ut alibi vix reperiantur, quocirca hoc titulo eos donare lubuit. E murium esse genere docent lineamenta & mores, sed ad nullum eorum, quæ ab Aristotele 6. de Histor. Animal. cap. 37. & à Scaligero Comment. in 2. libr. de Histor. Animal. recensentur, referri posse docebit Historia.

Voca-

Vocabulum Muris varii, cujus meminit Scal. Comm. in lib. 6. Histor. Anim. Arist. cap. juxta ejus distinctionem 437. hisce aliquo modo quadrare posse videtur, cum variis coloribus præditi sunt nostri; sed cum ad descriptionem Muriis varii allatam à Gesnero de quadrup. lib. 1. pag. 839. & ab Aldrovando de quadrup. digitatis viviparis lib. 2. cap. 27. respicio, illis Mus varius potius inter Sciuros quam Mures locum habebit, quod & ingenue fatetur Aldrovandus, vel qui hunc tomum edidit, Bartholomeus Ambrosinus. Jul. Cæs. Scaliger ab effectis vocat Locustarum simillimam pestem, tum quod locustarum modo agminatim accedant & è nubibus delabantur, tum quod consumptis frugibus, quando moriuntur, morbos post se relinquant pestilentes. Quod ut melius intelligatur, addam quod de Locustis refert Paulus Orosius lib. 5. adversus paganos cap. 11. M. Plautio Hypsæo, inquit, & M. Fulvio Flacco consulibus, vix dum Africam à bellorum excidiis quiescentem, horribilis & inusitata perditio consecuta est. Namque, cum per totam immensæ locustarum multitudines convaluissent, & non modo jam spem cunctam frugum abrasissent, herbasque omnes cum parte radicum & folia arborum cum teneritudine ramorum consumpsissent, repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per aërem, Africano pelago immersæ sunt. Harum cum immersos acervos longè undis urgentibus, fluctus per extenta latè littora propulissent, tetrum nimis, atque ultra opinionem pestiferum odorem, tabida & putrefacta congeries exhalavit. Unde omnium pariter animantium tanta pestilentia consecuta est, ut avium, pecudum, ac bestiarum corruptione aëris dissolutarum putrefacta passim cadavera vitium corruptionis augerent. At vero, quanta fuerit hominum lues, ego ipse, dum refero, toto corpore perhorresco. Siquidem in Numidiâ, in quâ Micipsa Rex erat, octoginta millia hominum, circa oram verò maritimam, quæ maximè Carthaginiensi atque Uticensi littori adjacet, plus quam ducenta millia periisse traditum est. Apud ipsam verò Uticam civitatem triginta millia militum, quæ ad præsidium totius Africæ ordinata fuerant, extincta atque abrasa sunt. Quæ clades repentina ac tam violenta institit, ut tunc unâ die per unam portam ex illis junioribus plus quam mille quingentos mortuos elatos fuisse narretur. Similes historias vide apud Sigebertum in Chronicis ad annum DCCCLXXIV. Antonium Bonfinium rerum Ungaricarum Decad. 2. l. 9. Gregorium Turonensem l. 6. Hist. Franc. cap. 33. & alios. Non immeritò igitur Scaliger Locustas pestem vocat, cum ex iis tanta pestis producta; & nostra animalia Norvagica, Locustarum simillimam pestem; cum ex eorum putrefactione morbi pestiferi & contagiosi oriantur, ut in progressu apparebit, tum quoque quod satis & graminibus verè sint pestis. Nobis arridet Muris Norvagici titulus, quo etiam in sequentibus ea donabimus.

Figura Murem aut Soricem repræsentat, nisi quod caudâ sit minori. Unde miror quosdam è vulgo, qui pullis Anserum nuper exclusis, aut quatuordecim dierum, illum assimilent, cum nihil illis simile habeat, præter colorum varietatem. Longitudine est unciarum quinque circiter, dantur enim majores paulo & minores, pilo subtili, variis coloribus tincto, capitis extremitas supina nigricat, vertex flavescit, hinc collum & scapulæ nigræ, corpus reliquum rufescit, intermistis maculis quibusdam nigris, parvis, variarum figurarum ad caudam usque, quæ brevis, vix dimidiæ unciæ longitudine, pilosa, tenuis, ex flavo nigricans. Macularum autem in omnibus non idem ordo, figura, aut magnitudo observatur. Caput acuminatum; os cingunt pili multi, rigidi, mystacis instar, ex quibus duodecim longiores reliquis & rigidiores, utrinque sex, late dispersi. Os parvum est, cujus superius labrum scissum, ut in Sciuris, ex quo eminent dentes duo, magni, incisorii, acuti, incurvi, quorum radices ad oculorum orbitam pertingunt, & molarium insertionem; parte extremâ, quâ eminent, excavati. Quibus in inferiori maxillâ, quæ tribus processibus jungitur superiori, totidem respondent, eodem modo dispositi. Ab his distant maxillares, utrinque numero tres, quorum anterior latissimus, quatuor incisuris constans, secundus tribus, tertius minimus, suis alveolis distincti, & ad interiora palati interstitio sat magno siti. Lingua pro ratione oris magna satis & ampla, ad extremitatem dentium incisoriorum pertingens. In eo, quem me præsente secuit Clariss. & Excellentiss. Anatomicus D. D. Thom. Bartholinus, invenimus in faucibus ramenta quædam palearum, fæculento humore obducta. Ut vel hinc colligere liceat inter ruminantia locum habere hoc animal. Oculi parvi, nigri. Aures obtusæ, in dorsum reclinantibus auriculis. Crura anteriora brevissima, pedes pilosi, quinque acutis & incurvis unguibus armati, quorum medius longissimus, reliqui utrinque ab hac longi-

tudine deſciſcentes, anteriora ſpectantes; quintus pollicis aut calcaris galli inſtar, altius aliquanto crura verſus ſitus eſt. Poſteriora longiora videntur, ſed figurâ ab anterioribus nihil diſcrepantia. In uno eorum, quos diſſecuimus, inventum eſt os tibiæ ſiniſtri pedis poſterioris, fractum & per callum conſolidatum. Mirum, quod, etſi cruribus ſit breviſſimis, curſu tamen feratur celerrimo & concitatiſſimo, pelle eſt tenuiſſimâ & facile corruptibili, niſi quâ labia tegit, ubi craſſior apparet, ut pili myſtacis in eo melius firmentur. Venter totus albicat ad flavedinem tendens, Oſſa tenuia & fragilia admodum, ut ad minimum Ictum facile frangantur. Interiora viſcera rimari non licuit, quia exenterati & exſiccati fuêre hi mures omnes quotquot ad me pervenerunt. Scribit ad me Clariſſ. & Reverend. D. Socer, M. Janus Schelderupius, Epiſcopus Bergenſis, ſibi in viſitatione ſuâ vivum ejuſmodi animal oblatum eſſe, quod cum cado includi curaſſet, & folia betulæ ad manducandum objeciſſet, ex iis ſtrenuè comedere coëgit, ſed non niſi unicum diem ſupervixiſſe: exenterari dum curavit, obſervavit viſcera hepatis, cordis, & inteſtinorum tantâ pinguedine obſita, ut referret anſerum ſaginatorum maſſas: exenteratum cum ad proram navis ſuſpendiſſet, ab adventantibus picis ſubito decerptum eſt. Sexus diſtinctionem animadverti, quia in eo, quem primo diſſecuit Clariſſ. D.D. Thomas Bartholinus, penis viſebatur longitudine conſpicuâ; ſitus verò erat paulo infra uropygium. Ex reliquiis inteſtini recti excrementum expreſſimus nigrum, murino ſimillimum. Hæc ſingula ut melius appareant & intelligantur, Iconem Muris hujus vivi adjecimus, & ſceleti imaginem, quod ex oſſibus conſtruxit & Muſeo meo dicavit, ſæpius laudatus Anatomicus noſter D. D. Thom. Bartholinus, addito eleganti hoc Epigrammate:

Qui pluit ex cœlo repetit veſtigia cœli:
Hoc opus eſt WORMI, *quod fuit ante Iovis.*

THOM. BARTHOLINUS.

FIGURA I.

Fig. I. *Mus Norvagicus, vulgo Leming*

Fig. II. *Sceleton Muris Norvagici.*



FIGURA I.

MURIS NORVAGICI vivi Iconem exhibet quam fieri potuit accuratissimam.

FIGURA II.

SCELETON ejus repræsentat.

a *Dentes anteriores falcati superioris maxillæ cranio insiti.*
b *Dentes anteriores inferioris maxillæ falcati.*
c *Lingua crassa satis & magna.*
d *Molares dentes.*
e *Triplex apophysis, quâ inferior maxilla superiori nectitur.*
f *Scapulæ.*
gg *Pedes anteriores, in quibus digiti quinque totidem aduncis & acutis unguibus armati.*
h *Dens unus anterior ex alveo exemptus, ut radicis longitudo appareat.*
i *Dens molaris primus, latissimus, ex quatuor quasi compositus.*
k *Huic vicinus ex tribus quasi constans.*
l *Vltimus ex duobus.*
m *Ossa auditus Circulo inclusa.*
n *Costæ utrinque quatuordecim.*
o *Vertebræ lumbares ad caudam usque duodecim.*
p *Ossa ilii.*
q *Os femoris triplici nodo constans ut ossi ilii jungatur.*
r *Penis, ossi ilii membranulâ adhærens.*
s *Patella in genubus.*
t *Ossa cruris fracta per callum consolidatâ.*
u *Pedes posteriores, cum digitis & unguibus, quorum pollex & minimus longitudine æquales & minores tribus reliquis.*
x *Cauda decem constans articulationibus.*

Vorax admodum eſt animal, ut breviſſimo tempore prata & agros frugibus conſitos conſumat & vaſtet, maximo colonorum incommodo. Ingenti examine, more Locuſtarum cadentia, omnia virentia deſtruunt, & quæ morſu tantum attigerint, emoriuntur virulentia, inquit Olaus Magnus. Hinc eſt, quod Scaliger Peſtem vocet Locuſtarum ſimillimam. Ferunt quidam fruges non conſumere, ſed genicula emergentis ariſtæ arrodere tantum, unde decidunt germina & ad maturitatem non perveniunt. Verè de iis dici illud poteſt, quod de Muribus Agreſtibus notat Ariſtotel. lib. 6. Hiſtor. Animal. Locis compluribus agri tam inaudito modo oriri ſolent, ut parum ex univerſo frumento relinquatur. Tam cito abſumitur, ut nonnulli mediocres Agricolæ, cum pridie metendum ſtatuerent, poſtridie mane cum meſſoribus accedentes ad ſegetem, abſumptam inveniant totam. Nec ſegetibus & graminibus infeſtum ſolum hoc animal, ſed & ipſis hominibus. Fide dignâ relatione accepi, dormientem puellam adortam eſſe horum catervam, ac morſibus & vulneribus ſubito eam vehementer defœdaſſe, ut, niſi doloris acerbitate excitata fuiſſet ac hoſtes abegiſſet, de vitâ actum fuiſſet. Nec mirum tantâ copiâ provenire ac catervatim ſata infeſtare, cum fœcundiſſimum animal Mus ſit. Refert namque Ariſtoteles lib. 6. Hiſt. Animal. & ex eo Plinius lib. 11. Nat. Hiſtor. cap. 65. Mure fœminâ prægnante diſſectâ, inventos intus fœtus prægnantium ſpecie, & in vaſe miliario relictâ fœminâ, non multo poſt aperto vaſe, extitere muſculi centum viginti numero. Ex noſtris in Norvagiâ inventi novem muſculi, præter ſeniores, in uno nido. Vindiciarum cupidus eſt, ſi enim bacillo aut aliâ re leviore tetigeris, in pedes poſteriores ſe conjiciens, erecto corpore, rictum obvertit & morſu ſe defendere conatur, ſonum quendam inconditum & ſtreperum latratum eructans. Injuriarum externarum minime patiens. Si enim vel leviter baculo tangatur aut percutiatur, moritur. Latibula ſub terrâ ſibi conſtruit, in quibus plures ſimul habitent, & ad ea per cuniculos ambagioſos etiam ſub terrâ vias & ſemitas ducunt, trium digitorum latitudine, non admodum profundè, ſed paulo infra ſuperficiem terræ ad radices fruticum & plantarum. Ubi in majori copiâ habitant, terram ita arant, ac ſi roſtro ſuillo eſſet ſubverſa. Plantâ Saniculæ valde delectari animadverſum eſt, folia ejus morſu curioſe detondent, nec ceſſant antequam tota planta ſit conſumpta. Forſan cum ex caſu graviore è nubibus decidêre læduntur, & hac plantâ ſibi mederi norunt, peculiari naturæ inſtinctu. Vivit hoc agmen, inquit Olaus, donec non guſtaverit herbam renatam. Conveniunt quoque gregatim quaſi hirundines avolaturæ, ſed ſtato tempore moriuntur acervatim. Quidam frigoris impatientes eſſe referunt, ac mox ingruente hyeme frigoribus, nive & glacie opprimi. Sed utrumque non videtur improbabile. Maximam enim partem, quæ cuniculos altius in terrâ non foderunt, frigore necari crediderim: reliquias verò in cuniculis & horreis ſe à frigoris aſperitate defendentes, verno tempore, guſtato novello gramine, interire. Accepi virum quendam religioſum aliquot dolio amplo incluſiſſe, fœnum, contrita frumenta & fraces pabuli loco exhibuiſſe, atque ita per biennium incolumes conſervaſſe, adeo ut in hoc dolio etiam fœtus ſuos excluſerint. Sed denuo appropinquante vernali tepore, gramina recentia ubi exhibuiſſet, enecta fuiſſe, non ſecus ac ſi venenum aliquod hauſiſſent. Venari & conſumere hæc animalia etiam alia ſolent, ut feles, vulpes, canes, oves, in quarum ventre reperta, ſues, viverræ, muſtelæ, quas ex eorum eſu adeò pingueſcere refert Olaus ut inde pellium menſuram reddant ampliorem. Addit, iis corruptis aërem infici lue, ut incolæ vertigine & ictero corripiantur. Inter aves corvi, cornices, picæ, bubones eos perſequuntur, nec à ſerpentibus aut aliis muribus tuti ſunt. Sed de his fuſius in ſequentibus. Animoſi adeo ſunt, ut inſidiantia non curent etiam maxima animalia, non enim fugiunt ſed audacter iis rictum opponunt, ſe defendere magno animo conantes.

Cum animalia hæc certis in locis, non quovis tempore arvis incumbant, de eorum generatione variæ extant opiniones. Jul. Cæſ. Scaliger Exerc. 192. ſect. 1. è nubibus putridis generari autumat, eo quod cum pluviâ decidant, &, ut ait Olaus Magnus, per tempeſtates & repentinos imbres è cœlo decidant. Idem Olaus mox hac de re ſubdubitare videtur, dum inquit. Incompertum unde veniant, an ex remotioribus inſulis, & huc vento delata, an ex nubibus fæculentis temere nata deferantur. Id tamen compertum eſt, ſtatim atque deciderint reperiri in viſceribus herbas crudas nondum concoctas. Alii ordinario naturæ curſu per coitum & generationem propagari ſtatuunt.

Scaligeri opinio non admodum abſona: ſiquidem ei faveant piſcatorum & aliorum

in

in Norvagiâ obſervationes, qui in mari navigantes viderunt hæc animalia, magnitudine inæqualia, è nubibus decidere in cimbas, ſcaphas, ac vicinum mare. Anno MDCLI. fœmina quædam Birgitta Hoflund in Parochiâ Sogne, quam per aliquot annos adverſa valetudo lecto adfixit, ſeſe paululum ubi recollegiſſet, auram captatura, aëri ſudo ſe expoſuit, ſedenti ad parietem in ſinum delapſum eſt horum animalium unum, quo quantopere perterrefacta fuerit dici nequit. Aſlacus Houglandus Præfectus in Rafnefiord, cum eodem anno ſcaphâ mari ſe committeret, duo in cimbam in medio mari deciderunt, admirantibus ſociis, qui in eâdem cimbâ erant, ſubſequente mox tempeſtate ingenti, cujus forte prænuncia fuere. Obſervatum quoque, quod, poſtquam deciderint, per quadrantem horæ circiter, ſemimortua jaceant, antequam ſe in pedes conjicere valeant. Catervatim verò è nubibus decidiſſe, vix obſervatum. Cum vernali tempore è mari nebulæ craſſiores elevantur, & vento ſilente in vicinos littori ſcopulos impingunt, tum majori copiâ ingruunt hæ beſtiæ. Nebula autem, cum quâ decidunt, fœtida admodum eſſe ſolet, craſſa & fere palpabilis, adeo ſuffocativa ut liberam reſpirationem impediat. Quæ tamen vento flante occidentali non univerſalis eſt, ſed certis tantum provinciis incumbens, intactis vicinis. Obſervatum quod poſt ejuſmodi pluvias ac nebulas vere decidentes, in montium verticibus, ad tres vel quinque ulnas nive tectis eorum catervæ ſint conſpectæ. Quæ in terrâ generari non potuerunt, tum gelu conſtrictâ, & tanto nivium cumulo tectâ. Decidiſſe igitur è nubibus neceſſum eſt.

Nec aliis hæc opinio deſtituitur fulcimentis: ſi enim aliis ejuſdem cenſus animalibus pluiſſe conſtet, quidni & hiſce id fieri poſſet? Avicennæ licet non credamus, qui vitulo quandoque pluiſſe refert: ignobiliora tamen animalia in nubibus generata cum pluviâ decidiſſe docent obſervationes virorum doctiſſimorum indubitatæ. De Ranis res eſt notiſſima: Euſtachius teſtatur in Dardaniâ & Pæoniâ Ranis pluiſſe tam multis, ut incolis aufugiendum fuerit. Quam rem fuſius perſequitur Athenæus libr. 8. cap. 2. ex Heraclide Lembo libr. 21. Hiſtor. In Pæoniâ & Dardaniâ, inquit, tanta vis Ranarum è cœlo delapſa, ut publicas vias privataſque domos implerent. Primis autem diebus incolas paſſim eas occidiſſe, ædibuſque occluſis aliquandiu patienter eam moleſtiam pertuliſſe: Sed cum nihil proficerent, domeſticaque ſupellex illis tota obtegeretur, ac cum cibariis elixas aſſaſque Ranas offenderent, aquarum ereptâ commoditate, & quia coacervatis illis non erat pedem ubi ponerent, mortuarum odore ad extremum vexati, patriam deſeruerunt. Audi oculatum teſtem Jul. Cæſ. Scaligerum Exerc. 191. Eſt in Santonibus, oppidum Mirabellum, cujus viæ & angiportus Ranarum (alii Bufones fuiſſe dicunt) pluviâ tam referti fuerunt, ut primum horror perculſerit oppidanos, deinde ſtupor ceperit, tum faſtidium ex illuvie, poſtremo lues ex odore malo putrefactorum. Eandem Hiſtoriam repetit Exerc. 323. his verbis: Mirum bellum oppidum eſt Santoniæ præturæ, in cujus agro tantum pluit Ranarum, ut cumulatim totæ vix tegerentur. Oppidani neque domo efferre pedem, neque ubi veſtigium ponerent habuerunt. Eâdem exercitatione narrat, deductis ex hiatu novo rupium limpidiſſimis aquis, poſtridie non Gyrinos ſed perfectas ibi ranas vidiſſe, incolas in lapideâ foſſâ quæ ante villam erat. Quod ſi igitur Ranæ tantâ copiâ in nubibus generari potuerint, & cum pluviâ decidere, quidni & mures hi, præſertim cum tantam agnoſcat ranarũ cum muribus, quoad generationem, cognationem idem Scaliger, ut mox ſubjungat: Si mus non ſemper è parentum ſemine, ſed è quiſquiliis in navi, ſic in aëre rana, haud ex ovo ſed ex aquâ genitali cœleſti calore condenſata, conformataque. Narratum à ruſtico quodam Norvago, cum hyeme cum ſocio per flumen glacie concretum iter faceret, in mediâ glacie decidiſſe in pileum & veſtem bufonem ſat magnum, ſtupente qui aderat ſocio. Ex pluviâ tonitruum & fulminali bufones gigni inde colligit Libertus Fromundus lib. 5. Meteor. cap. 6. Art. 1. quod poſt talem pluviam horti cujuſdam vias exiguis bufonibus oppletas aliquando vidit. Tantum Erucarum è cœlo unâ nocte decidiſſe narrat Diodorus Siculus lib. 4. Biblioth. in Velauniis, ut eas, in domos reptantes, biduo toto accenſâ paleâ urere neceſſum fuerit, vix ad id ſufficiente hominum mulierumque turbâ. Erucis & Lumbricis in Iſlandiâ quandoque pluiſſe fide dignâ relatione accepi. Certe, ſi ex luto Nili, ut tradunt Autores, ita effigientur mures, ut, abſolutâ priore corporis parte, noviſſima etiamnum terrena viſatur: quidni in nubibus ex variis quiſquiliis murium ſemine imprægnatis, è terrâ elevatis & aquâ cœleſti certo modo temperatis, certis in locis tale murium genus effingi poſſe credamus? Non valde diſſimilem generationis eorum in nubibus modum tradit Fride-

ricus

ricus Nauſea lib. 4. mirabilium cap. 9. Cum, inquit, vapore aqueo ſimul elevatur materia viſcoſa, quæ per virtutem Solis in id genus res & ſubſtantias, cooperante illuc cœleſti impreſſione, tranſmutari poteſt, maximè quia vehemens ventus unà cum humore res ejuſmodi ſuſtollere potens ſit. Quo etiam factum videtur, ut in Norvagiâ cum nebulis iſtis craſſis Sciuros & Muſtelas, quas Hermelinos vulgus vocat, etiam decidiſſe viderint. Quod ultimum ad confirmationem ſequentis opinionis maximè facit. Cum igitur, tot animalium genera in nubibus generata pluviis decidiſſe, fide dignorum autorum conſtet teſtimoniis, quidni & hæc eodem modo generata in nubibus ſtatuamus? In Nordlandiâ, & plagâ Septentrionali Norvagiæ, crebriùs imbribus decidere animadvertunt, ac hinc deinde terreſtri itinere verſus tractum meridionalem tendere, ubi minus quandoque noxia ſunt. Petrus Undalinus, qui de animalibus Norvagiæ quædam vernaculo idiomate reliquit Schediaſmata, refert quod anno MDLXXX. ex Jemptiâ & tractu Nidroſienſi, ubi agros devaſtarunt, magno agmine in Liſterenſem irruperint Provinciam, ubi non multum detrimenti incolis attulerunt, quamvis ex iis quædam in annum ſecundum vixerint, quod raro contingit.

Contra hanc Scaligeri ſententiam diſputat Clariſſ. Fortunius Licetus lib. 2. de his qui diu vivunt ſine alimentis. cap. 40. ſed argumentis plane levibus. Primo, in margine libri citat Scaligeri Exerc. 199. cum tamen eâ Exercitatione ne gry quidem extet de his animalibus, ſed de lanis, paſcuis Belgicis & Brittanicis, &c. ibidem agit Scaliger. Verus locus, ubi de his tractat animalibus, eſt is quem ſupra nos citavimus, ſectio nempe tertia Exerc. 192. cujus verba integra adducam, ſiquidem ex iis ea exſculpit Licetus, quæ ibidem non reperiuntur. Sic autem Scaliger: Locuſtarum ſimillima peſtis, ea quæ Norvegiam frequenter incumbit è nubibus putridis. Pluit ab iis beſtiola quadrupes, magnitudine Soricis, pilo vario, Lemmer nomen habet. Depaſcitur Locuſtarum more omnia virentia. Conſumpto pabulo intereunt: corruptis aër inficitur lue, unde Vertigine & Regio morbo incolæ corripiuntur. Tantum Scaliger verè & experientiæ conſonè. Contra Licetus loco allegato: Hoc ipſum dicere poſſumus de Lemmer (Lemmer eſt in Scaligero) Scaligeri, quod beſtiolarum genus è nubibus putridis non gigni, ex eo plane conjicias, quia Norvegiæ incolas, ante horum animalium exortum & interitum, aëre uſos non inſalubri, monet vir acutiſſimus. Sed ubi quæſo? ne verbum quidem hac de re Scaliger loco citato, ut cuivis legenti patet. Imo contrarium docet experientia. Antequam enim decidant, & dum decidunt aërem inquinatum eſſe putridis vaporibus, & nebulis adeo craſſis, ut reſpirationem fermè intercipiant, omnes teſtantur, qui decidentes vidêre hos mures, & nos ex eorum relatione fuſius id expoſuimus. Alias quibuſdam in locis Norvagiæ, quandoque ſerenum & limpidum eſſe, quandoque verò, vernali præſertim tempore, craſſum, nebuloſum, & fœtidum, ſatis teſtabuntur quotquot in iis locis vixerunt. Ex quibus apparet, nullius momenti eſſe ea quæ mox in Liceto ſequuntur, utpote & rationi & experientiæ repugnantia. Sic namque pergit: Rationi verò conſentaneum erat, eas gentes eandem luem contraxiſſe, multo prius aëre putridis vaporibus ſeu nubibus referto, unde gigni Lemmer poſſunt, atque poſtea contrahant, eodem inquinato vaporibus, in quos corruptione Lemmer abierunt. Quod hic Licetus rationi conſentaneum ait, id experientiæ repugnat & veritati. Nunquam enim animadverſum hoſce morbos iis in locis, ubi hæc animalia fuerunt, graſſatos fuiſſe, antequam cadavera harum beſtiarum aërem infeciſſent. Verum igitur ultimum, quod lues hæ homines occupent, aëre inquinato vaporibus, in quos corruptione Lemmer abierunt. Hinc, quantum præjudicii gignet ratio, experientiâ non ſuſtentata, abunde liquet.

Altera opinio Olai, quæ ſtatuit in Inſulis quibuſdam remotis, aut in ſummis montium apicibus generari, vulgari maris & fœminæ copulâ, ſed poſtea procellis & tempeſtatum vorticibus, aut nebulis circumventos hos mures abripi & in alia loca tranſportari, non omni plane caret probabilitate. Ipſe argumentum ex eo depromit, quod, ſtatim atque deciderint, reperiantur in viſceribus herbæ crudæ nondum concoctæ, imo fruges, triticum & ſiligo, &c. Quod fieri non potuit, niſi ante extitiſſent iis in locis ubi tales herbæ generantur, quod in nubibus contingere non poſſe ſatis conſtat. Accedit, quod alia animalia pari modo in aërem elevata fuiſſe ac mox decidiſſe doceat experientia, ut de Sciuris & Muſtelis dictum. Plinius Hiſt. Nat. lib. 31. cap. 1. ita hac de re diſſerit. Quid mirabilius eſſe poterit aquis in cœlo ſtantibus? At illæ, ceu parum ſit in tantam altitudinem pervenire, rapiunt eo ſecum piſcium examina. Athenæus lib. 8. Deipnoſoph. cap. 2.

cap. 2. Multis in locis Piſcibus Deum pluiſſe non ignoro, inquit. Phanias lib. 2. de iis quæ apud Ereſios πευϑανεῖς fuerunt, tradit in Cherſoneſo piſcium multis viſam fuiſſe pluviam, non paucis in locis, multotieſque & tritici & ranarum accidiſſe. Hæc ille. Cum igitur talia animalia in terrâ & aquâ generata in aërem elevari conſtet, quid vetat quo minus & hæc in terris procreata eo quoque deferri poſſint, ac rurſum decidere? Nec obſtat, quod, ſi è terrâ attollerentur & rurſum deciderent, oporteret omnes exanimes labi & partim ſemivivos, partim contuſos reperiri hos mures. Nam corpora cum habeant levia, pellem mollem, gravem alliſum facere nequeunt in lento deſcenſu, & cum pedibus ſint brevibus, quos ſub alvum mollem retrahunt, ut non ita facile frangi aut lædi poſſint. Accedit quod rarius in urbibus ac pagis, ſed crebrius in mollibus arvis & paſcuis decidant. Fatentur quidem illi qui decidentes in urbibus viderant, obſervaſſe ſe quoſdam, mox in pedes ſe proripientes abiiſſe, quoſdam tanquam ſemimortuos & exanimes aliquamdiu jacuiſſe antequam ſe recolligerent, quoſdam verò plane mortuos fuiſſe. Quin imò in pagis Norvagiæ non tegulis lapideis ſed mollibus ceſpitibus teguntur ædes, ad quos alliſi nihil detrimenti capere poſſunt. Primæ ſententiæ patroni regerere poſſunt, idem hoc argumentum contra pluviam aliorum animalium, quæ è cœlo decidunt, valere. Cujus tamen vim infringit quotidiana experientia & hiſtoriæ fide dignæ, illæſa enim ut plurimum decidunt, & ad ſuum quæque tendunt latibulum. Conſiderandum præterea, quod in deſcenſu ſemper in cognato & nativo verſentur elemento, aëre nempe in quo generati, ad terram uſque, quocirca motus deſcenſus in iis non adeo violentus, ut in rem duram, quæ eos lædat, impingere poſſint vehementius.

Qui communi modo ex maris & fœminæ commiſtione generari volunt, urgent fruſtra illis conceſſa eſſe genitalia, niſi ad generationem iis uterentur. Sexus diſcrimen idem arguit: mas enim ut plurimum major eſt fœminâ, & maculas nigras majores habet. Et certe Inſulas ac loca allegant in quibus perpetuo vivant ac propagentur aliorum murium inſtar. Eſt in tractu Diœceſis Stavangrienſis Provincia, Jederen dicta, cui adjacent parvæ Inſulæ, in quibus ſemper conſpici volunt, ſuis latibulis & cuniculis terram ita ſubvertentes, ac ſi roſtro ſuillo eſſet egeſta. Ita verò rem ſe habere ajunt, ut, ſi hyems fuerit aſperior, in minori copiâ cernantur verno tempore, ſin levior, majori. In eorum latibulis, quæ plerumque ad radices fruticum & arbuſtorum ſunt (quorum cortices terræ vicinos, cogente fame, abradunt & comedunt) conſpectus aliquando fuit unus grandior, quinque vel ſex fœtibus minoribus ſtipatus. Imo ſingulis menſibus parturire cum ſtatuant quidam, non mirum quod tantâ copiâ conſpiciantur. Aliæ quoque accedunt cauſæ, ob quas fœtus uno tempore plures, alio pauciores edant. Obſervarunt namque Agricolæ mures ſilveſtres ordinarios, iis annis, quibus largas in ſilvis quercus & fagi ſuppeditant ſaginas, ex reliquiis à Suibus non conſumptis adeò pingues & ſalaces reddi, ut fœtus edant innumeros, qui anno ſequenti catervatim in campos & horrea irruant, obvias fruges conſumentes. Quod ſuo damno, hoc anno MDCLII. experti ſunt qui Scaniam incolunt. Haſce opiniones earumque fundamenta ſi expenderimus, ac quid Natura in aliis animalibus moliatur conſideraverimus, non videbitur abſonum ſi ſtatuerimus, omnibus hiſce modis generari & propagari hæc animalia poſſe, ac certis terrarum tractibus immitti. In ipſis quidem nubibus generari poſſe ex materiâ diſpoſitâ & horum animalium ſeminio prægnante, quis negaret, cum videat hoc in aliis ejuſdem generis contingere poſſe? Atque hæc eſſe illa quæ catervatim in montibus altioribus reperiuntur, quorum quidam cum pluviâ decidunt: alia verò ventorum & turbinum violentiâ, ab eorum cacuminibus & inſulis ubi ordinarie generantur, rapi & ad alias regiones deferri, quis impoſſibile putaret, qui id in aliis haud raro fieri animadvertit? Anno MDCXXV. naves circa Nidroſiam navigantes pluviam cineream ſunt expertæ, tranſtra opplentem, cineribus, ex Heclâ monte Iſlandiæ tunc temporis ardente, vento & tempeſtatibus eò tranſlatis. Ordinariæ verò generationis documenta evidentia præbent membra genitalia utriuſque ſexus, quia haud fruſtra iis conceſſa à Naturâ, quæ nihil fruſtra agit. Quin ſi addidero per putredinem quoque, ut alii mures, generari poſſe, forſan non aberravero. Non quod ſtatuam putredinem cauſam principalem eorum eſſe, ſed quod in limo & terrâ putridâ, ubi antea fuerunt, ſeminium quoddam eorum latitaverit, quod certâ cœli conſtitutione, adjuvante calore putredinali, in actum deducatur, atque ſic hæc animalia exiſtant. Sed de generatione ſat dictum.

Ut ortus horum animalium mirus & disputationi obnoxius; ita & interitus. Vivit, inquit Olaus Magnus, hoc agmen donec non gustaverit herbam recentem. Conveniunt quoque gregatim quasi hirundines avolaturæ, sed stato tempore aut moriuntur cum lue terræ; aut à bestiis dictis Lekat, vel Hermelinis consumuntur. De iis loqui videtur, quæ nec à frigore hyemali, nec ab aliis animalibus vinci aut abigi potuerunt. Plinius lib. 10. Nat. Hist. cap. 65. de muribus repente genitis, quomodo repente intereant quærit, tanquam de re nondum satis cognitâ & perspectâ. Illud autem adhuc latet, inquit, quonam modo illa multitudo repente occidat. Nam nec exanimes reperiuntur, nec extat qui murem hyeme in agro effoderit. Cui tamen respondisse videtur Aristoteles lib. 6. de Hist. Animal. cap. 37. in hunc modum: Interitus minimè evenit ratione, ἀ κ̓ λόγου; paucis enim diebus abolentur, quanquam superiore tempore homines vincere vel suffiendo, vel sues, ut latibula effoderent, admittendo, non possent. Quin etiam vulpes eos venantur, & catti silvestres in primis: sed tamen superare copiam & celeritatem proventus nequeunt: nec aliud quippiam vincit, nisi imbres: iis enim quam primum intereunt. Quod de istis muribus Aristoteles & Plinius, id de nostris hisce dicere valemus, quod solo recenti gramine vincantur, qui aliis mediis debellari nequeunt. Sed quomodo hoc contingat, aut quæ sit illa vis in recenti gramine, quâ non secus ac veneno necantur, investigatu est difficile. An per hyemem in latibulis suis, ut glires ruminatione depastarum frugum & graminum viventes, ita attenuata & corrugata obtinent viscera, ventriculum in primis, ut avidè vernali tempore devorata gramina ferre, concoquere, & elaborare nequeant, unde cumulatæ cruditates eos ita distendunt, ut compressis vitalibus suffocentur, ac mori cogantur? An ros vernalis herbis incumbens totâ substantiâ his ita venenatus, ut imber illis de quibus loquitur Aristoteles? Quicquid sit, in novellis herbarum germinibus aliquid esse oportet, quod ipsis totâ substantiâ sit adversum. Observatum, quod mures, qui cum pluviis decidunt primo vere, ante festum Annuntiationis Mariæ, ut primum gustaverint gramen novellum, emoriantur: sed qui post festum Mariæ decidunt, vel ex aliis generantur, integro vivunt anno, donec rursum nova gramina è terrâ pullulaverint, quibus degustatis intereunt. Quæ, de eorum interitu, ex Diœcesi Bergensi ad me perscripta sunt, addam. Ab intemperie frigidâ hyemis se defendere norunt, quamvis, ingruente brumâ, non adeo agiles ac vegeti sint, ut tempore æstivo. Si nix ante glacialem terræ constrictionem inciderit, perforando nivem, sub eâ se condunt & radicibus herbarum ac graminum vescuntur. Sin contrarium accidat, corticibus certarum arborum & virgultis pecorum pastui destinatis se sustentant. Hujus generis sunt Ulmi, Coryli, Sorbi, aliaque ejus generis, non sine insigni rusticorum detrimento, qui quandoque aliud non habent quo pecora per hyemem pascant, quam ejusmodi corticum & virgultorum reliquias. Accedit, quod ejusmodi frutices, corticibus nudati, plane pereant nec anno sequenti renascantur, unde insigne Agricolis detrimentum. Herbæ quoque & gramina, radicibus spoliata, plane pereunt, nec vernali tepore redire queunt, hinc pecora fame, peste, & pabuli inopiâ plane enecta concidunt.

Verum tantam cladem hisce muribus non infert frigoris asperitas, quantam ab aliis patiuntur animalibus, corvis nempe, cornicibus, picis, bubonibus, felibus, canibus, vulpibus, mustelis, muribus aliis, colubris & anguibus quoque; quæ hasce bestias venantur & occidunt. Ursus maxime omnium horum venatione delectatur, ubi enim in eorum agmen inciderit, saltat ac ludit, iisque adeo implicatur, ut à venatore improviso quandoque circumveniatur, ac globo trajiciatur. Capræ & oves eos quoque comedunt, sed magno suo detrimento, morbos enim inde contrahunt, quibus dein conficiuntur. Cœlo sereno agminatim aquas petunt, in earumque superficie non secus ac in terrâ currunt & ambulant: sed si inopinato ventus aquas agitaverit, madefactis pilis & graviores ab aquis redditi, submerguntur. Invicem etiam morsibus se petunt ac conficiunt. Observatum, quod si homo quispiam eos aggrediatur, ut necet, stans uno in loco infinitos possit prosternere, ut mirum sit, quomodo tantâ copiâ, tam subito, congregari possint: sed, si quis eos prætereat ac non offendat, rari occurrunt.

Miraculose quandoque à Deo in mare præcipites agi experientia docuit, adeò ut multa millia simul mortua reperiantur, aquis marinis innatantia, eo delata ex locis, ubi fructus in agris ac campis antea consumpserunt. Quo spectant illa quæ de aliis muribus differit Bodinus lib. 3. Theatri Nat. Murium nempe illa examina à Deo produci extra

Naturæ

Naturæ ordinarios effectus, & eâdem potentiâ sic evanescere, ut nullus usquam vivus aut mortuus, populatis frugibus, reperiatur. Alioquin, inquit, terras omnes vel fœtore, vel sui propagatione infestarent, nec Dei jussu sed ordine Naturæ frugum copiam & inopiam prodire putaremus. Quæ quidem licet rectè satis dicantur: Physicus tamen, cum non tam de causis universalibus & remotis sit sollicitus, quam de proximis & immediatis, eo acquiescere nequit. Deus quidem omnium causa recte dicitur, sed quia ad effectus in Naturâ producendos, non immediate, sed per causas naturales agat, hasce investigare Physici est muneris. Nec quicquam hoc ipso decedit omnipotentiæ divinæ. Nam, ut rectissimè philosophatur Libertus Fromundus Meteorologiæ lib. 5. cap. 6. art. 4. Minus est rem tam admirabilem solâ omnipotentiâ efficere, quam insuper causis naturalibus secundis talem genium indere, ut causæ primæ in opere tam mirifico valeant ministrare. Sicut majoris ingenii est horologium ad horas numerandas fabricare, quam manu propriâ campanam pulsare. Et certè, qui sagaciore sunt indole, quique diligentius omnia contemplantur quæ circa hæc animalia contingunt, facile ad causas interitus eorum pertingent. Quia nobis non datum est tempus, locum, aut modum observare, relationibus aliorum contenti, probabiliter hæc disquirimus. Quomodo examina illa murium, quæ anno MDCXVII. quædam Belgii loca occuparunt, perdiderit Deus, rationibus Naturæ consonis docte ostendit idem Fromundus loco citato. Hyeme, ait, autumnum illum excipiente, acre & profundum gelu mures altius in terræ viscera compulit. Deinde altissima nix superfusa foramina implevit, ac denique pluvia quodam diluvio superveniens cum subitâ nivium tabe, ita universos suffocavit, ut ne unus amplius usquam apparuerit. Corpora enim illa, ex pluviâ & terrestri pulvere aliisque causis raptim & perfunctorie conformata, citissimè dissolvuntur & in sua redeunt elementa. Pari modo, licet Deum nostras has pestes miraculose in mare præcipitare constet; ventorum tamen & tempestatum ministerio uti probabile valde videtur.

Ubi omnia media Naturalia ad mures hos Norvagicos profligandos irrita apparent, ad preces & supplicationes confugiunt homines, flagellum hoc Dei deprecaturi: & certè quandoque conatu haud irrito. Observatum namque, quod post generales & pias preces, publice indictas & habitas, populi sui misertus sit Deus, atque partem in mare præcipitaverit, partem ventis & tempestatibus ita abegerit, ut, quo delata sit tam subito, nemo investigare potuerit.

Vir quidam reverendus, tractus Lysterensis verbi divini præco, fide dignus, D. Magnus Schanke, retulit ante annos quinquaginta circiter tantam copiam horum animalculorum conspectam fuisse, ut fruges & gramina omnia pessum dederint, ut quo se verterent incolæ non haberent. Frustra tentatis mediis omnibus naturalibus, tandem vota Deo nuncuparunt, Eleemosynas pauperibus erogarunt, precesque solemnes & publicas indixerunt: cum verò ejus gratiâ Ecclesiam peterent, campos omnes hisce constratos viderunt; sed absoluto sacro officio, domum cum tenderent, omnes agminatim in mare præcipites actos observarunt, ut vix unius superesset vestigium.

Pontificii conjurationes & exorcismos excogitarunt, quibus ejusmodi animalia, fruges consumere nata, abigerent. De quibus lege Franciscum Leonem in suo thesauro fori Ecclesiastici part. 4. cap. 3. item Hieronymum Merigum in tractatu de eversione Dæmonum, Exorcism. 17. ubi Benedictionem aquæ proponit, contra vermes, aves, locustas, & alia animalia ex maleficio fructus terræ devastantia. In Sacerdotali Romano hic extat processus, quem ut nemini commendo, ita historicæ relationi ut fiat satis, non est quod præteream.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit Cœlum & Terram.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

ORATIO.

PRECES *nostras quæsumus Domine clementer exaudi, ut, qui justè pro peccatis nostris affligimur, & hanc avium, vermium, seu murium, aut locustarum, vel aliorum animalium persecutionem patimur, procul à tua potentia expulsi, nulli noceant, & hos campos, agros, vel vineas aut aquas in tranquillitate & quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia & orta, tuæ majestati deserviant, & nostræ necessitati subveniant. Per Christum Dominum nostrum, Amen. Oremus.*

ORATIO.

OMNIPOTENS, *sempiterne Deus, omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miserator, in cujus nomine omnia genua flectuntur, cœlestia, terrestria & infernalia, tuâ potentiâ nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut, quod de tuâ misericordiâ confisi agimus, per tuam pietatem hos pestiferos vermes, vel mures, aves vel locustas aut alia animalia, per nos servos tuos, maledicendo maledicas, segregando segreges, exterminando extermines, ut, per tuam clementiam, ab hac peste liberati, gratiarum actiones Majestati tuæ liberè referamus. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

EXORCISMUS.

EXORCIZO *vos pestiferos vermes, mures, aves, seu locustas aut animalia alia, per Deum Patrem † omnipotentem, & Jesum † Christum filium ejus, & Spiritum † sanctum ab utroque procedentem, ut confestim recedatis ab his campis, seu vineis, vel aquis, nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis, & ex parte omnipotentis Dei, & totius curiæ cœlestis, & Ecclesiæ sanctæ Dei, vos maledicens quocunque ieritis, sitis maledicti, deficientes de die in diem in vos ipsos & decrescentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariæ ad salutem & usum humanum, quod præstare dignetur ille, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem. Amen. Oremus.*

ORATIO.

DOMINE *Jesu Christe, qui Jordanis flumen benedixisti, &, in eodem baptizatus, aquas mundasti & purificasti, ut elementum salubre efficerentur in remissionem peccatorum, has aquas quoque bene † dicere & sancti † ficare & munda † re digneris, ut nil in eis noxii, nihil pestilens aut inficiens, nil corrumpens remaneat, sed omnia pura & munda in eis efficiantur, quatenus, quæ ad usum humanum ex eis creata sunt, cum salute nostrâ & gloriâ tuâ assumamus, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.*

Ex

Ex horum animalium corruptione aërem infici, & peſtilentem fieri, inquit Olaus Magnus, ac incolas vertigine ac ictero affici. Aërem receptaculum eſſe omnium exhalationum terreſtrium in confeſſo eſt. Quales igitur hæ, talis & ille: ſi exhalationes ſiccæ, tenues, ex locis mundis, defæcatis & ventis perflatis ortum trahant, aërem purum & ſalubrem reddunt: ſin verò ex locis impuris, ſtagnis, cloacis, aliiſque putredine corruptis exhalent, quin noxium, inſalubrem, imo peſtilentem quandoque efficiant minus dubitandum. Cum verò aëre carere nequeamus, utpote quem ſingulis momentis & ore, & naribus, & per poros cutis hauriamus, ſi corruptus ille ſit, putridis exhalationibus & malignis refertus, non poteſt non ſpiritus & ſanguinem inficere, atque ita morbos peſtilentes, ac contagioſos halitus generare. Halitus autem hi, ſi cerebrum potiſſimum infeſtent, vertiginem producunt; ſi Hepar & vicina viſcera, veſiculam etiam biliariam, Icteri cauſa erit. Vertiginem contingere læſâ facultate imaginativâ cerebri & ſenſu communi, notum eſt Medicis. Cum igitur corrupta exhalatio ex putrefactis hiſce muribus per nares & os attracta ad cerebrum defertur, motu ſuo inordinato ſpiritus animales turbat, & in circuitum agit; hinc homo idem depravatâ imaginatione exterius fieri putat, quod interius contingit, ſeque totum circumagi, adeo ut labi cogatur. Icterus verò cum variis de cauſis fieri poſſit, tum etiam potiſſimum à venenatâ aliquâ qualitate, quam ex putridis hiſce animalibus exhalare nullum eſt dubium. Siquidem, viva adhuc dum ſunt, venenato morſu germina adeò inficere ſolent, ut prorſus emoriantur & concidant. Fuit in Diœceſi Bergenſi vir religioſus, cui & oves, & vaccæ, & equi tanquam peſte correpti concidebant, eo quod comederint ex fœno ab hiſce beſtiis arroſo, & in quo reperiebantur cadavera horum murium à meſſoribus falce occiſorum & aliis modis enectorum.

Anno 1648. in ſolo tractu Niordfiordenſi ex pabulo horum animalium veneno inquinato, apud ſolos ruſticos (non computatis paſtoribus, præfectis & aliis officialibus) factâ computatione moriebantur boum quatuor millia quinquaginta quatuor: ovium ſedecim millia quingenta ſexaginta ſeptem; equorum centum ſeptuaginta tres. Unicus Paſtor D. Samuel Bugge, qui hæc mecum communicavit, boves quinquaginta hac ſtrage amiſit, & capras 20.

Ne quis hæc gratis à me dici exiſtimet; ecce penes me eſt publicum inſtrumentum, in quo ſingulorum Ruſticorum nomina & numerus pecudum proſtratorum extat: Eo fine, ut Magiſtratus hæc videns de annuo cenſu ſubditis aliquid remitteret, quod & factum. Talem autem venenatam qualitatem, vim quoque habere ſanguinem corrumpendi, & in humorem flavum convertendi vel ex Galeno conſtat 5. de loc. Aff. cap. 7. ubi refert cuidam ſervorum imperialium, cum à viperâ eſſet morſus, univerſum corporis colorem ita mutatum fuiſſe, ut porri colorem referret. Cardanus Com. in Aphor. 65. lib. 4. Hip. inter externas Icteri cauſas, recenſet Ictus venenatorum animalium, potum venenatum & malarum aquarum. Quo non immerito referendus aër quem attrahimus, putrido & venenato halitu infectus, adeò ut Jacobus Grevinus lib. 1. de venenis cap. 1. inter venena naturalia, aërem infectum reponat, vel à malignis vaporibus, vel ab aquis putridis & cadaveribus (ut hic) vel à paludibus fœdum odorem emittentibus, vel ob tempeſtatum mutationes, vel ob influxum cœleſtium corporum. Et quis neſcit, veneni inter alias hanc naturam eſſe ut humores in Hepate corrumpat, ex quibus non modo bilis procreatur, pravas ac flavas exhalationes ad corporis ſuperficiem tranſmittens, ſed & eâdem totius corporis habitum inficiens, unde auriginoſo & fœdo colore tota tingitur cutis? Quocirca in talibus caſibus magis alexiteriis, quam aperientibus & manifeſtâ aliquâ qualitate agentibus contra morbum pugnandum. Res eodem modo hic ſe habet, quo cum Locuſtis, de quibus Petrus Bizarus in Hiſtoriâ & Annalibus Senatus populique Genuenſis hæc refert. Virulenti cujuſdam morſus contagio plantas & ſata inficiunt, ut mox uredine contabeſcant; eoque fit ut partim ab inſpiramine dum vivunt, partim à reſolutione dum pereunt hæc inſecta, vitiatis paulo poſt alimentis ac potibus, ipſius etiam ſpiritus corruptelam in hominem & in cætera animalia propagent. Præter enumerata ab Olao Magno morborum genera etiam peculiaris quædam lues, Norvegis Seemands ſoet dicta, eos corripit qui harum beſtiarum mactationi & expulſioni ſe dedunt. Ex fœtore peſſimo infectus aër & inſpirationi attractus, brumali potiſſimum tempore, glandularum in collo intumeſcentiam procreat, conjunctam cum vocis raucedine, impeditâ deglutitione. Hic tumor etiam bubones

axillis & inguinibus, aliisque in locis habet ſocios. Quin imò, quamdiu morbus hic durat, ſemper ægri in naribus fœtorem percipiunt ſimilem ei qui ex cadaveribus harum beſtiarum exhalat. Curatur verò morbus hic apertione tumorum, ubi maturuerint & conſolidatione, quo facto ſymptomata omnia remittunt. Natura ipſa quandoque ſponte tumores aperit, & reliquum curat: quandoque verò indiget artis ope. Vulgatus curandi modus hic eſt. Acum ferream juxta apicem curvare ſolent, ut inſtar hami fiat, quam ignitam tumori applicant, atque ſic ſine dolore locum tumidum aperiunt, quo aperto, eodem inſtrumento purulentam & putridam extrahunt ſaniem, ulcus mundant, ac ſic paulatim conſolidatur. Illi, in quibus nulli apparent tumores, periculoſius laborant, gravioribuſque torquentur doloribus, cum indicium ſit naturam robuſtam adeo non eſſe, ut ad emunctoria malignam materiam protrudere valeat. Raro tamen obſervatum hominem quempiam ex hujus luis malignitate diem ſuum obiiſſe. Boves verò, jumenta & pecora, tanquam peſte quadam correpta corruunt, cum hæc animalia frequentiora viſuntur. In primis ſi hyeme in horreis latitent & pabula inficiant. Accedit quod cum ab aliis animalibus, ut felibus, muſtelis, ululis, &c. trucidantur, relinquuntur eorum cadavera in horreis, ubi putreſcentia tabo, ſanie, & fœtore fœnum corrumpunt, quod à pecoribus comeſtum, non poteſt non & morbos & peſtes excitare, reliquaque animalia peſſum dare.

Animal hoc ullum in cibis aut Medicinâ uſum habere, non accepi: ſed fruges conſumere natum, tanquam flagellum divinum ab omnibus exoſum habetur. Fuit qui pelles ejus exſiccare & pellionum more præparare conatus ſit, ut ad veſtes fulciendas uteretur; ſed irrito conatu, ſiquidem tenues adeo fuere, ut nec præparationem, nec acus aciem ferre potuerint, quin diſcerperentur: quocirca ab inſtituto diſcedere coactus fuit. Cum beſtia ſit omnibus inviſa, nullam ex eâ opem ſperare potuit quiſquam. Ad peccata punienda à Deo immitti, non eſt quod dubitemus: quocirca & ſeriâ pœnitentiâ & calidis precibus profligare non eſt qui dubitet.

Mus AQUATICUS Cluſii, ad Gliris aut Talpæ accedit magnitudinem, longitudine uncias ſeptem æquat, denſis & mollibus tegitur villis, coloris fuſci ſubcœrulei, præter ventrem, qui pilis ex albo cinereis veſtitur, capite parvo, acuto, parte roſtri ſuperioris prominulâ, quâ terram inſtar Suis aut Talpæ evertere novit, oris hiatu modico. In ſuperiore maxillâ dentes ſunt duo, magni, lati, firmi, totidem in inferiori, ſed minores & obtuſi, oculi exigui & vix conſpicui. Rictus latera longis pilis cinerei coloris obſita, cauda octo uncias longa, plana, lata, rariſſimis brevibuſque pilis tecta, ſquammata ferme, inſtar Serpentum, cum oſſeo nervo per ejus longitudinem extenſo. Pes uterque anterior in quinque digitos diviſus, acutis unguibus armatos; poſteriores longiores ſunt & magis plani: digiti membranâ quâdam connexi, ut natationi inſerviant.

Ex Ruſſiâ ad nos adferuntur, & verum illud eſſe comperi quod Doldius ad Cluſium ſcripſit, odorem muſci referre, licet neget id ſe obſervaſſe Cluſius. Mulierculæ enim noſtræ eorum exſuvias inter veſtes conſervare ſolent, ut gratum eis concilient odorem. Difficulter aſſervantur, quia pili decidunt, & à vermibus eroduntur.

ECHINUM TERRESTREM ab aculeorum aſperitate quidam ſic dictum volunt: alii quod ob aculeos teneri nequeat. Dioſcorides Cherſæon videtur appellare, Galenus Acanthium, Ericius & Erinaceus quibuſdam, quod nomen cum aſpiratione ſcribere malunt alii, Noſtrates Pind-ſwin.

Duo genera ſtatuunt, unum SUILLUM, roſtro porcino, alterum CANINUM, capite canem referens. Animal notum eſt, magnitudine parvum referens catellum, aculeos pilorum loco geſtans in dorſo & toto corpore, excepto ore, pedibus & parte inferiore, quam rara tantum & innocua lanugo operit. Ubi venatores aut alios præſentes animadvertit, in orbem ſe colligit, roſtro & pedibus intus contractis ut contrectari nequeat. Cubiliorum oſtiola, pro ratione ventorum ſpirantium, claudit & recludit. Cum capitur urinam emittit, cujus contactu ſpinæ dorſi decidere ſolent. Coëunt erecti humano more, propter ſpinas.

Quidam exenteratum & mundatum coquunt, ut alimentum ſuppeditet: ſed ſuillum tantum, non caninum genus. Hepar rite exſiccatum Renum vitiis medetur, ad quod Fel cum lacte canino etiam commendatur. Lienis affectibus Lienem adhibent. Carnes in febribus diuturnis commendantur, item ad abortum, ventriculum debilem, Cachexiam, Nephritidem, Elephantiaſin. Ad Plicam curandam Erinaceum diſſectum applicant, carnem

carnem comedunt, adipem inungunt, ad omnes Renum affectus & Hydropem valere volunt.

HYSTRIX ad Erinaceos refertur, animal enim eſt ſpinis horridioribus & grandioribus præditum Erinaceo, magnitudine Vulpis, os habens Leporino ſimile, denteſque quatuor longos, duos in ſuperiori, duos in inferiori maxillâ, aures humanis, pedes anteriores pedibus Taxi ſimiles, poſteriores Urſi, dorſo & lateribus ſpinæ bicolores, partim albæ, partim nigræ ſunt, ad duorum aut trium palmorum longitudinem accedentes, quas animal pro lubitu, ut Pavo caudam, erigere poteſt, cavernas ingreſſurus eas demittit & tenſâ cute in hoſtes ejaculatur, deſtinato ictu & vulnere quandoque inſanabili, præſertim ſi nervus pungatur. Tam diu utero gerit, quamdiu Urſa. In ſilvis ritu Taxorum cavernas fodit, veſcitur pane, pomis, piris, paſtinacis, & aquam bibit.

Quidam ut Erinaceum coquunt, & carne ejus in cibis utuntur. In uſu Medico idem præſtare volunt quod Erinaceus. Spinâ ad diſcriminandos capillos utuntur mulieres, quod pilos augere & conſervare credant, dentiſcalpii loco quoque in uſum venit, quod dentes roboret.

ARMADILLO. Hujus animalis primo meminit Oviedus, qui illud BARDATO vocat, quod Panopliam ſignificat; Petrus Martyr Phaleratum: Græcis & Latinis Cataphractus dici poteſt. Hiſpanis Armadillo, Braſilianis Tatou, Geſnero Herinaceum Braſilianum.

Tres ejus ſpecies reperiri aſſerit Cluſius, mihi duo ſunt magnitudine ſaltem diſcrepantes, quorum majorem hic delineare lubet.

Magnitudine eſt Porcelli, à roſtri extremitate ad caudæ apicem, tres ferme æquans pedes, caput quinque pollicum eſt ad aures uſque, ab auribus ad caudæ initium, corpus totum pedem habet cum ſemiſſe, cauda pedem æquat. Ambitus eſt pedis unius & quinque pollicum. Tegmen durum teſtaceum, colores ex albo flaveſcentes, caput ratione corporis tenue & exile, inſtar Porcelli ferè, rictu mediocri, nullis dentibus horrido, frons, ab auribus ad roſtri extremitatem, corneo & teſſellato munitur ſcuto, oculos ambiente, inferior maxilla cute ſaltem veſtitur, auriculæ patulæ, membranaceæ & tenues.

Dorſum ſupra ſcapulas amplo & lato tegitur ſcuto, ex orbiculatis teſſellis conſtante, niſi quod longiores aliquanto ſint verſùs extremum. Reliquum dorſi novem ambitur circulis, figuris pyramidalibus depictis, lumbos tegit lamina ſimilis ei quâ ſcapulæ teguntur, cauda, præterquam quod annulis conſtet duodecim, paulatim magnitudine decreſcentibus, ac teſſulis quaſi Rhomboideis pictis, in apicem ſquammoſum & acutum terminatur, venter cum gutture, natibus & parte crurum, nullâ cruſtâ tectus, ſed villis obſitus. Pedes & crurum pars eis vicina teſſellis etiam obducitur, pedes anteriores quatuor præditi ſunt digitis, unguibus acutis armatis, quorum duo anteriores longiſſimi, poſteriores minores, penis unciæ longitudine exſertus.

Specubus ut Cuniculus conditur, unâ nocte leucæ ſpacium excavare dicitur, niſi ligetur, vix ſe includi patitur, formicas venatur, cubat ſupinus, caudâ ori admotâ, quâ rectà procedentes formicæ incidunt in inſidias & cibum deludenti ſuggerunt. Cum fugit in præceps caput caudamque ventri applicat, ac cruſtâ tuetur, ſeſe in ſpiram convolvens. In uliginoſis lacubus verſatur, lumbricis, piſcibus, & vermiculis veſcitur, ut & baccis quibuſdam ac pomis. Pluente cœlo ſupinus jacet, & ventre, qui exermis eſt, colligit aquam contentam inter cruſtas laterum, ſic perdurat, tranſacto imbre, fermè diem integrum, donec occurrat cervus ſitibundus, qui accedens ad potum immergit buccam, tunc ſe claudit animal, labra & nares comprehendens cervi, qui diſcurrit hinc inde, donec ſpiritus anguſtiâ defatigatus corruat.

Commendantur carnes ejus in epulis, quamvis quoddam genus venenatum dari tradat Nierenbergius, caro pinguis eſt & excrementoſa. Cruſta data ʒj. pondere, ſudorem in morbo Gallico provocare dicitur. In caudâ oſſiculum extare ajunt, quod in tenuiſſimum redactum pulverem, ac magnitudine capitis aciculæ in aurem inditum, dolorem & tinnitum ſanat. Conchulis ad fures deprehendendos utuntur. Tangunt prius cum Conchâ terram à fure calcatam ſive aliud quod ipſe tetigit, implent maximam potione quam Chicam vocant, tympanis deinde circumſonant, Conchâ interim ſponte ſubſultante & tripudiante. Hoc veneficio notatur furis vultus puſtulâ in genis, quæ per utramque maxillam ſerperet, niſi maleficium diligenter diſſolvatur.

CAP. XXIV.

De Bisulcis.

BISULCA animalia ea dicuntur Aristoteli lib. 2. de Historiâ Animalium cap. 1. quæ forcipem pro ungulâ habent, Græcis διχηδῆ, ut oves, capræ, cervi, equi fluviatiles. Et paulo post: Bisulca binis fissuris utrinque, id est à parte priore, posterioreque diducuntur. Inter ea primas tribuimus Rhinoceroti.

RHINOCEROS, animal quadrupes, variè à multis describitur, qui eum non viderunt, quocirca & errores haud paucos in ejus historiâ cernere licet apud Autores. Ego quædam ad ejus naturam facientia, ex fide digno Jacobo Bontio, qui animal hoc non solum centies caveæ inclusum vidit, sed in silvis etiam vagans observavit, depromam, cum eo me ducant partes quas ex eo possideo. Cute est cinericiâ & nigrâ, instar Elephantinæ, rugosâ admodum, cum profundis plicaturis, circa latera & in dorso. Crassam admodum habet pellem, ut quæ ictui Japonicæ Machæræ facile resistat. Neque enim hæc bestia (ut apud nos pingitur) scutis munita est, sed hæ plicaturæ hos clypeos mentiuntur, neque una pars durior est alterâ. Rostro est porcino, sed ante acutiore, neque tam obtuso, in cujus extremitate cornu illud extat, unde nomen sortita est bellua. Aliud altero majus pro ætate Rhinocerotis. Colore etiam cornu variat, modo nigrum, modo cinereum, modo album est. Magnitudo autem corporis mediocris staturæ ad Elephantem proxime accedit mediocrem, nisi quod pedibus sit longe humilioribus, ac propterea tam conspicuum etiam non est animal, cæterùm innoxium, nisi lacessitum, neque crudivorum ut Tygris, sed herbis vescitur & virgultis, iisque spinosis, nam linguam habet asperrimam, sed si irritetur hominem simul ac equum tanquam pulicem prosternit, quem deinde lambendo necat, dum, asperitate linguæ, cute & carne usque ad ossa hominem denudaverit. Carnibus Mauri vescuntur, sed nervosa plane est & concoctu difficilis.

Ex hujus animalis cornu mihi Poculum est, de quo in Artificialibus dicendum, Dens quoque & Costa.

Dentes mihi duo sunt molares, quorum unus altero major. Major quadratus ferme est, cujus latus longius duarum est unciarum, reliqua minora, ea superficies, quâ cibus masticatur, inæqualis sinubus quibusdam lævibus & protuberantiis acutis, cum foramine in medio, triquetro, colore fusco, eminentiis albis variegato; extra gingivam parum ejus prominuisse apparet. Radices habet tres, omnes quidem duplicatas, sed ex iis major & crassior is qui ex adverso duorum positus est, colore buxeo, radix longior uncias duas longitudine non æquat, pondere unciarum trium est dens totus. Ferunt dentem hunc, dolenti denti applicatum, dolores sedare, quod tamen nondum expertus sum.

Costam etiam ab amico accepi, quam Rhinocerotis esse retulit, sed proportionem ad tantæ belluæ magnitudinem dum considero, aut ex animali juniore, aut ex nothis costis esse necesse est fateamur. Quindecim uncias longitudine superat, crassa & spissa satis, lata circa medium uncias duas, arcuata, quâ spinæ adhæsit tuberculis quibusdam prædita, alterâ extremitate, quâ sterno adglutinabatur, spongiosior.

ALCE, quibusdam Jul. Cæsaris Animal Magnum, Bisons Plinii, Onager Olai Magni, Tarandus aliorum, nobis Elsdiur / Germanis Elendt.

Magnitudine & proceritate equum superat, imò in Norvegiâ tantus observatus est, ut sub ventre ejus quis stare valeret. Humeros depressiores habet & humiliores partibus posterioribus, pronum incedit, à summo capite usque ad humeros, & maximè in cervice magna est pilorum prolixitas, ut jubam quasi constituat, sed non adeò magnam ut in equis, in aliis partibus pili longitudine non differunt ab equinis, licet densitate superentur, non verò crassitie, colore ad cinereum vergit, sed, pro vicissitudine temporum anni, varias subit mutationes. Caput oblongum & gracile est, si cum toto corpore conferatur. Labra magna, prominentia, crassa, sed maximè superius, quâ de causâ retrogreditur in pascendo, ne in priora tendens involvatur. Os longum, dentes non admodum magni, nec longi, aures longæ latæque. Fœmineus sexus cornubus caret, Masculinus lata gerit, crassitie duorum digitorum transversorum, in ramos seu digitos dispersa; pondere, in adultis, duodecim fermè librarum, quæ statis temporibus mutantur. Recens

cens nata molli quadam lanugine obducuntur, ut cervina, ventre ſunt obeſo, caudâ brevi, unguibus biſulcis & bifidis, ut boves.

Comitiali morbo ſæpe tenentur, quo non liberantur niſi appoſita prius fuerit auri altera pedum poſteriorum ungula. Timidum animal eſt, advenientes homines fugiens, quovis parvo vulnere moritur, & ſi ſuum viderit ſanguinem exanimatur. Cornu non ferit, ſed canes perſequentes unguibus repellit. Raro ſolitarium eſt, ſed plures ſimul vagantur. Cum nivibus terra tegitur, ita progrediuntur, ut unum præcedat, reliqua ſequantur, eadem legentes veſtigia, ita ut unius ſaltem veſtigia quis ſe videre exiſtimaret: latratu canum audito, fugiunt ſecundâ aurâ, ut veſtigia cum ipſis abeant, famis & ſitis ſunt patientiſſima, pulli aſſueti manſueſcunt.

Carnibus eorum veſcuntur, ſed cibus eſt minus gratus, quod ipſe experimento didici, donavit enim me ejus fruſto Magnif. D. Cancellarius Friſius, quod, etſi animal dudum fuiſſet mactatum, quamdiu tamen crudum erat, totum ſanguine madebat, aſſum tam durum & inſuave erat, eo veſci ut haud potuerim.

Cornua inſigni pollent adverſus Epilepſiam facultate, in primis ſi circa Calendas Septembris animal capiatur & mactetur; quia tum maxime vegetum & ſucculentum, in Venerem ferri ſolet. Nervus circumligatus membro ſpaſmum patienti, paroxyſmum tollit, & porrò ab hoc malo præſervat. Ungues præ reliquis Epilepſiæ efficaciter medentur, hyſtericæ item paſſioni, cordis affectibus. Ex unguibus quidam dextrum, quidam ſiniſtrum pedum poſteriorum commendant in hunc uſum; alii, omnes hac vi pollere, non ſine ratione aſſerunt: ut quis ab his morbis hujus unguis beneficio præſervetur, annulum ex eo confectum in annulari ſiniſtræ manus geſtet, aut particulam collo ſuſpenſam, ut cordis regionem tangat. In curatione in pulverem redigitur, & cum aliis appropriatis exhibetur.

Mihi hujus animalis eſt caput integrum cum cornibus, pedes item ac crura aliquot cum ungulis, ex quibus pes unus in formam poculi ſeu ſcyphi redactus eſt. Pentacula quoque ex cornubus, cordis figurâ, certâ conſtellatione in Boruſſiâ confecta.

RANGIFER, Norvagis Reinen / vel Reinſdiur / animal eſt Septentrioni peculiare, ſiquidem alio tranſlatum non diu vivere animadverſum eſt, locis namque delectatur perpetuis nivibus & glacie horridis, & peculiari muſci in petris naſcentis gaudet alimento, quo ſi deſtituatur morbis corripitur. Ad figuram cervi quam proximè accedit, ſed tenerius aliquantum eſt animal & membris gracilioribus, pilis curtis, colore gryſeo, duobus præditum cornibus, pro ratione corporis magnis ſatis & amplis, frondoſis, gracilibus & teretibus juxta caput, ſed dilatatis aliquantum ubi in apices terminantur, qui plerumque incurvantur poſteriora verſùs.

Cornua, quæ ego teneo, duodecim ornantur apicibus. Mox ubi è Cranio emergunt, ramum longum anteriora verſùs emittunt, multis incurvatis hamulis quaſi inſignitum, quem Norvegi Brunwecker vocant, eò quod hujus beneficio glaciem frangat aquarum, ac ramos arborum ad ſe trahat, earum gemmis & foliis ut veſcatur. Fœmina etiam cornubus prædita eſt, ſed minoribus, cætera ad figuram cervi accedunt. Veſcuntur hieme muſco, aliiſque herbis & germinibus arborum & foliis. Ubi omnia nive ſunt cooperta, aptè pedibus nivem diſſipare norunt, uſque dum ad ſaxa aut arborum truncos pervenerint, quos detegunt. Exiguo vitam ſuſtentant; noctu ut plurimum victum quærunt, interdiu in magnis nivium congeriebus ſub cautibus latitant. Ajunt Lappos & Finnos, in diurnum alimentum, tantum ſaltem ſingulis tribuere muſci, quantum chirothecæ ſuæ digitus major capere poteſt, licet 20. milliarium iter eâdem die confecerint.

Non admodum ſunt feri, ſed facile cicurari ſe patiuntur, ut jumentorum loco iis utantur. Velociſſimum eſt animal, & hoc maximè in eo mirandum, quod, ubi nix mollior eſt, nequaquam mergantur eorum pedes, ubi currunt, ultra calcaneum, Radſlöwen vocant Norvagi. Natant peritè ſatis, catervatim incedunt, ita tamen ut longo ordine ſe ſequantur, caput in clunes antecedentium reponentes, dux, ubi defatigatur, ad ultimum diſcedit locum & ſequenti officium reſignat. Fœtum verno tempore in cautibus edit, ubi frigus maxime penetrabile corpora adurere ſolet. Variis capitur modis, laqueis, foſſis, baliſtis, aliiſque mediis.

Horum animalium multa & numeroſa armenta poſſident Finni, ex quibus ad ipſos multum redundat utilitatis. Lac ex iis mulctum ſuave eſt, ex eo caſeos quoque confi-

ciunt non ingrato sapore; sed butyrum non præparant, carnibus eorum vescuntur, quas sale quandoque condiunt, & vento siccant, pellibus vestiuntur, pilis sellas suffulciunt; nervis vestes consuunt atque ex iis habenas & vincula conficiunt, quibus naviculas suas quandoque colligant, absque ullo ferramento, quo destituuntur. Ex cornubus manubria cultrorum, & alia utensilia conficiunt, sed præcipuè trahendis vehiculis suos aptant Rangiferos, atque celerrimè maximum itineris conficiunt spacium. Unus eorum vehiculum trahens præcedit, habenis ad cornua alligatis, Rectore baculo totum negotium dirigente, alter vehiculo alligatus subsequitur, & cùm prior trahendo defatigatus fuerit, in ejus locum substituitur posterior, subsequente illo, atque ita operas partiuntur, donec pensum absolverint. Lassitudinis dant signum, gradum sistendo, & linguam cum anhelitu exserendo. Duodecim horarum spacio, ultra centum millia passuum conficiunt.

Varia de hoc Animali prodiderunt Autores, quæ veritati & experientiæ minus litant. Scaliger Ex. 208. ad Alcem refert, sed male, toto enim genere distant, ut vel ex iis, quæ jam diximus, patet. Nec recte statuit cornua Rangiferi lanugine obducta, hoc enim illis tum saltem contingit cum repullulant & crescunt. Magno huic viro meritò condonandum, quod remotus valde ab his terris, aliorum relationibus fidere coactus sit. Sed Olao Magno an tam facile ignosci debeat dubito, quod in hisce regionibus septentrionalibus natus, & curiosus, ut videri vult, palpabiles adeo effutiat nænias. Primo bestiam tricornem vocando & pingendo, cum duobus saltem prædita sit cornubus, nam quod in medio ponit confictum est, quod testabuntur quæ in Museo teneo. Deinde non observatum, quod Cervo procerior & robustior, cum minor sit multò. Tertiò, nec veritati litat, quod stando eundoque, melius quam se inclinando, floribus ac herbis pascatur, propter cornua nimis antrorsum incurvata, idque laterali obliquâque corporis inclinatione. Observatum namque est sæpius, quod cum currat cornua in dorsum reflectat, cum verò herbis pascitur, recta prominent, nec illi ullo sunt impedimento. Quartò, Jubæ non meminit quisquam, eos qui vidit; Alcen cum Rangifero confundere videtur. Quintò, nec probabile quod currulibus jungantur plaustris, siquidem tota regio montosa, & tesqua invia curribus transiri nequeunt, sed terra nivibus obducta traharum & vehiculorum quibusdam in locis non respuit adminiculum.

Sunt mihi cornuum Rangiferorum specimina magna satis, sed tenuia, ut eorum fert proportio.

Capistrum quoque est ex nervis elaboratum, rubrum, forsan eorum sanguine tinctum. Gronlandorum (quantum quidem ex circumstantiis colligere datur) jacula & sagittæ cornu hujus animalis armatæ videntur, quod ex iis, quæ in Museo teneo, apparet.

CERVUS, Græcis ἔλαφος, Danis Hiort / Germanis Hirsch / animal est quadrupes, bisulcum, colore subflavo, ravo, albo aut alio colore, magnitudine equam mediocrem referens, cornubus magnis in ramos dispersis, quibus à mare fœminæ distinguuntur. Cornua autem hæc decidua sunt singulis annis, initio à bimatu, bimis enim cornua primum oriuntur simplicia & recta ad subulonum similitudinem, hinc subulones dicti, quorum duo mihi sunt cornua: Trinis bifida exeunt, quadrimis trifida, & sic usque ad annum sextum, facies iis carnosa, nasus simus, collum oblongum & exile, cor magnum.

Mira eorum in currendo velocitas, cum erectas tenent auriculas, acerrimè audiunt, sin demissas, gravius, tempore libidinis efferuntur & pro fœminis certant, mutuis quandoque se conficientes vulneribus, partus suos teneros studiosè tegunt, & absconditos, inter profunda fruticum vel herbarum, pedum verbere castigant ad latendum. Vitæ longæ esse ferunt & febres non sentire.

Pelle cervinâ vestitos Serpentes non tangere referunt. Cornuum adustorum odor serpentes fugat & culices. Caro alimentum præbet bonum, præsertim juniorum, crebrum ejus usum febribus resistere volunt. Hepar quidam vituperant. Ex tenerioribus cornubus magnates epulum conficiunt, contra quodvis venenum utile. Sanguis alvum sistit, caro febribus medetur. Medulla & Adeps dura carcinomata molliunt imposita. Suffumigium ex pilis contra abortum commendatur. Cornu Cervini maximus est apud Medicos usus, contra venena & omnes morbos malignos, mucrones cæteris

teris partibus præferuntur, quidam dextrum sinistro, quidam sinistrum dextro efficacius putantes. Longum foret singula recensere, quibus accommodantur. In annosorum corde os reperitur crucis formam referens, quo præstantius in corde roborando & venenis pellendis non datur ullum.

Mihi ex eo sunt cornua, secundina, membrum genitale, os de corde. Partium usum eleganti carmine complexus est Balduinus Ronsæus.

MONSTROSUM CERVINUM CORNU dono Sereniss. Principis Christiani V. G. M. obtineo, cujus descriptionem dedi lib. IV. Monumentorum Danicorum in Historiâ aurei cornu in Cimbriâ inventi. Cornu illud, cum particulâ Cranii cui adhæret, longitudinem pedis unius constituit, in ambitu pollices obtinet decem, colore melleo, obtusum, nullis ramis insigne, duabus parvulis papillaceis protuberantiis in summitate donatum.

Figurâ mirabile est, quodammodo spicam grandem frumenti Turcici refert. Crebris enim tuberculis pisorum magnitudine obsitum, inæquale, asperum, variis foraminibus & sulcorum anfractibus deforme, substantiâ tophaceâ, molli, porosâ, juxta cranium protuberans paulatim & sensim sinuatur. Primo aspectu nihil minus quam cornu esse videtur.

STREPSICEROTIS cornua mihi bina, capiti ligneo aptata, quorum quodvis longitudinem habet trium pedum, in acutum desinentia, juxta apicem paululum dorsum versus incurvata, nigerrima, in ambitu caput versus octo ferme uncias habent, & octodecim quasi annulis & rugis completis à basi ad medium dotantur. Hinc verò lævia sunt & polita cum exiguis quibusdam protuberantiis in apicem usque.

Plinius lib. 8. cap. 51. inter capras silvestres hoc animal recenset, eique cornua erecta tribuit, rugarumque ambitu contorta, & in leve fastigium acuminata, jam enim à primo ortu sensim gracilescunt. De hoc animali parum legere licet apud Gesnerum aut Aldrovandum. Magnam interim affinitatem habent cornua & plane similia sunt illi quod sub nomine Origis ab Aldrovando depictum est, & ejus animalis esse videtur, quod Orygem vocat, ea enim, quæ cornubus Orygis Oppiani tribuuntur, hisce competunt.

CAPREOLUS, Dorcas, Nobis Raadiur / Germanis Rehe vel Rehe-bock.

Formâ & colore cervum imitatur, nisi quòd minor sit; Mas cornua in capite gerit, senis plerumque ramis distincta, visu acuto, voce debili, quam venator sibilo folii imitatur, ut allectum Capreolum, quasi ad sui generis animal prosiliens, interficiat, aut capiat. Si fœmina suum amittit maritum, alium quærit, eumque secum ad pristinum habitationis suæ locum adducit. Fœminâ captâ, maritus alio discedit, ac aliam sequitur conjugem, unde fœminæ rarius maribus capiuntur.

Carnem habet suavem & meliorem cervinâ, quandam similitudinem & familiaritatem ad corpus humanum obtinentem. Corporibus humidis prodest, colicâ item & morbo comitiali laborantibus. Ventrem moratur & nervis siccitate prodest, Torminosis & Dysentericis in cibo Caro conducit. Jecur Capreæ contritum ex vino bibitur, affectibus oculorum medetur; assum, sanguinis profluvium sistit. Fel faciei delet maculas & lentigines, oculorum hebetudini succurrit, tinnitum aurium tollit.

Varia ejus sunt cornua, figuræ etiam distortæ; inter quæ unum quod altero ramo erecto, altero in posteriora distorto & apicibus volam manus cum digitis refert.

Caprea seu Dorcas monoceros. Anno MDCXLIX. mense Octobri, venationi propè Flensburgum cum operam daret Serenissimus Rex Noster Fridericus III. cum Sereniss. Reginâ Sophiâ Amaliâ, & aliis aulicis, Capreolam fœminam cepit, quæ unicum cornu in frontis parte sinistrâ gerebat, curvum, pilosum, nullis ramis præditum, in acutum desinens, à basi ampliore & pilosiore, in apicem angustiorem excurrens, longitudine unciarum quinque cum semisse. Quod mihi, particulæ cranii adhuc adhærens, per cubicularium suum, Nobilissimum Hugonem Lytzow, dono misit. Cum primum capta fuisset, omnes, conspecto cornu, marem esse arbitrabantur, sed exenterare eam ubi cœpissent, ex genitalibus fœminam agnoverunt, raro spectaculo. Fœminis enim in hoc genere cornua negant, qui Naturalem Historiam scripserunt. Scaliger Pater lib. 3. de Re Poëticâ pag. 86. scribit suâ ætate captam in Galliâ Cervam quæ cornua haberet. Sed, inquit, hoc ut interdum fieri credamus, ita monstro propius est. Quod de nostro hoc etiam jure pronunciare licet.

Gesnerus, in Iconibus animalium quadrupedum ferorum, ordine primo cornua depingit Capreoli fœminæ, his additis verbis: Cornua hæc nuper vidi apud generosum Cimbrorum Comitem Guilhelmum Werhnerum, qui ea Capreoli fœminæ fuisse (cum fœminæ cornutorum, quorum ramosa sunt cornua, sine cornibus esse solent) asserebat.

Aper indicus, Zainus, aliis Coja Metl, apris nostris figurâ respondet, nisi quod minor sit, pilis quoque longioribus, variegatis albo & nigro colore. Supra dorsum, circa Renes umbilicum habere ferunt, sed verus non est umbilicus, ut refert Franciscus Hernandus, sed mollis & glandulosa quædam pinguedo, ex quâ digitis humor exprimi potest aqueus, alii mammam esse putant, quâ pullos nutriat, alii per hunc umbilicum respirare volunt, quod vero haud simile. Terribiliter frendet, fœtidus est. Venatores, ubi eos capiunt, arbores conscendunt, quem videns grex Zainorum accurrit, cum hominem non possit, truncum & arborem mordet ac lancinat, ille interim tutus venabulo quos potest transfigit. Gregatim discurrunt & ducem eligunt minimum & vilissimum omnium, quo occiso Grex dissipatur. Ferus est & truculento morsu cum primum captus est, obvium ferit, cum cicuratur placidus, & domesticus. Vescitur glandibus, radicibus, & aliis montanis fructibus, vermiculis quoque.

Carnes nostratium multò sunt sapidiores, salubriores, sed præcidendus umbilicus, alioquin uno die corrumpitur. Anno MDCXXXVII. unum Lugduni Batavorum sectioni publicæ subjecerunt in Scholâ Anatomicâ, in quo quæ inventa particularia, ita ad me perscripsit Vir Experientissimus D. D. Henricus Fuirenius, simulque pilorum specimen transmisit. Porcus Americanus, quem secuimus, parvus erat, setis longioribus, variegatis ex albo & nigro. Hepar nullo ligamento suspensorio in abdomine continebatur, sed per membranam vertebris nectebatur. Lien longitudine duorum palmorum, crassitie digiti unius, non sub costis lateris sinistri situs, sed transversim in abdomine, mediante peculiari membranâ, adiposæ renum membranæ junctus. Ventriculus duobus quasi cornibus dotatus, quorum alterum circa superiorem, alterum circa inferiorem ejus partem extabat. Folliculo fellis carebat, intestina tenuia ad dextrum latus, loco paulo elatiore, crassa ad sinistrum decliviore sita erant. Longitudo totius fistulæ intestinalis XXXIV. pedum Geometricorum erat. Pulmones in septem lobos divisi, utrinque tres, unus in medio circa cordis mucronem, utrique parti communis. Supra spinam dorsi, propè lumborum ossa, mamma erat, cujus circumferentia Imperialem magnitudine

gnitudine æquabat, quâ lac proli præbuiſſe videbantur teſtari glandulæ, ſubſtratæ, in eas enim venæ variæ, eæque magnæ, inſerebantur, papillæ vero ſub ventre nullius uſus eſſe putantur, iis enim nullæ grandulæ, nullæ venæ, quæ pro lacte generando ſanguinem veherent, aderant.

CAP. XXV.

De Animalibus ſolidipedibus.

ANIMALIA, quæ fiſſos non habent pedes, ſed unicâ in pedibus prædita ſunt ungulâ, μονώνυχα, ſive μώνυχα, Græci vocant, Plinius ſolidipedia, Theodorus Gaza ſolipedia. Horum reliquis præſtant, quæ à juvando Jumenta dicuntur, ut Equus & Bos. Ex Equo quia rara quædam tenemus, & hic principatum dabimus.

EQUUS CORNUTUS. Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi Noſtro Friderico III. inter alios equus eſt cornutus, generoſus & alacer, ſtaturæ mediocris, coloris gilvi, cui ex utrâque auriculâ, parte exteriore, enatum viſitur cornu, incurvum, acutum, pennæ olorinæ craſſitie, longitudine unciarum duarum cum dimidiâ, quamvis dextrum ſiniſtro majus. Hæc cornua pendula & mobilia ex auricularum parte externâ enata propendent, & ſtatis temporibus decidunt, ſeu potius exteriorem tunicam aut laminam exuunt, per vices, præſertim ſi morbo aliquo infeſtetur equus. Remanet verò corpus ipſum, ſed diminutum, quod ſenſim rurſus augetur ac creſcit, donec ad maturitatem ac juſtam magnitudinem pervenerit, ut rurſum deponatur. Scalpendo ad præſepe aures, jam hoc, jam illud excutit, quod inventu difficile eſt, quia, ſtraminibus permixtum, aut atteritur, aut pedibus conculcatur.

Horum cornuum, ſic excuſſorum, unum à Sereniſſimâ Majeſtate Regiâ dono accepi, quod, quoad longitudinem, dimidium ſaltem æquat ejus quod auriculæ adhæret, incurvum eſt, acutum, unciæ unius longitudine, cavum, craſſitie majoris pennæ anſerinæ. Externâ ſuperficie à baſi ad medium uſque colore cinereo, rugoſum, aſperum, à medio verò in apicem argenteo, qualis in conchis margaritiferis conſpicitur, in apice ad nigredinem paululum tendens. Interior & cava ſuperficies etiam argentei eſt coloris. Totum pondere XII. vix ſuperat grana. Situs & proportio ut melius intelligatur, Iconem capitis adjecimus. Joh. Euſeb. Nierenbergius lib. 7. cap. 2. Hiſtor. Natur. vidit in aulâ Regis Hiſpaniarum equum cornutum.



EQUINA MANDIBULA INFERIOR, trunco quercino ita innata, ut insertionis nulla appareant vestigia, mihi etiam à Serenissimo ac Potentissimo Rege Nostro Friderico III. transmissa est anno MDCXLIX. 6. Februarii: opus certe in quo Naturæ mirari licet solertiam & conatus insignes. Quercinus truncus, cui Mandibula hæc inseritur, longitudine superat pedes duos Romanos, crassitie brachium humanum, ad locum ubi mandibulam recipit, in quo nodus & tumor duorum pugnorum magnitudine, per quem transit mandibulæ portio angustior. Inferior hæc trunci pars, partim cortice tegitur proprio, partim eo nudata & teredine ex parte consumpta. In nodi seu tumoris medio rima apparet ex concretione partis superioris cum inferiore enata. Superior trunci pars, quæ eminet supra mandibulam, non adeo crassa est atque inferior, sed paulatim tenuior redditur, atque, ubi ad pedis emersit altitudinem, in duos divaricatur ramos, quibus tertii mox supra nodum annumeranda sunt vestigia.

Mandibulæ per transversum trajectæ longitudo est pedis unius cum dimidio; pars ejus anterior, quæ à ligno libera est, uncias tres longitudine superat, ac sex primores ostentat dentes; posterior ac latior, decem eminet digitis ac utrinque quatuor ostentat molares cum dimidio, & alarum instar divaricatur. Sed pars ejus sinistra fracta est, & plus sui amisit quam dextra, muscosâ quibusdam in locis obducta substantiâ.

Existimo mandibulam hanc impositam fuisse ramo quercino juniori, qui sensim excrescens per interstitium utriusque alæ mandibulæ, paulatim in majorem auctus est amplitudinem, ita ut & inferior & superior pars rami adaucti coaluerit, &, accedente copioso nutrimento, in nodosam hanc molem excreverit, quæ & extra & intra mandibulam tam arcte amplexa est, ut sine fracturâ avelli nequeat, coalescente paulatim superiore parte corticis cum inferiore, ut jam continuatum existat corpus.

CAP. XXVI.

Hominem concernentia tractans.

ABSOLUTA historiâ eorum quæ Museum nostrum tenet ex Brutis petitorum, ad ea quæ hominem concernunt properamus, inter ea primo occurrit

EMBRYO, quem ubi duobus mensibus cum semisse in utero gestasset mulier hujus urbis, abortivè ejecit, magnitudine unciam parum superans. Cum primum accepissem, omnia membrorum, etiam genitalium, lineamenta erant conspicua. Jam verò obscuriora, quod molliores partes exsiccatæ sint, & corpus totum aromatis conditum.

DENS GIGANTEUS, in Diœcesi Alburgensi, Parochiâ Blanterup, inventus, cum parte maxillæ, formam habet dentis Canini maxillæ inferioris. Dono Clarissimi Viri D. Christiani Johannis, Episcopi olim Alburgensis, νῦν ἐν ἁγίοις, eum teneo, qui ab antecessore suo M. Jacobo Holmio se accepisse in adjunctâ testabatur schedulâ, in quâ ex ejus proportione de totius corporis staturâ conjecturam faciebat in hunc modum. Si juxta proportionem hujus dentis æstimanda est reliqui corporis gigantei magnitudo, proportionaliter, maxillæ circumferentia erit ulnæ unius & trium quartarum ulnæ. Capitis $2\frac{3}{4}$ ulnarum, à vertice ad imum menti ulnæ $1\frac{3}{4}$. Latitudo inter humeros duarum ulnarum & dimidiæ, Auris longitudo $\frac{3}{4}$, latitudo $\frac{1}{8}$ ulnæ. Lingua lata $\frac{3}{16}$ ulnæ, longa $\frac{3}{8}$. Oris latitudo $\frac{1}{4}$. Pedis longitudo unius ulnæ & quartæ partis ulnæ. Brachii extensi ab axillâ ad extremum digiti medii $3\frac{5}{8}$ ulnarum. Altitudo gigantea, circiter cubitos seu ulnas Selandicas novem. Quæ omnia utcunque ad dentis hujus quantitatem proportionaliter respondent sibi invicem ad hominis benè proportionati proportionem triplicem; cujus altitudo ut plurimum est trium ulnarum, sicut dentis hujus ad dentem hominis jam viventis proportio bene tripla est.

Sunt mihi & alii dentes molares magni, qui pro Giganteis sunt oblati; sed quia de iis valde dubito, non existimo operæ pretium fusius eorum historiam persequi.

CRANIA varia sunt in quibus sutura sagittalis ad nasum usque excurrit, & ossa in Lambdoideâ à me primum observata clare satis extant.

Unum est calcinatione Philosophicâ ad niveum candorem redactum, molle ac friabile, ut cornua Cervorum, quæ hoc pacto calcinari solent.

SCUTIFORMIS Cartilago Laringis in os degenerans. Peculiare hoc ei est, ut in quibusdam ossescat, ab aliis enim & hoc observatum. Refert namque Cardanus furem suspendio mulctatum strangulari non potuisse, quod hanc Cartilaginem osseam habuerit, quod demum animadversum, cum suspendio liberatus, & de patibulo detractus, in causam hujus rei accuratius inquisitum esset.

Huic adjacent Auditus organa, Cochlea, Labyrinthus, aliæque partes adjacentes osseæ; ad auditum hominis facientia, eo modo separata, quo à Cæcilio Folio Anatomico Veneto delineata fuere Anno MDCXLV.

Novem DORSI VERTEBRÆ, per quarum foramina, medullam spinalem excipientia, crevit radix juglandis eo ordine, quo se ipsas in corpore vivente excipiunt. Anno MDCXLVII. cum in horto suo, ubi olim cœmiterium fuit S. Clementis, juglandem eradicare conabatur Christophorus Johannis, Consul hujus urbis honoratissimus, ad radicis extrema Sceleton humanum offendit, fermè corruptum, per cujus spinam radicis propago ita crevit ut intrans per infimam vertebram ramulos emiserit per summam suis fibris divaricatos, miro spectaculo.

Radix digiti minoris crassitie est, quà truncum spectabat longitudine pedem unum cum tribus unciis æquat, ac variis fibris ornatur, hinc vertebras novem transiens mox in ramos tres, etiam fibrosos, divaricatur. Inter quos longissimus pedem unum superat unciis quatuor, ita ut satis appareat, non manu humanâ radicem hanc insertam fuisse vertebris, sed temporis successu crevisse radicem, atque hunc ductum observasse, monstrante ipsâ Naturâ.

Giganteæ COSTÆ particulam, pedem unum cum semisse longam, crassam unciam unam, latam tres, mihi dono dedit Nobilissimus Nicolaus Trolle, Admiralius Regni Daniæ strenuus. Erosa & carie ex parte corrupta erat, quia diu sub terrâ latitaverat hic in Selandiâ, ubi inventa.

Huc forsan non incommodè refertur MUSCUS CRANII HUMANI, cui vires & pro-

proprietates attribuunt mirabiles. Quidam florem Cranii appellant. Crania enim humana, patibulis, rotis, aut palis affixa, ventis, pluviis & radiis ſolaribus continue expoſita, molleſcunt & ita diſponuntur, ut muſcum de ſe protrudant, quem Paracelſici Uſneam vocant.

Commendatur peculiariter ad ſanguinem narium ſiſtendum, ſi portio eis indatur, aut ſyndoni rubro involvatur & de collo ſuſpendatur, aut manibus teneatur. In vulnerum hæmorrhagiâ, dyſenteriâ, uteri procidentiâ, deſperato menſium profluvio commendatur. Ingreditur confectionem unguenti Hopliatrici ſeu Armarii, quod virium ſuarum maximam partem ex eo mutuari videtur.

Mumia humana huc etiam ſpectare videtur, licet ſupra, de Aſphalto ubi actum, quædam de eâ tradiderimus. Nihil autem aliud eſſe videtur, quam Cadaverum, aromatibus conditorum, fluens liquor concretus, cadaveribus adhærens. Ex Ægypto adferri ſolet, ubi cadavera olim duplici modo condiebant. Ditiores medicamine confecto ex Aloë, Myrrhâ, Croco & Balſamo, plebei vero Aſphalto ſolo, ut à corruptione immunes eſſent. Succus igitur ex cadaveribus exſudans, permiſtus cum conditurâ, Mumiam conſtituit, quâ utuntur.

Magnus ejus uſus eſt ad contuſiones, ſanguinis grumos diſſolvit, partum facilitat, ſpaſmum & convulſiones juvat, omnia interna & externa vulnera, exulcerationes, aliaque ejus generis curat. Permiſcent aliis, vel ſeorſim Drachmam dimidiam exhibent.

Hujus cenſus eſt Manus ſiniſtra hominis ex Ægypto allata, cujus etiam ſupra facta eſt mentio in Hiſtoriâ Bituminum, longitudine unciarum ſeptem, unguibus, articulis, omnibuſque lineamentis integra, linteo ex parte involuta, multorum annorum decurſu ita aſſervata, ut nihil de eâ perierit.

Adeſt & Cranium puerile, quod etiam Mumiâ conditum fuit; in vertice apertum, quod oſſa ad juncturam ſagittalis & coronalis ſuturæ nondum fuerint confirmata, unde colligitur adulti hominis non eſſe.

Cranium stupendum ex Scaniâ accepi, quod, quia affinitatem aliquam cum humano habet, huc referri poſſe putavi, figuræ enim ſphæricæ eſt & ſuturas non multum abſimiles habet, ſed humanum non eſſe multa ſunt quæ arguunt. Figurâ eſt globoſâ inſtar humani, ſed tenue, leve, magnitudine duplo fermè ſuperans humanum. Ambitu ſuo, à dextrâ in ſiniſtram aurem, duos habet pedes cum unciis duabus. Ab occipitii foramine, per quod ſpinalis exit medulla, ad naſi initium, pedes ferme duos. Os occipitis, lambdoideâ circumſcriptum ſuturâ, unicum eſt & triquetrum, ſupra illud verticem verſùs quinque conſpiciuntur foramina inæqualia, quæ ſolâ durâ matre tegebantur, figuræ diverſæ, ut plurimum tamen ovales. Ab apice ſuturæ lambdoideæ, unde emergere ſolet ſagittalis, ad coronalem, multæ tranſcurrunt, nec rectæ, nec tranſverſæ, ſed undatim

undatim variarum figurarum ossa amplectentes suturæ. In vertice amplum foramen constituunt ossa ablata. Ex iis verò, quæ restant, colligere licet sagittalem ad nasi summum perreptasse, & nasum (qui tamen non figuram nasi, sed proboscidis habuisse videtur monstrosi) in duas partes divisisse. Orbitæ oculorum nulla vestigia. A parte inferiore processus Styloidis apparent reliquiæ. A dextrâ parte, os Zygomatis integrum, in sinistrâ ablatum. Sub osse Zygomatis in ipsâ maxillâ duo supersunt dentes molares, figurâ multum discrepantes ab humanis & aliorum animalium. Quilibet enim, parte eâ quâ è mandibulâ extat, prominentias quinque semilunares habet. Reliqui dentes, tum lateris sinistri, tum anteriores, desiderantur, ablatâ proboscide. Cranium totum superficie internâ variis sinubus & foraminibus dotatum est, leve admodum & simplici constans laminâ, duræ meningis multum adhuc tenens, in primis eâ parte, quæ cerebrum à cerebello disterminat. Tantæ est capacitatis ut cerebrum humanum ordinarium duplâ proportione capere potuisse appareat.

Hactenus crediderunt Anatomici, nullum animal majus cerebrum, habitâ corporis proportione, possidere, ipso homine, at hoc duplo grandius fuit. Humanum non esse, ex proboscide & dentium constitutione patet. Inquirenti mihi diligentissime, an aliqui hoc animal viderint eo in loco ubi inventum Cranium, nemo se unquam tale quid vidisse asserere potuit. Quin imo operam dedi ut alia ex hoc animali ossa haberem, quo ex iis de constitutione reliqui corporis conjecturam facere possem, sed nulla præterea eo in loco reperiebantur. Inventum autem fuit Cranium hoc in prato quodam Scaniæ, per quod fluviolus labebatur.

Varia fuere judicia illorum, qui illud apud Me viderunt, sed nemo adhuc aliquid proferre valuit, in quo acquiescere animus potuit.



MUSEI WORMIANI HISTORIÆ DE ARTIFICIOSIS LIBER QUARTUS.

CAP. I.

De Artificiosis è terris elaboratis.

PRIMAS in hac classe tribuo VASIS CHINITICIS: in primis artificium ostendit Unum rotundum, totum niveum, tres circiter uncias liquoris capiens, in cujus medio statua quædam viri togati, ad cujus pedes foramen per quod infusus liquor in cavum statuæ corpus ascendere per canalem intus occultatum potest, ac rursus per alium descendere, cujus orificium fundum vasis penetrat ac perforat.

Hinc si liquor poculo infundatur ad scapulas statuæ usque permanat & non elabitur, sin plus infuderis totum per fundi foramen, metu vacui, consequenter exstillat.

ALIUD ejusdem fermè magnitudinis, sed octangulum, cœruleo colore exornatum, in meditullio globum habet excavatum, cum foramine in summitate; in quo ex eâdem argillâ puerulus clauditur, qui, ubi liquor infunditur, per foramen emergit & conspiciendum se præbet.

VAS LIGUSTICUM. Ovalis est figuræ, ex argillâ figulinâ confectum, sed eleganti niveâ incrustatione dotatum, in extremitate alterâ effigies muliebris expressa est, quæ quandam in Balneo recubantem exprimit.

Ex TERRA SIGILLATA Silesiacâ confecta FIDELIA ventricosa est, coloris purpurei, ad cœruleum tendentis, amplo ore, ansâ unicâ, parte anteriore sigillo dotata, ut solent pastilli Terræ sigillatæ Silesiacæ, in quo mons triceps, scutulum, duæ claves decussatim se secantes ostenduntur, & hæ reperiuntur literæ. TERRA SIGILLATA.

Ex HISPANIA duo poculorum genera accepi, rubicunda, lævia, ac si ex Bolo Armeno essent elaborata, in Hispaniâ del EXTREME dicuntur, quorum minus ex terrâ impuriore & crassiore conflatum, ventricosum, duabus ansis præditum, Leoninis capitibus, cum aliis ornamentis ornatum, quatuor circiter unciarum capax, operculo fastigiato, nullâ incrustatione; sed fragmentis lapillorum albicantium quibusdam in locis aspersum.

Alterum duplo majus, grato rubore splendidum, pro ratione proportionis leve admodum, utrinque ansatum, venter in collum desinit angustum, quod ad labra paulatim

latim ampliatur. Nullâ incruſtatione aut aliis ornamentis dotatum, ſed ex ſubtiliori & puriori conſtat argillâ.

Dotes eas habere arbitror, quas terræ tribuunt ſigillatæ, infuſum liquorem, contra venena & morbos malignos, vim ex iis contrahere putant.

FIDELIÆ ex terrâ ſigillatâ BOHEMICA confectæ (quarum tres poſſideo) ejuſdem ſunt figuræ cum iis, quas Terra ſigillata Sileſiaca præbet. Una harum colore eſt purpureo, altera albicante, tertia ad rubedinem tendente. Liquoris circiter libram capiunt ſingulæ; picturis & literis exterius ornatæ.

Semiovalis figuræ eſt poculum ex terrâ ſigillatâ MELITENSI niveâ confectum, unciarum duarum capax, craſſum, exteriore ſuperficie variis figuris exornatum, Viperarum nempe, Salamandrarum, Scorpionum, & aliorum animalium ei impreſſorum. Labrum ambit hæc inſcriptio. DIVINO HOC PAULI ANTIDOTO ATRA VENENA FUGABIS. Operculum figuram Scorpionis impreſſam tenet.

SYRACUSANUM ejuſdem fermè eſt magnitudinis & figuræ, ſed lutei coloris; ſed, quia ejus fragmenta ſaltem ad me pervenerunt, exacte delineari nequit.

Ex TERRA SESSANA poculum, rubicundi coloris, frequentia tenet micantis auri granula. Anguſtum eſt, ex ovali ventre baſi ſuſtentata, in collum oblongiuſculum terminatum. Intus & ad labra, incruſtatione viridi præditum, unicâ & oblongâ anſâ. Terra rudis & argillacea eſt ex quâ conſtat, & credo hæc pocula, ſaltem ob auri in iis micantia granula, in precio eſſe.

FIDELIAM ÆGYPTIACAM, priſci operis exotici, ex Belgio ad me tranſmiſit D. D. Nicolaus Wichmannus, quam cum ex terrâ Samiâ verâ elaboratam eſſe quidam exiſtimaverint, meritò in precio habenda. A tenui baſi in ventrem rotundum aſſurgit, qui paulatim in collum anguſtum terminatur, quod paulatim ſe dilatans prominentem conſtituit canalem, effundendo liquori commodum. Anſâ prædita eſt, digiti unius capace. Rubicundâ quâdam, ſed ſubtili, tegitur incruſtatione convexâ ejus parte, cum ornamentis quibuſdam aureis; concava vero fulva eſt. Subſtantia interior, ut ex fragmentis conſtat, griſea, ad albedinem declinans, libram circiter liquoris capit. Ex Ægypto delatam aſſerit is qui dedit.

URNA LACRYMALIS terrea, ex Italiâ allata eſt, à Viro Conſultiſſ. D. Petro Chariſio, Reg. Maj. apud Belgas Legato ordinario. Vaſculum eſt oblongum, colli anguſtioris, pyriforme, ventre ampliore, longitudine quinque unciarum, colore ex rubicundo albeſcente. In ejuſmodi vaſculis lachrymas pro defunctis fuſas olim colligebant Romani, eaſque, cum reliquis inferiis, tumulis mandabant.

LAMPAS FICTILIS ITALICA, ex argillâ vulgari confecta; figurâ eſt pyriformi, ſed ſupinâ parte plana, pronâ ventricoſa, anſulâ dotata & foramine uno ampliore; per quod oleum infunditur, altero minore ex quo prominet ellychnium. In ejuſmodi lampadibus veteres liquorem quendam incombuſtibilem habuiſſe volunt, qui igni nutrimentum perpetuum ſuppeditabat, in mortuorum ſepulchris, ſed noſtram vulgaris uſus fuiſſe arbitror. Vide quæ hac de re peculiari opere commentatus eſt Vir Clariſſ. Fortunius Licetus.



IDOLUM ISIDIS ÆGYPTIACUM, quod ego teneo, Exercitatione literariâ quartâ expressit & commentariis suis illustravit Clariss. Vir D. M. Thomas Bangius, S. S. Theologiæ in Academiâ Hafniensi Profess. P. Collega conjunctissimus. Statua est ex argillâ confecta, quatuor unciarum longitudine, incrustatione cœruleâ tecta. Caput peplo quasi cingitur, cujus Syrmata anteriora per scapulas ad pectus dependent, à tergo verò unum grandius oblongum ad pedes usque descendit. Aures, unà cum nasi & totius faciei lineamentis, satis sunt conspicuæ, à mento dependet barba oblongiuscula intorta. Dextra manus ad latus sinistrum reflexa tenet ligamenta per humeros dependentia, peræ longiusculæ, quæ à tergo dependet, lineis parallelis & transversis dotatæ. Sinistrâ decussatim dextram secante, & ad dextrum latus vergente, hamum ad humeros vergentem sustinet. Totum, quod infra diaphragma est, panno involutum videtur, cui varii characteres Ægyptiaci & avium figuræ nigro colore inductæ cernuntur. Basi innititur quadratæ, ejusdem cum toto coloris.

Usus horum idolorum apud Ægyptios alius non fuit, quam quod cadaveribus exenteratis, & balsamo oblitis, inderent, sanctitatis cujusdam, ut arbitror, titulo. Unde in Mumiis ex Ægypto advectis reperiri solent. De quo consule Viri Clariss. D.D. Caspari Bauhini commentaria in librum 1. Dioscorid. cap. 85.

STATUA ex gypso, pedis unius altitudine, artificio haud contemnendo elaborata, tres exhibet homines, quorum unus grandævus, sub pedibus juvenis, fœminam nudam rapientis & auferentis, prostratus exclamare videtur. Credo hoc artificio expressum esse raptum Sabinarum, quam describit Livius lib. 1. Sed adeo pulchre omnia corporis lineamenta, & affectus ipsi expressi sunt, ut vix à quoquam melius id fieri potuisse arbitrer.

Variis in locis Daniæ URNÆ effodiuntur FICTILES, figurarum diversarum, ossibus combustis & cineribus refertæ, ex cadaverum humanorum reliquiis. Quo autem modo olim in his regionibus mortuos cremaverint, & cineres in his urnis collegerint, ac in tumulis è terrâ erectis seposuerint, libro 1. Monument. Danicorum à nobis editorum, legere licet.

Ante



Ante paucos annos ipſe in colle prope prædium Lindholmianum unam inveni, colore lateritio, figurâ cylindricâ, altitudine pedis unius; in quâ oſſium fragmenta & cineres continebantur.

Fragmentum unius teneo, craſſæ, ventricoſæ, coloris cinerei (quam propè Egerup, hic in Selandiâ, territorii Academici eruit Vir Celeberrimus D. D. Caſpar Bartholinus, tum temporis Academiæ Rector. Quo in loco alia quamplurima, quæ cum demortuis tumulari ſolebant, ab aliis inventa, inter alia & pugio æneus deauratus, qui tandem in meam devenit poteſtatem, de quo etiam alibi ſum acturus.

In Diœceſi Wiburgenſi in Cimbriâ, in colle quodam Huolhói dicto, inventa eſt una cinerei coloris, quæ in ſe minorem continebat ex puriore argillâ elaboratam, coloris nigri, politam, ut ex fragmentis, quæ teneo, conſtat. Continebat oſſium puerilium & cultelli ænei fragmentum.



Magna præterea quædam mihi eſt integra & capaciſſima, altitudine pedis unius & unciarum ſeptem, amplitudine; quâ venter maxime protuberat, pedum trium cum unciis quatuor, colore ex cinereo rubicundo, ex communi argillâ in figulino furno excocta. Inventa eſt in Cimbriâ in tractu Verumenſi & Anno MDCXLIX. à Clariſſ. Viro D. M. Stephano Stephanio, Hiſtorico Regio, mihi dono miſſa.

Hac minor eſt quam dono Nobiliſſimi Viri D. Otthonis Kragii, Regni Daniæ Senatoris prudentiſſimi, poſſideo. Sed elegantior, politior, ex materiâ ſubtiliori elaborata, colore ſubfulvo, levis, altitudine unciarum octo, amplitudine, quâ venter maxime protuberat, pedis unius cum ſemiſſe in circumferentiâ. Ex ventre hemiſphærico, collum exſurgit amplum, erectum, labro paululum porrecto. Copioſum cinerem & oſſium fragmenta habet. Ex Cimbriâ huc delata. Vide additamenta ad Monumenta Danica, pag. 6.

Cap. II.

De Artificiosis è Succino.

PRÆTERQUAM quod nobis varia sint Succini frustula, quibus Natura inclusit Muscas, Tipulas, Araneas, Culices; artificiosa etiam sunt quamplurima è Succino affabre elaborata, ut Scyphi, Patellæ, Tesseræ, globuli precatorii, aliaque quibus describendis non necessum esse arbitror tempus ut teramus, cum infinita ejus generis ingeniosa manus elaborare valeat. Inter reliqua visu digna est MUSCA ALIS SUCCINEIS, quæ vivam tam artificiose mentitur, ut pulchrius aut melius exprimi non possit. Est præterea GLOBULUS PARVUS, cavus, piso haud major, qui ubi aperitur ex eâdem materiâ in eo reperiuntur novem Metæ, quibus pueri ludere solent, duo minutissimi globuli & tres cubi. Quæ omnia exterius apparent, siquidem globulus, in quo hæc continentur, ex Succino plane perspicuo elaboratus est.

Cap. III.

De Artificiosis è Lapidibus elaboratis.

OLLA ex lapide talcoso Norvagico, crassa est, ponderosa, coloris cinerei, librarum circiter quatuor capax, cum ansâ ferreâ. In ejusmodi ollis in Norvegiâ cibos suos coquunt, siquidem ignis violentiam optimè ferant, & lapis ipse, cum mollis sit, facile excavetur, & quamvis recipiat figuram, unde ex compactis hujus lapidis laminis fornaces extruere solent.

E MARMORE SCIBLICIANO, vulgo Serpentin-stein / (eo quod instar Serpentis maculatus sit) mihi sunt arte facta, Mortarium quod liquoris libram unam capit, cum pistillo, Fidelia paulo major, Cochlear, pocula sex ita aptata, ut unum alterum capiat, cum operculo eleganti. Tessera sedecim angulorum cum totidem inscriptionibus. Mollis enim cum sit lapis, facile tornari & sculpi potest. Quandoque adeo porosus, ut, Scyphi ex eo elaborati nisi oleo Nucis Moschatæ expresso perfricentur, liquores perfluant.

Ex MARMORE FLORENTINO elegans mihi est GLOBUS exactè sphæricus & politus. In circumferentiâ decem uncias amplus, maculis suis flavo purpureis varios terrarum & insularum tractus, colore vero cinereo maria & aquas referens, ut Globo Terrestri, in quo Mundi partes depinguntur, plane similis sit. Circulos præterea exhibet Cœlestes, Arcticum, Antarcticum, Tropicos, Æquinoctialem & alios. Huic Pedamentum ex Ebeno cum columnulis ex ebore aptari curavi, ut nihil desit quod in Sphærâ terrestri artificiosâ desiderare quis possit, cum hic Naturæ priores partes sint deferendæ.

LAMINA polita ex eodem Marmore, trium unciarum longitudine, duarum latitudine, rudera collapsæ urbis & turris vastæ tam accuratè exhibet, ut pulchrius à Pictore vix depingi possit.

Ex ALABASTRO MORTARIOLUM in Diametro pedem dimidium habens, cum quatuor ansulis, ex quibus duæ canaliculatæ sunt, ut liquor infusus commodè depleri & effundi possit. Per ambitum crassitie est pollicis. Pistillum quoque habet, crassitie pollicis, longitudine pedis unius.

STATUÆ variæ & parvæ, ex eodem lapide elaboratæ, Artifices commendant, & candore inter se differunt.

Ex LAPIDE LYDIO fabricatam sagittam ex Islandiâ ad me transmisit Doctissimus Arngrimus Jonæ, P. M. anno MDCXLIII. quam præstat ipsius, quam meis verbis delineare. Visendum, inquit, telum an sagittam, unguem (unciam unam cum dimidiâ) longam, paulo minus latam, cuspide mutilam, mitto. Ex lapide Lydio (ut conjectura fert) facta. Hæc se obtulit in lardo vituli marini, bene magni & annosi: Nam & in dentibus annorum indicium habere dicuntur. Bestiam illam Rusticus vicinus sagittâ uncinatâ feriit, & alligato sagittæ fune peremit.

Bestia dum mactatur, reperitur, ut dictum, lapidea illa sagitta in mediâ lardi spissitudine. Quæ propterea illi innocua fuit, ut aliàs deprehenditur: nisi enim, larido penetrato, interiorem carnem contingat, non fit lethalis. Interior illa caro PUESTE,

hanc

hanc circumplexa pinguedo, sive laridum Speck cum Danis & Germanis vocatur. Piscium autem talem pinguedinem, ut Balenarum & Vitulorum marinorum, à porcis mutuatâ voce laridum voco. Repertam hanc lapideam sagittam rusticus piscator dentibus primoribus tentavit, atque insulsus cuspide exarmavit, ut videre est. Hujusmodi autem sagittæ materia cum in Islandiâ nuspiam extet, conjicimus esse Gronlandicam, aut nescio ex quâ circumjacentium terrarum. Habet latior finis sagittæ foramen exiguum, quod forte filum ex subtilioribus Balenarum fibris, bestiam lethaliter ictam attrahendi fine, infixum habebat. Sed telum minus penetrabile, (ut dictum) at interim, in larido vivæ bestiæ, minus dissolubile, ratione dictâ deprehensum est.

Penè præteriissem Monumentum MARMOREUM EX ROMA SUBTERRANEA erutum Anno MDCXLIII. quod mecum communicavit Clariss. Vir D. Johannes Mulenius. Lapis est cinereus, quadratus, longitudine IX. unciarum, latitudine quatuor, inscriptio trium serierum ita habet, sed rudi admodum manu sculpta.

CUSTANTINUS †
EBERETAS SIBI †
LOCUM FECERUM

MANUBRIUM Cultri ex Achate, variorum est colorum, nivei, cœrulei, miniati, nigricantis, purpurei, flavi, ita mistorum & locatorum, ut elegantissimam varietatem exhibeant. Longitudine superat uncias tres, crassitie pollicis, affabre politum & elaboratum, ut ei ferrum commode inseri possit, circulis & ornamentis ex argento eleganter illud cingentibus.

Ejusdem longitudinis est MANUBRIUM PUGIONIS ex Jaspide viridi, cui maculæ purpureæ raræ sunt insperſæ, ut ad Heliotropios referri debere arbitrer; sed duplo crassius, & in extremitate utrinque habet appendicem, quâ facile, ut ibidem in latitudinem, unciarum duarum cum semisse excrescat. Is qui obtulit, retulit ex κρμηλίοις fuisse D. Pauli Lutheri Medici, qui frater fuit Martini Lutheri: hoc ipso hæmorrhagias variarum partium sistere solebat, quia vires ejus sæpius exploratas habebat.

Argento deaurato includitur ex PRASSIO elaboratum caput fœmineum cum peplo, prominente facie & capillorum cirrhis, collo & pectoris portione. Eleganter virescit & prisci operis esse omnia docent lineamenta. Magnitudine est unguis humani, figurâ ovali; totum opus commendat manum & ingenium artificis.

Ex ONICHE vel potius ONICHACATHE, quatuor zonis vel laminis distincto, GAMAHUJAM possideo elegantissimam dono Clariss. & Consult. Viri D. Claudii Plumii, P. M. in Academiâ Hafniensi olim J. U. Professoris celeberrimi, quæ pro strato zonam habet onychinam subcœruleam, cui incumbit facies decora muliebris ex zonâ candidâ in convexum fabricata. Huic insidet nigra Æthiopis facies, ex zonâ ejusdem coloris, tam affabre elaborata, ut per nigræ faciei superficiem oculi candidi emicent. Hisce demum viri barbati & cincinnati caput integrum additur candidum, sed capillis & barbâ luteâ, ex ultimâ zonâ elaboratis. Egregium certe & Artificiosum opus.

Ex AMIANTHO confectam CHARTAM INCOMBUSTIBILEM mihi donavit Illustrissimus Marchio Cæsar Alexander Herculanus, ejusque experimentum in meo Museo fecit, præsentibus aliis Illustribus personis. Chartæ hujus frustulum sevo candelæ inunxit, & accendit, arsit, donec sevum esset consumptum, nitidiore & candidiore remanente chartæ ejus parte, quæ ignem experta erat. Frusta duo mihi obtulit, quorum quodvis longitudine est duarum unciarum, latitudine unius: crassius aliquanto chartâ nostrâ vulgari, sed atramentum & calamum scriptorium sine difficultate admittit.

LANA ex hoc lapide confecta, ut & funis portione digiti longitudine mihi transmissus est à Clariss. Viro D. D. Petro Boudelotio, tum Sereniss. Reginæ Sueciæ Archiatro. Vide cap. 7. lib. 2.

CAP. IV.

De Artificiosis ex Metallis Auri & Argenti elaboratis.

AUREUM ANNULUM GIGANTEUM dono Nobilissimi D. Laurentii Ulfeldii possideo, qui in Selandiâ repertus est anno MDCXLVI. die Decembris II. à puellâ quadam viginti circiter annorum, in tractu Orientali collis UTERHOI dicti, qui situs est inter Basnesium & Terebyam propè Molendinum Basnense. Annulus ex duplicato filo aureo constat, in se convoluto, tres ambitus cum dimidio constituente: Filum illud aureum in utrâque extremitate continuum fuisse videtur, sed jam in extremitatum alterâ ruptum. Si extendatur duplicatum, pedem unum cum unciis septem longitudine æquat, Diameter est unciæ unius cum semisse, pondere Drachmas superat quatuor.

ANNULUS AUREUS in Indiâ Orientali elaboratus & gemmâ Chrysopraso ornatus, peculiaris est artificii, quamvis enim major non sit quam ut pollicem commode ambire possit, gemma tamen conspicuæ est magnitudinis, unguem digiti majoris æquans, & in ambitu parvulis Hyacinthis cinctus. Structura Metalli peculiaris est, & diversa ab iis quæ apud nos elaborantur.

Ex auro mihi TINCTURA est pulveris violacei consistentiâ, quæ, Cochleari argenteo affricta, aureo illud tingit colore. Pulvis ipse levis admodum est & subtilis.

Eâdem tincturâ imprægnatum teneo Linteum, cujus si particulam igni combusseris, quod lineum est perit, remanente tincturâ aureâ filamentorum consistentiâ & figurâ. De hujus tincturæ confectione non habeo quod dicam, si quidem is, qui obtulit, ab alio habuit, & secretum sibi esse voluit.

Est & ex Auro CATENULA tenuissimi fili crassitie, longitudine unciarum duarum cum dimidiâ, pulicem per collum alligatum tenens, & stringens subtili artificio. Hunc verò pulicem ita alligatum per semestre & ultra vivum tenui, singulis diebus manui applicando usque dum sanguinis quantum satis erat extraxerat: sed, meâ incuriâ, fame & inediâ consumptus est.

Ex argento PIXIDULA, octangula, duodecim continet Cochlearia, deaurata, tenuia & levia valde. Pyxis vix pisum majus magnitudine superat.

CRUX argentea Russica è collo videtur gestata, possessorem ab armorum violentiâ tutum ut redderet; ansâ enim in apice dotata est. Deaurata fuisse videtur, sed longo usu aurum jam fere detritum est. Oblonga est, duas ferme æquans uncias, transversa vero brachia unam, plana, crassitie cum dorso cultri certans, pondere Drachmas duas haud æquans.

Alterâ parte minorem insculptam tenet crucem viridem, ad cujus latera sculpta hasta & spongia arundini affixa: In capite literis Russicis incisa habet: REX GLORIÆ, ad dextram JESUS, ad sinistram CHRISTUS, ad pedes NIKA, seu VINCIT.

Alterâ parte iisdem characteribus, continuo tractu à capite ad calcem. DOMINE ARMA CRUCIS TUÆ NOBIS DEDISTI UT IIS DIABOLUM FUGEMUS. In angulis, qui ex perpendiculari & transversâ constituuntur lineâ, quatuor quasi clavi argentei apparent.

CAP. V.

De Artificiosis ex Ære & Ferro elaboratis.

UT Artificiosa ex Ære elaborata, quæ Museum nostrum tenet, breviter persequamur, primò occurrit instrumentum illud ex Orichalco formatum, quo ludere & tempusterere solent pueri. A Cardano, l. 15. de subtilitate, sub nomine SUBTILITATIS INUTILIS descriptum, ex septem annulis, bracteis, & appendicibus constans. Hujus fabricam & tractandi modum fusius describerem, nisi Cardanus, loco allegato, hoc labore defunctus esset, quò Lectorem candidum remitto.

Bergis Norvegorum ante annos aliquot captæ fuerunt sagæ quædam, quæ, inter alia, sub torturâ fassæ sunt, se Piscaturam solito infeliciorem & difficiliorem reddidisse,

EQUUM

EQUUM & LUPUM ÆNEUM certum in locum maris dimittendo. Quod ubi diligentius inquisitum fuit, inventa sunt quorum meminerunt, & huc ad summum Magistratum delata, mihi verò à Magnifico D. Cancellario Frisio communicata.

EQUUS cum suo ephippio rudissimâ arte elaboratus, duarum unciarum est longitudine cum dimidiâ, pondere æquat quatuor libtales uncias. LUPUS verò minor, collo & capite erectus, caudâ parvâ, longitudinem obtinet unciæ unius cum semisse, pendet verò unciam unam libralem. Quamvis in incredulis, permissione divinâ, efficax sit Dæmon, piis tamen omnia cedunt in bonum.

ATIDIS statua ænea, cujus effigiem dedimus lib. 5. Monumentorum Danicorum in descriptione cornu aurei, repræsentat juvenem sedentem & meditantem, dextrâ caput & mentum fulciens, sinistrâ crus sinistrum tangens. In capite mitram gerit in modum cornu incurvatam. Tota statua tres uncias longa est. Pendet quatuor uncias cum Drachmis quinque.

Antiquitatis Romanæ insigne Monumentum, quod dono Clariss. Soceri D. D. Thomæ Finckii teneo. Videatur Pignorius in additamentis ad imagines Deorum Vincentii Cartari, & in originibus Patavinis.

FIBULA ROMANA, qualem depingit Eruditissimus Vir D. Johannes Rhodius, in eleganti Tractatu de Aciâ, plane convenit cum eâ, quæ quarta est numero inter eas quas à Claudio Menetrio habuit. Pondere est Drachmæ unius, & multâ ærugine obducta.

STYLUS ÆNEUS ROMANUS longus est uncias quatuor cum semisse. Crassitie pennæ anserinæ minoris, acutus in extremitatum alterâ; alterâ appendice rotundâ & planâ dotatus, ut ea, quæ prima scripsit, altera commode deleat. Cui etiam fini stylus ipse, qui alioquin teres & longus est, paulo supra appendicem dilatatur, & figuram quasi rhomboideam acquisivit, ut prementi digito facilius aptari possit. Pondere est Drachmæ unius cum scrupulis duobus.

DRACO ÆNEUS, duarum unciarum longitudine, crassitie digiti, ita formatus ut primo grande caput, cum rictu patulo & oculis eminentibus, exhibeat, alis in dorso complicatis, quas aliud caput ore prehendit. Sub ventre caput humanum conspicitur, & pedes ungulis complicatis, qui etiam brachia quodammodo referunt, buccas capitis tenentia, inter quos pedes oritur cauda, quæ mox divaricatur; sed deinde coit ac collum constituit capitis Draconis, quod per divaricationem istam se insinuat, ac in dorso extremitates alarum apprehendit, structurâ prorsus mirabili. Pondere est unciarum quatuor cum semisse.

Prope Coldingam Cimbriæ effossæ sunt duæ armillæ æneæ, raræ structuræ, quas ex meo Museo delineavit Vir Clariss. D. D. Thomas Bartholinus in erudito suo de Armillis tractatu. Cylindricæ sunt figuræ ex junctis quasi tredecim annulis, ut altitudinem sex unciarum ascendant, eâ amplitudine ut brachia hominis mediocris staturæ ambire valeant. Laminæ, ex quibus constant, unâ parte apertæ sunt, ut pro lubitu dilatari aut comprimi possint, simul utrinque duo foramina trigona, quibus fibulæ (quarum etiam aderant particulæ) inseri potuerint. Externa superficies, tria obtinet crepitacula, ansæ annulis quibusdam alligata, quorum duo magnitudine & figurâ dimidium referunt dalerum, tertium vero oblongum, teres, ansatum, cum capitulo in extremitate, instar bapsilis campanæ. Concussâ armillâ, hæc strepitum edunt magnum. Unum vero pendet uncias quatuordecim. Quem in finem fabricatæ sint hæ armillæ, non certò constat: quidam in sacris, quidam in bellis ad strepitum excitandum iis usos esse majores nostros putant.



SICÆ ÆNEÆ Iconem dedimus lib. I. Monumentorum Danicorum cap. 7. Effossa autem est in Selandiâ juxta pagum Egerup, ubi collis est in quo urnæ & varia veterum ornamenta reperiuntur. Tota ex ære constat deaurato, structuræ elegantis. Manubrium longum est uncias tres, acies reliqua pedem unum, lata unciam cum semisse. Hinc patet arma ærea etiam olim in Daniâ in usu fuisse. Sunt enim mihi & fragmenta alia ex ejusmodi pugionibus in Cimbriâ propè Ripas inventa.

BULLÆ seu Bracteæ duæ figurâ ovali, concavæ, olim Ephippiis aut frœnis magnatum aptatæ fuisse videntur. Altera minor, artificiose pertusa & variis mæandris ornata: altera major, integra. Vetustatem præ se ferunt magnam. Inventæ fuerunt Stikelstadii Norvegorum, eo in loco ubi ante sexcentos annos in conflictu bellico periit S. Olaus Rex Norvegorum. Auro obductas fuisse indicant adhuc reliquiæ.

GLADIOLUS æneus sub terrâ in sepulchro inventus, sine capulo, longitudine pedem æquavit, sed abrupta cuspis figuram vitiavit & aliquid de longitudine sustulit: ex apice acutiore in latiorem tendit finem, utrinque acutus. Figurâ enim est triangulari, oblongâ; circa basin foramina tria sunt, per quæ capulo olim aptatus fuisse videtur; eo modo quo jam ligneum adjeci. Per ejus longitudinem duæ quasi costæ excurrunt, quovis latere, quæ corpus firmant & robustius reddunt. Triangulus etiam parvus, duplicatâ constans lineâ, latus utrumque exornat.

Anno MDCXLIV. cum Malmogia à Suecis obsideretur, collem quendam urbi vicinum complanarunt nostri, ut in eo, tanquam loco opportuno, tormenta bellica in hostem dirigerent, inciderunt in URNAM quandam æneam, ossibus & cineribus refertam, quam fossores incauti & inepti ligonibus prorsus contuderunt. Fragmenta, quæ ad me devenerunt, elegantissimam & variis ornamentis conspicuam fuisse declarant. Tot enim supersunt turriculæ, tot deauratæ reliquiæ, ut vel hinc colligere liceat, virum fuisse primatem & magnarum opum, cui hoc sepulchrum constructum fuit.

Ex Cimbriâ duos CUNEOS æneos transmisit D. Axelius Juël, sub terrâ ibidem inventos. Major longitudine superat uncias quinque, latiore parte tres. Ex angusto enim corpore desinit in aciem latiorem. Alter paulò minor est, sed crassior, ad latera eminentias quasdam habens, ut manu firmiter apprehendi & firmari possit.

Usum

Usum in bellis habuisse arbitror, cum cominus pugnabant. Si foramina habuissent quibus manubria indi potuissent, securiculas fuisse arbitrarer.

CULTELLUS æneus cum manubrio ejusdem Metalli, longitudinem obtinet trium unciarum, alterâ parte obtusus, alterâ acutus, acie incurvâ. Manubrio parvulo annulato alius insertus est annulus, ut eo suspendi possit. Inventus est in urnâ quadam sepulchrali, unà cum cineribus & ossibus, prope Calingburgum effossâ. Inter crepundia pueri ibidem tumulati fuisse ex antiquis sepeliendi ritibus colligere possumus. Vide Monumentorum Danicorum lib. I. cap. 7.

SIGILLA quatuor mihi sunt, quorum tria ænea, unum plumbeum. Grandius in circumferentiâ pedem habet, in Diametro uncias tres, effigiem S. Canuti solio insidentis, dextrâ globum, sinistrâ sceptrum, in cujus apice flos Lilii, tenentis, undique stellulis cinctam exhibet. In circumferentiâ has literas, more veterum exaratas, ostentat:

† SIGILLUM CONVIVII SANCTI CANUTI DE SIOBURG.

Hoc sequitur aliud in Diametro uncias duas cum semisse tenens, cui insculptæ sunt hæ literæ grandiores, ita ut emineant, non verò more aliarum in ipsâ materiâ deprimantur. P. R. O. R. O. M. A.

Tertium æneum minus est, in medio magnum I. exhibens, quod ambiunt literæ minores, quæ ob vetustatem legi nequeunt.

Quartum sigillum plumbeum est, effigiem S. Gertrudis insculptam tenens, quam hæc ambit inscriptio: CONVIVII SANCTÆ GERTRUDIS DE SIOGWART.

CALCARIA ex Orichalco elaborata, crassa, ponderosa, simplicitatem priscam præ se ferentia, dono Reverendi Viri D. D. Petri Winstrupii, Scaniæ Episcopi vigilantissimi, habeo, qui retulit hæc olim possessorem agnovisse Byrgerum Archiepiscopum Daniæ & Sueciæ primatem, in historiis nostris celeberrimum.

Huc referre libet LIBELLAM seu STATERAM Siniticam, licet tota ex ære non sit conflata. Bacillus eburneus, septem unciarũ longitudine, crassitie pennæ columbinæ, punctis & lineolis accuratissimè & minutissimè distinctus, ex altero extremorum lancem parvam æneam dependentem obtinet, cui ponderandum aurum inditur, quod expendit pondus æneum quadratum, seu potius tessellatum, quod filo suspensum transcurrit lineas & puncta in baculo signata. Huic autem ponderi in duobus amplioribus lateribus insculpta sunt puncta quinque, in angustioribus tria. Totum verò pondus Drachmam unam cum scrupulis duobus pendet. Universa hæc fabrica thecæ ligneæ clauditur, figurâ Cochleare ferme referenti, in cujus manubrii extremo clavus est, circa quem volvitur operculum, ubi aperitur aut clauditur. Ferunt Sinenses Mercatores has libellas ad cingulum portare, ut oblata numismata iis ponderent & de pretio statuant.

Propter affinitatem aliud LIBELLÆ genus addo, quod Græcum esse dixit, qui obtulit. Lignum rubicundum, teres, in extremitate planum & rotundum ut ei nummus incumbere possit, longitudine decem unciarum, inclusum sibi tenet aliud in extremitate planè ejusdem figuræ, sed manubrium habens quadratum, novem clavis plumbeis illud penetrantibus circa finem dotatum. Conjunguntur verò hæc duo circa medium fermè clavo æneo, ut jungi & disjungi possint. Aperto hoc instrumento, si latiori & rotundiori parti secundi ligni nummum imposueris duarum Drachmarum, elevabit extremitatem illam cui plumbum infixum & alteri prorsus junget. Hinc colligo certæ pecuniæ probandæ destinatum esse hoc organum; quamvis de ejus usu nihil certi mihi constet.

Ad Artificiosa è ferro elaborata ut transeamus, primo occurrunt GLADIOLI INDICI flammati, sic dicti quod lamina instar flammæ fabricata sit, quorum unum breviter describam, alterum enim ab eo vix differt. Longitudine est pedis unius cum semisse, utrinque acutus, in mucronem desinens, ubi ferrum incipit, basin habet crassam, obtusam, hamulis quibusdam & ornamentis variis exornatam. Manubrium ferro ubi jungitur, coronula visitur elegans, ex ære deaurato elaborata. Ex buxi ligno constare videtur manubrium, idoli cujusdam muliebris statuam, lineamentis pulchrè expressis, exhibens, facie venustâ, capillis à tergo in clunes defluentibus, auriculis magnis, manu sinistrâ occiput tangens, dextrâ versus abdomen deflexâ, pectus monile exornat. Trunco variis pampinis & mæandris exornato insidens, dextrum crus, quod bovinum est, elevat, sinistrum pedem sub ornamentis recondit. Idoli cujusdam effigiem

esse arbitror, similem iis quas expressit Laurentius Pignorius in appendice ad tractatum Vincentii Cartari de imaginibus antiquorum. Ferunt Indos gladios hosce veneno inficere, ut iis ictus inferant magis lethales. Vagina ex ligno constat, exterius incrustatione ex nigrâ Laccâ Indicâ, ornamentis aureis decorâ, exornata: interius rubro panno obducta.

Est & alius gladiolus, decem pollicum longitudine, cujus ferrum figurâ folium Pyri refert, è basi obtusâ subrotundâ in apicem acutum paulatim desinens. Manubrium ex ligno constat nigro, in obtusiorem & crassiorem extremitatem, rudioribus quibusdam ornamentis conspicuam, terminato. Hujus usum in bellis esse accepi, ubi Indi cominus congrediuntur. Exiguam præ se fert artis industriam: quocirca, ut priorem Magnatibus, ita hunc plebi deputatum credimus.

HASTA Indica Regia, quam dono Nobiliss. D. Laurentii Ulfeldt teneo, longitudine est pedes octo. Ferrum pedem unum cum semisse parum superat, flammatum, acutum, aureis ornamentis eleganter depictum, & quidem majori ornatu & artificio, ubi lignum ei inseritur, conspicuum est. Lignum ipsum parte superiore crassius est, ubique teres, sed paulatim in crassitie deficit, ita ut ad extremum vix pollicem æquet. Reges & Magnates in Indiâ ejusmodi hastis armati incedunt in bellum ituri. Adest lignea vagina, eleganter Indico more depicta, quâ ferrum tegere licet ubi consultum videtur.

BARDUS Norvagicus genus hastæ est, ferro magno, lato, acuto, figuræ semilunaris, dotatum. Unus mihi est elegans, cujus ferrum splendidum auro interstinctum micat, longitudine pedis unius cum semisse. Hoc autem ferrum ad latus hæret, ut bipennem referat, vel securim incurvam. Lignum, sex pedes longum, corio rubro obductum, & ligulis ferreis ad extremitatem usque fulcitum, firmum, crassum adeo ut vix manu ambiri valeat. Est & mihi alius longior, sed rudior, ejusdem ferme figuræ, quem in bello gestasse virum fortem & procerum colligo ex ferreæ ligulæ interioris prominentiâ, ad manus stabiliendas aptâ.

TYROCNESTIS specimen ex Indiâ mihi attulit amicus, artis & elegantiæ parum, ingeniosæ simplicitatis multum habens. Ligno enim rudi, pedis longitudine, pollicum duorum latitudine, fune ex corticibus nucis Indicæ elaborato, ferrum ejusdem ferme longitudinis alligatur, quod in extremitate semicirculum refert, frequentibus radiis asperum. Hoc instrumentum junctis genubus inter fœmora tenent, prominente hemicyclo aspero, cui Cocronum seu Nucum Indicarum nucleos affricant, usque dum in minimas redigantur particulas, in alios usus asservandos.

CALCARIA antiqua, ob fabricam & figuram, digna sunt visu. Primo unum est grande, cujus longitudo est pedis unius & trium unciarum. Arcus, qui calcaneum cingit, octo unciarum cum dimidiâ, axis seu spina, quæ stellam continet, decem: stella constat radiis acutis duodecim, & in circumferentiâ sesquipedem cum dimidiâ unciâ tenet: Partem exteriorem tam arcus quam spinæ exornat litera H. ad morem priscum efformata, coronâ regiâ exornata, & appendice ad imum volubili; Novies autem hæc litera repetitur. Centrum stellæ una reliquis grandior ejusdem figuræ occupat. Regis cujusdam Haraldi calcar fuisse indicare videtur coronatum hocce H. sed cujus præcise, nostrum non est divinare. Simile plane aliud teneo, magnitudine & figurâ non discrepans, nisi quòd loco literæ H. in iisdem locis extet priscum E. pari modo coronatum, Regem Ericum an designet dispiciendum relinquo. Observare in his licet, arcum, qui stringit calcaneum, majorem non esse, quam ut commodè meo quadret: unde colligere datur, nequaquam giganteæ, sed potius mediocris staturæ hominem fuisse, qui illud possidebat.

Non minorem sapit antiquitatem aliud quod dono Clariss. Viri D. M. Christiani Longomontani teneo, quod è ruderibus quibusdam sub terrâ effossum fuit. Arcus, calcaneo cingendo deputatus, in angulum acutum fermè & obliquè dilatatum desinit, quà spinam capit quatuor pollices excedentem: nec rectâ lineâ pedem amplectitur, sed inclinato utroque brachio ac rursum elevato, utrinque V. Romanorum effingit. Stella verò, extremitati spinæ inserta, parvula est, duodecim interim radiis (quorum quidam carie & rubigine consumpti) insignita. Longitudo totius est octo pollicum. Vide figuras lib. 1. Monum. Dan. cap. 7.

Vetustatem etiam quandam præ se fert Par, quod à D. Wichmanno accepi. Ferreus, qui

qui calcaneum cingit, ſemicirculus ab interiore parte duplici dotatur fibulâ, quæ lorum, quo pes ſtringitur, alterâ parte diviſum excipere debet: Ab eo ſtimulus ſeu proceſſus, qui rotulam aut ſtellam excipit, derivatus quinque fermè eſt pollicum longitudine, appendiculam ſupra ſe hamatam habens duorum pollicum. Rotulæ ſeu ſtellæ enormes ſunt, in Diametro quinque pollicum, in decem radios diviſæ.

CALCAR invictiſſimi Suecorum Regis Guſtavi Adolphi, quamvis nihil peculiare à modernis obtinet, quia tamen tanti fuit Herois, in Muſei mei ornamentum aſſervo. Primò Stellam ſeu rotam ejus calcaris, quod geſtabat cum prope Lipſiam anno MDCXXXII. contra Cæſarianos fortiter pugnando occubuit, auro incluſam & eleganter exornatam, numeris quoque anni, & diei menſis quo hoc factum exhibentem, me donavit Illuſtriſſimus Comes Chriſtianus Rantzovius, ut in rei geſtæ memoriam inter Rariora mea aſſervarem. Paulò poſt reliquum Calcaris obtinui à Nobiliſſimâ viduâ Comitis Holkii, qui in conflictu fuit cum occumberet.



FIGURA I.

Inſtrumentum contractum.

FIGURA II.

Inſtrumentum extenſum.

a *Laminæ ferreæ figura.*
b *Lignum linguiforme inciſurâ præditum.*
c *Clavus trudens ferrum acutum.*
d *Ferrum acutum quod exſeritur & retrahitur.*
e *Acumen ferri.*

f *Locus vacuus in extenso instrumento cui uvula prolongata immittitur.*

g *Retinaculum unum, quod à clavo truditur, dum ferrum extenditur.*

h *Alterum retinaculum, quod extensum tenet ferrum scindens, quo digito in extremitate, manubrium versus, presso, scindit relaxatum ferrum.*

i *Extremitas seu manubrium totius instrumenti.*

Notandum picturam hanc minorem esse ipso Instrumento, cujus veram magnitudinem jam delineavimus.

Norvegiæ incolis familiaris est Catharrus, qui hyeme ad uvulam & fauces palati magnâ vehementiâ descendens eam in tantum molem extendit, ut, nisi maturè debita adhibeantur remedia, suffocationis immineat periculum. Quia vero non semper in promptu sunt apta remedia, ad Chirurgiam confugiunt, & uvulam totam propendentem forfice auferunt, sine omni incommodo aut vocis læsione. Quia vero hæc operatio non adeò trita, egregium in hunc usum Instrumentum excogitavit Rusticus quidam Diœcesis Bergensis, Canutus Thorberni dictus, quod cum aptum satis sit, & citò, tutò, & jucundè sine dolore uvulam amputet, sic delineandum duxi. Lamina ferrea plana, ℥xj. longa, in extremitatum alterâ globulo parvulo exornata, paulatim ampliatur, donec circa medium duarum acquirat unciarum latitudinem, quæ paulatim minuitur & ad unciæ unius cum dimidiâ æqualem angustiam redigitur, quo, machinis ab alterâ parte laminæ existentibus, pro lubitu extendi & exseri potest, ut uvulam exscindendam comprehendat, in hac parte clavus extat mobilis, qui scindens, ferrum, alterâ extremitate ei annexum extendit, & retinet donec laxari usus postulat. Hic autem clavus duobus retinaculis nectitur, quorum alterum extensum firmat, ac retinet, alterum compressum laxat, ubi exscindenda uvula. Quæ omnia ex Icone melius patent.

Jacula indica varia sunt, quorum structuram facile collegerit quispiam ex descriptione, quam jam promam. Omni ex parte ferro non constant, sed ligno tereti, levi, in acumen paulatim desinente, quatuor pedum cum semisse longitudine, ferrea præfigitur cuspis, sex pollicum longitudine, mucrone acutissimo, quadrato, paulatim se dilatante, ac alas duas (utrinque unam) acutissimas constituente: quæ, quo minus infixum jaculum sine magnâ partium dilaceratione & dolore extrahi possit, impediunt: demum partem excavatam exhibent, cui lignum teres inseritur, crassitie pennam Olorinam non superans. Magno impetu & violentiâ in obvia jaculari possunt, ac penetrant facillime, ut eorum violentiæ nil nisi ferrum aut æs resistere possit.

Ejus generis esse videtur quod titulo Hastæ americanæ accepi, longitudine est pedum quinque, crassitie digiti minoris, in summo cuspide ferreâ acutissimâ, folium Myrthi referente, dimidii pedis longitudine, latitudine trium digitorum, dotata. Imum ejus ferrum aliud occupat, etiam dimidium pedem longum, quod in æqualem excurrit latitudinem quadratam, cujus pars infima acumine non cedit aciei cultri.

Hamus seu potius Jaculum ad Balenas capiendas totum ferreum est, trium fermè pedum longitudine, cuspide grandi, utrinque hamatum, fistulâ in extremitate alterâ præditum, cui lignum teres & oblongum inseri potest, Cetis & Balenis capiendis fabricatum, vulgo ein Harpon vocant belluarum harum piscatores. Eorum usum ita describit Rondeletius. Manentibus in statione multis biremibus scaphulis, binorum in singulis alter remigat, alter in prorâ stat, hastam (ita jaculum hoc vocat) tenens: significante autem speculatore Xiphiam (seu Cetum aut Balenam) supervenire (nam Belluæ tertia pars è mari prominet) & propinquante scaphâ, ille, è manu conjecto ferro, hastile extrahit, ferrum enim hac figurâ factum est, & leviter hastili aptatum de industriâ. Ex eo appensus est funiculus longus, quem vulneratæ belluæ laxant, dum discrucians & effugiens mortua fuerit, tum vel in littus trahunt, vel in scapham recipiunt, nisi omnino grandis fuerit piscis. Sed hic modus saltem observatur in minoribus. Majorem Balenam ubi insequuntur, in singulis cimbis deni collocantur robusti remiges, alii tela multa, longa, cuspide hamatâ, in belluam conjiciunt, quibus infixis & altius hærentibus, funes longissimos telis annexos relaxant, usque dum vitam cum sanguine fuderit. Tunc unà cum funibus Balenam in littus retrahunt, adjuti maris undis. Prædam deinde partiuntur, cujus pars unicuique cedit, pro telorum conjectorum copiâ, quæ propriis notis insculptis

insculptis internoscuntur. Mares difficilius capiuntur, fœminæ facilius, maxime si fœtus sequantur.

SERA INDICA, vel, ut alii volunt, Turcica, corpus est ferreum, teres; ad ovalem tamen tendens figuram, ad cujus latus alterum, quadratum hæret corpus, in quo repagula, vectes, & alia ad seram spectantia. Clavi aperienda est planâ, variis foraminibus & sulcis ambagiosis præditâ ac pertusâ; quæ foramini inserta aptè ad alterum dum truditur latus, aperitur sera, artificio haud vulgari confecta. Totum corpus longitudine non superat uncias quinque.

CINGULUM ex filis ferreis articulatim nexum, in quovis articulo duos habet stimulos acutos, qui, ubi nudum tangunt corpus, cutim pungunt & dolores excitant. In alterâ extremitate uncinulus est, qui ab alterâ parte excipitur ubi corpus cingit, quo claudi & aperiri commode possit. Longitudine est pedum duorum cum unciis quinque. Monachi devoti, hujus gestatione, carnem lascivientem compescere solent.

BOMBARDA exigua, duarum saltem unciarum, omnibus constat necessariis ad globulum expellendum, ignem excitandum & pulverem nitrarium incendendum. Fistula & sera ex ferro est, reliquum ex ære deaurato.

MONTICULUS artificiosus ex variis Metallorum mineris conflatus, sed maximè Galenâ & Pyrite. Exceptâ basi & ornamentis in apice extantibus, altitudine est pollicum quinque, in Diametro trium. Basi ligneæ insistit & in certas coagmentationes & cryptas quasi dispescitur. Inferior tres continet statuas operariorum Metallicorum, malleis aliisque instrumentis mineras excavantium. Supra hanc alia visitur crypta, in quâ quidam extat, qui virgulâ divinâ Metalla inquirit. Summum seu apicem exornat plumbea Crucifixi imago, cui adstant Maria & Johannes. Cernere licet in toto corpore variorum generum Pyrites, Tessellatos, Granulatos, Porosos, Steriles, Fertiles, & Galenæ haud minorem varietatem; Metalla argenti, æris, plumbi, & aliorum sinu suo foventem.

SPECULUM ex Metallis conflatum huc spectare videtur, nitidum enim, pulchrum & imagines rerum adeo exacte refert, ut cum optimo è vitro elaborato certare videatur. Quadratum est quovis latere uncias octo superans.

CAP. VI.

De Numismatis.

AD Artificiosa è Metallis elaborata spectant Numismata, quorum seriem & varietatem, quæ in Museo nostro spectatur, brevibus perstringam, cum ex professo de iis alii magnâ curâ egerint.

Inter reliquos nummos AUREOS unus est Denarii Romani magnitudine, duas pendens Drachmas; alterâ parte effigiem Regis barbati & cucullati, dependentibus à tergo Cirrhis quibusdam, ostentans; torque circa collum, & parte paludamenti, variis Syrmatis ornati. Parte alterâ exhibet equitem equo insidentem. Omnia rudi arte utrinque elaborata. Limbum cingunt characteres quidam, qui Russici, Æthiopici, aut Runici an sint, dignosci nequit. Sunt enim qui Regis cujusdam Gothici numisma fuisse arbitrentur.

Cycli Judaici ab uno latere thuribulum exhibent; ab altero florentem virgam Aaronis cum inscriptione Hebraicâ.

Alius nummus argenteus minor, duarum Drachmarum pondere, ab unâ parte imaginem Cæsaris exhibet, ab alterâ florem, quem dicunt unum esse ex Denariis, quibus Christus à Judâ venditus fuit. Sed meus nullam sapit antiquitatem, nam ab alterâ parte Latina hæc legitur inscriptio: IMAGO CÆSARIS; ab alterâ Germanica hæc, AKELEY BLOM, id est, flos Aquilegiæ. Ab aurifabro quodam ad imaginem nummi

nummi Rhodiensis expressum arbitror, de quo consule Antonium Augustinum Dialogo II. & Seldenum de jure Naturæ lib. 2. pag. 229.

ROMANORUM prisca numismata mihi magnâ varietate & copiâ sunt, quæ vulgò Medaglia dicuntur, tam Græca quàm Romana, argentea & ærea. Et quidem ex Denariis argenteis Drachmam maximâ ex parte ponderantibus ultra sexaginta, in quibus, ab alterâ parte, variorum Imperatorum cernuntur effigies affabrè expressæ; ab alterâ, divorum statuæ, aliaque Emblemata. Cernere etiam licet ante tempora Imperatorum cusa, in quibus Roma cum Casside, Romulus & Remus aliaque cum Consulum nominibus extant. Adsunt in hac classe Numismata Augusti, Nervæ, Veri, Antoninorum, Probi, Otthonis, & aliorum. Est & nummus in quo Virgilii effigies & nomen legitur, alterâ parte solem ostentans fulgidum, tenuis quidem nullam sapit antiquitatem. Sed hic præ reliquis observandus est Denarius Antonini, qui ex ferro æri misto constare videtur. De quo forsan Plinius lib. 33. cap. 9. Miscuit Denario Triumvir Antonius ferrum.

Ex ÆRE etiam mihi est copia majorum & minorum Numismatum, omnium Imperatorum Romanorum & Græcorum, desunt fœminarum illustrium & aliorum, quibus hic honos habitus, ut in eorum memoriam Nummi cuderentur. Inter quos quidam operis & artis industriâ excellunt; quidam temporis injuriâ & vetustate adeò sunt detriti, ut inscriptionis non constet ratio: quidam verò ad verorum similitudinem confecti, antiquitatem mentiuntur. Quorum omnium inscriptiones & rationes examinare nimis foret prolixum, & peculiare opus requireret: Sed ab aliis abunde hoc præstitum. Numerum enim superant octingentesimum. Inter hos enim series est omnium Imperatorum à Jul. Cæsare ad Gallienum usque, ab Illustrissimo Regis Galliarum apud nos Legato, D. Casparo Coignet de Thuillerie, mihi dono data.

Sunt præterea mihi variarum nationum Numismata, tam ex argento, quàm ære, plurima: Danica, Arabica, Turcica, Indica, Italica, Hispanica, Gallica (inter quæ series est argenteorum à Philippo I. in præsentem usque Regem, ab Illustrissimo Comite de Harlei, mihi transmissa) Germanica, Scotica, Anglica, Polonica, Russica, Suetica, ex quibus pauca, quæ antiquitatem aut raritatem aliquam sapiunt, hic attingam.

ARABICA, ex argento, magnitudine æquant Marcam nostratem, utrinque literis Arabicis exarata, quarum quædam in orbem limbum cingunt, quædam internum occupant spacium, nomen Imperatoris, sub quo cusa, exprimentes, pondere, maximâ ex parte, Drachmam æquant, tenuia enim sunt. Horum complura apud alios apud nos vidi, ex Norvegiâ allata, quæ à Siguardo Norvegiæ Rege, Jorsalafar dicto, conquisita putant. Is enim, cum in Palæstinâ militiæ operam dedisset, ingenti thesauro onustus domum rediit, ut refert Snorro Sturlæsonius in Historiâ Norvagicâ à me linguâ vernaculâ editâ.

De INDICIS Numismatis pauci scripserunt, quædam igitur addam de iis quæ possideo. Primò occurrit LARINA dictus nummus, qui rotundus non est, sed ex oblongo, crassiori tamen, compresso filo argenteo, conduplicato, constat, literis Indicis utrinque exarato. Horum quinque Dalerum Imperialem constituunt; pendet enim Drachmam unam cum scrupulis duobus.

In SIAM monetæ loco utuntur globulo argenteo, nomine TIKAL, ab alterâ parte compresso, figuram ♄ exhibente, ab alterâ rimulam obtinente; scrupuli unius pondere.

Est & moneta alia minima deaurata, FANNO dicta, sed ex unâ saltem parte characteribus quibusdam exornata. Relatum mihi est, horum duodecim valere unciale, quamvis pondere scrupulum dimidium vix æquent.

Ex JAVA mihi allatum monetæ mirabile genus, ex plumbeâ, aut ejus generis metalli constans materiâ. Rotundum quidem, sed quadrato & satis amplo foramine pervium, characteres quosdam circa ambitum habens, pondere exili. Tres enim scrupulum constituunt, ab incolis PITHIS vocari ferunt. Hujus figuræ mihi duo genera, alterum æneum de quo postea, alterum plumbeum jam descriptum: Dicunt ducentas hujus generis filo alligatas circumferri, sed quandoque undecies mille, quandoque duodecies mille æquivalere Dalero Imperiali.

PIASTER moneta Chinitica sic dicta ejusdem ferme est figuræ, rotunda namque est, & in medio foramen quadratum obtinet, sed minus prioribus. Ut Javanica ex plumbo;

plumbo; ita Sinitica hæc ex æreâ constat materiâ. Characteres quosdam Siniticos ex alterâ parte obtinet, decussatim crucis in modum sitos inter orbem exteriorem & foramen quadratum. Quælibet Drachmam pondere æquat. Per foramina quadrata fila trajiciunt Indi, atque ita colligata gestant.

Non possum quin hic etiam mentionem faciam Nummorum DANICORUM in ollis & urnis sepulchrorum collibus inclusis inventorum, qui etiam antiquitatem sapiunt haud contemnendam. Omnes mediocris solidi Danici non superant magnitudinem, ex argento conflati. Sunt qui nomen Ludovici Imperatoris præferunt, ita enim habet inscriptio, HLUDOVICUS IMP. ab alterâ parte majoribus characteribus, † VENECIAS. Alius ab unâ parte Crucem ostentat, quam circumdat inscriptio, † HLUDOVICUS IMP. ab alterâ templum, quod ambiunt hæ literæ, XRISTIANA RELIGIO. Quod si Ludovicum Pium intelligant Imperatorem, filium Caroli Magni, ad annum DCCCXXX. se extendit eorum ætas. Alius hoc exhibet, EDELRED REX ANGL. Hic Anglicum Imperium obtinuit circa annum Christi DCCCLXIV. Est & qui Canuti Magni titulos præferat hoc pacto, CNUT REX ANGL. ad annum Christi MXVII. referendus. Ecce Tibi quorundam specimen.

Ex insigni varietate hos saltem adducere placuit, omnes enim enumerare, prolixum nimis foret.

Inventum apud nos etiam est numisma tenue, prioribus paulò majus, ex ære, ut videtur, cusum, quod, ab uno latere, Regis aut Imperatoris cujusdam effigiem habet, Imperii insignia manu tenentis; ab altero Episcopi cum pedo Episcopali, sine omni inscriptione. Rudi operâ cuncta expressa sunt.

NUMISMATA CHARTACEA Lugduni Batavorum, necessitate urgente, cusa in obsidione, quæ demum in Argentea commutata sunt, etiam in meo visuntur Museo. Describam ea ipsissimis verbis amici mei, dum viveret, multùm dilecti D. Johannis Meursii, lib. I. Athenarum Batavicarum cap. XXII. Pecunia hæc duplex erat, & viginti octo assibus illa major: ista minor quatuordecim æstimata. In majori ab unâ parte Leo stabat, pileum in hastili ferens, circumscriptum; HÆC LIBERTATIS ERGO: parte alterâ in exteriore ambitu incisum erat, DEUS SERVET LEIDAM: in interiore vero N. O. V. L. S. G. I. P. A. C. id est, Nummus obsessæ urbis Lugdunensis; sub Gubernatione Illustrissimi Principis Auriaci cusus. In minori parte adversâ itidem erectus Leo gladium præferens clypeumque in quo expressa insignia urbis, claves duæ decussatæ, cum inscriptione, PUGNO PRO PATRIA: Aversa vero pars hæc habet, LUGDUNUM BATAVORUM. Icones vide apud Meursium loco citato.

Ex stanno etiam tempore necessitatis cusa Numismata, docet illud quod Grypwaldiæ anno 1631. proponebatur.

Ejus mihi exemplum est, magnitudine æquans Dalerum Imperialem, sed multo crassius, pondere unciarum quatuor. In cujus uno latere insignia conspiciuntur civitatis Grypsvaldensis, in quorum summitate quatuor lineæ quaternarium numerum indicantes, ad latera Anni numerus 1631. in ambitu NECESSITAS GRYPSVALDENSIS. In altero latere insignia Romani Imperii, hac inscriptione: FERDIN. II. ROMAN. &c. reliqua enim commode legi nequeunt.

NUMMI VITREI fragmentum ex Siciliâ attulit mihi Clariss. Vir D. D. Thomas Bartholinus, vitrum viride est, ab alterâ parte vestigia sigilli cujusdam apparent, quæ assequi nequeo.

Non hic commemorabo MEDALIA Pontif. Romanorum, in primis Urbani VIII. & Innocentii X. in annis Jubilæis confecta, ejus enim generis & alia sunt multa, partim in Memoriam Virorum Clarissimorum, partim in Reformationis Euangelicæ testificationem, aliorumque præclare actorum publici juris facta. Eorum enim numerus magnus.

Ad hanc verò classem meritò referuntur PENTACULA & AMULETA, ex misturâ variorum Metallorum, certâ constellatione elaborata, quorum virtutes à multis commendantur. Hujus generis mihi duo sunt. Unum quod majus, Soli dicatum, de quo Paracelsus lib. 7. Archidox. ubi ejus figuram delineat & modum fabricandi docet. Alterum minus, quod contra Epilepsiam commendant autores.

CAP. VII.

De Artificiosis è vitro, eique affinibus elaboratis.

URNÆ LACHRIMALES, in quibus lachrymas pro defunctis fusas colligebant Veteres Romani, tam ex terrâ figulinâ quàm vitro conficiebant. Prioris exemplum supra dedimus: Jam de vitreis agendum, duæ enim mihi sunt ejus generis. Una integra, quam dono Viri Clariss. D. D. Thomæ Bartholini habeo, altitudine unciarum quatuor cum semisse, ex basi planâ & latâ, collum ascendit crassitie minoris digiti, quod demum in latius terminatur labrum. Colore opalino, longâ sub terrâ morâ acquisito, quibusdam in locis gypseâ materiâ obducta, sive à lachrymis sive aliunde mutuatâ.

Alia mihi est ejusdem figuræ, sed major & crassior, coloris ejusdem, ab incauto manibus fracta. Hac me donavit Clariss. Vir D. D. Petrus Bourdelotius, Sereniss. Reginæ Sueciæ Archiater. Usus harum olim fuit, ut in iis collectæ pro defunctis lachrymæ asservarentur, atque ita cum cadavere monumentis insererentur.

OCULI HUMANI structura vitrea, quæ inservire potest iis, qui monoculi sunt, aut vitium aliud contraxerunt, ut hoc commodè pallietur. Ovalis fermè est figuræ, concavæ, eam oculi partem, quæ extra palpebras prominet, coloribus vivis repræsentans, vitro inustis ut deleri nequeant parte convexâ. Sed concavâ plumbo obducitur, ne veri oculi reliquias lædat. Hic vitreus rite applicatus & palpebris insertus, ad motum veri oculi moveri potest, & omnem deformitatem tollere.

Globus Sphæricus, ovi magnitudine, intus frustulis variorum colorum refertus, inordinatè dispositis, quæ per vitri ambientis superficiem pellucentia, gratum oculis præbent spectaculum. Usum alium non habet, quam ut ob pulchritudinem suspendatur, ut oculos pascat.

Parvulæ quædam statuæ vitreæ, tam hominum quàm aliarum rerum, artificiose hic elaboratæ sunt à Gallo quodam, qui pecuniam ab iis corradebat, qui modum vivis coloribus ex vitro hæc elaborandi cernere cupiebant. Nam, ex tenuibus varii coloris vitreis bacillis, igne lampadis eas conflavit, peritè satis & eleganter, quamvis senex in opere perspiciliis uti cogeretur. Statuæ bullas vitreas appensas habent, ut aquæ injectæ innatare valeant.

Templum Venetiis, inter reliqua, speciosum & magnificum, D. Marco sacrum, intus eleganti exornatur incrustatione Musivâ, ut vocant, varias historias sacras aptis coloribus repræsentante, & auro quibusdam in locis obductâ.

Hoc opus ex meris constat tessulis vitreis coloratis & deauratis, quibus debito modo coagmentatis id quod debent repræsentant. Ex hac incrustatione viginti circiter mihi sunt tessulæ, quas curiositatis ergo ex locis corruptis Venetiis dum essem, erui, ac jam in Museo servo.

PRISMA CRISTALLINUM trigonum, septem unciarum longitudine, duarum ferme in quovis latere latitudine, varias refert figuras, pro variâ ejus ad oculum applicatione, jam enim inversis capitibus deorsum, pedibus sursum, jam monoculos, jam quatuor oculis proditos monstra. Colores præterea omnes (quamvis coloratum non sit) dum adversus lucem secundum longitudinem collocatum, rebus, quæ per illud cernuntur, conciliat, ut iridibus omnia objecta depicta videantur. Cernere enim licet colores splendidissimos, roseos, candidos, virides, puniceos, cœruleos, aureos, imò omnis generis. In officinis vitrariis hæc conficiuntur prismata, quæ quò majora eò accuratiùs omnia ostendunt.

VITRUM VIRIDE rotundum, Daleri Imperialis magnitudine, altero latere excavatum, æneo filo ita constrictum, ut unà manubrium præbeat, præterquam quod radios solares colligat, & obvia cremabilia accendat, objecta, quæ per illud cernuntur, minora repræsentat. Quocirca Pictoribus, qui vastos terrarum tractus aliaque grandia repræ-

repræsentare compendiose cupiunt, utile & necessarium. Cuncta enim in debitâ proportione & distantiâ, sed minuta valde, exactè exhibet.

TELESCOPIUM instrumentum opticum jam notum satis, ex tubo oblongo proportionato, & duobus vitreis orbibus artificiose politis, utrique ejus extremitati adaptatis, constans, mirum in modum jam excultum est, & indies excolitur, ut objecta procul distantia majora reddat & exacte repræsentet. Illud, quod teneo, quamvis ex perfectissimis non sit, suam tamen meretur laudem, & dissita oculis tanquam præsentia objicit, mirâ jucunditate. In Astronomiâ, Militari disciplinâ, Nauticâ, aliisque usum habet maximum. De ejus accuratâ confectione integrum tractatum conscripsit Hieronymus Syrturus Mediolanensis, qui magno labore ejus secreta rimatus est: Excoluerunt hanc artem Fontana, Kirkerus & alii, quos legant qui hic peculiare aliquid desiderant. Nos ex Syrturo, quo pacto primum inventum sit hoc organum, paucis exponemus. Prodiit, inquit, anno MDCIX. seu Genius, seu alter vir adhuc incognitus, Hollandi specie, qui Middelburgi in Zelandiâ convenit Johannem Lippersein: is est vir solo aspectu insigne quid præferens & perspicillorum artifex. Nemo alter est in eâ urbe, & jussit perspicilla plura, tam cava quam convexa, confici. Condicto die rediit, absolutum opus cupiens, atque ut statim habuit præ manibus, bina suscipiens, cavum scilicet & convexum, unum & alterum oculo admovebat & sensim dimovebat, sive ut punctum concursus, sive ut artificis opus probaret, postea soluto artifice abiit. Artifex, ingenii minimè expers & novitatis curiosus, cœpit idem facere & imitari, nec tarde natura suggessit tubo hæc perspicilla condenda. Ubi unum absolvit, advolavit in aulam Principis Mauritii & adinventum obtulit. Princeps habueritne prius, nec ne, suspicandum erat: Rem militiæ utilem & necessariam inter arcana custodiri jussit. Verum ut casu senserit evulgatam dissimulaverit industriam, & benevolentiam artificis gratificans. Inde tantæ rei novitas per totum effunditur orbem, & plura alia confinguntur perspicilla, sed nullum illi contigit melius aut aptius priore, adeo ut dicas non Artes solum, sed ipsam Naturam omnia conferre, ut magnis Principibus omnia inserviant. Hæc ille. Omnia verò artis secreta, quæ ad ejus fabricam rite conficiendam requiruntur, qui discupit, apud eum legat tractatu supra allegato, ubi & perspicillorum exactam tradit confectionem.

CISTULÆ quædam CATOPTRICÆ, quadratæ, longitudine unciarum sex, altitudine & latitudine duarum, ex asserculis ligneis compositæ, uno laterum longiorum vitro dotantur, per quod lux ad interiora diffunditur. In extremitatum alterâ, parte elatiore, foramen conspicitur quadratum, parvum, per quod interiora contemplari licet: In ipsâ cavitate variæ sunt statuæ juvenum, virginum, imagines lectorum, graminum, aquæ, aliorumque coloribus eleganter distinctorum. Quæ ubi per quadratum foramen aspexeris, triplicata apparent omnia, atque illorum quædam longissime remota; spectaculo jucundo & pulchro.

De his aliisque similibus consule Athanasii Kirckeri artem magnam Lucis & Umbræ, lib. 10. part. 3.

THERMOSCOPIUM, quod Craseologon vocare soleo, constat ligno oblongo, quadrato, trium pedum altitudine, unciarum trium latitudine, tenente vitrum globosum, quod collum habet longissimum, non amplius pennâ anserinâ, longitudine pedum duorum, terminatum in aliud globosum corpus, quod ligni cavitate tegitur. Huic vitro inest liquor quidam spirituosus viridis, qui, pro ratione temperiei aëris, ascendit modò, modò descendit. Urgente frigore ascendit, urgente calore descendit, unde aëris temperiem exactè demonstrat. Superficies ligni, quà vitrum spectat, chartâ tegitur, lineis atramento signatis certos temperiei gradus ostentans. Superior pars gradus frigoris signat, media temperiei, infima caloris. De insigni hujus instrumenti usu lege Athanasium Kirckerum lib. 3. Magnetis de catenâ Magneticâ cap. 2.

SMICROSCOPIUM tubulus est lenticulari vitro, pollicis saltem longitudine, totus quidem ex vitro, sed exterius ebore suffultus, ita ut, columnulis nixus, per fenestellas quasi lucem admittat. Lens vero cochleâ eburneâ cingitur, ut auferri & pro lubitu aperiri instrumentum possit, ubi objectum ei indendum. Totum corpus ex ebore & vitro constat. Aperto instrumento res minuta examinanda vitro inditur, atque clauso eodem, per operculi lentem contemplanda, tam exacte discernitur, ut mirum sit. Pediculus aut pulex magnitudine magnæ muscæ apparet, ac distinctè pedes hamatos,

inteſtina, oculos, aliaque contemplari licet, quæ alioquin latent. Thecam habet eburneam cui includitur, ne externâ aliquâ violetur injuriâ.

Figuræ alterius aliud eſt Microſcopium, quod licet vitro lenticulari etiam objecta examinet, non tamen Pyxidi includitur, ſed eburneâ cingitur coronâ, quæ per laminam æneam, manubrio eburneo comprehenſam, firmatur, ut objectum forpice in manubrio ſito ſuſtentatum lenti aptè objiciatur. Sic ſingula, minutiſſima etiam, clarè ſatis diſcernuntur.

PERSPICILLUM POLYGONIUM ex duobus rotundis conſtat vitris; inſtar aliorum perſpicillorum. Sed quia Polygona ſunt, objecta adeo multiplicant, ut, cum unum objiciatur, mille te videre putes.

Eſt & parvus tubus ejuſdem facultatis, ex laminâ ferreâ tenui, ſtanno obductâ, conſtans, figurâ conicâ, longitudine unciarum quinque. In cujus minori extremo vitrum commune parvum extat, in altero majus Polygonium. Per hunc tubum ubi rem aſpexeris unam, in infinitum multiplicari videtur.

SPECULA tria quadrata poſſideo, limbo ligneo veſtita, in quorum primo faciem tuam contemplatus ſi fueris, eodem tempore in ejus medio integram, ſed parvam videbis, ad latera, quatuor ejus partes diſtractas & deformatas.

In altero quinque apparent oculorum paria, quinque naſi, quinque ora, & omnia alia, quæcunque objeceris, quinquies repetita videbis.

Tertium concavum omnia majora reddens, faciem communem, giganteam, pollicem brachii magnitudine; & ſic de cæteris.

Sed perfectius eſt rotundum ligno undique cinctum, in Diametro vitrum quatuor habet pollices, radios ſolares potenter colligit & mira exhibet ſpectra. Si extra ſpeculi centrum caput ſtatuatur, inverſum apparet & pedes ſurſum, ſi propius applicueris ingentem conſpicies faciem Gigantis & digitos brachii magnitudine, & multa alia pro ratione diverſitatis applicationis. Sed primarius ejus uſus eſt quod collectis & ejaculatis radiis ſolaribus obvia comburat. Cujus rei periculum facere qui volet, ſplendentis Solis radiis ſpeculum obvertat, & fomitem vel accendibile objectum obvertat centro. Quod invenitur tam diu removendo & appropinquando, donec unitos radios in objecto conſpexeris, tum illico ignem concipit. Meum hoc anno MDCIX. Venetiis ab Agyrtâ quodam emi, qui ligneam in quâ ſedebat ſellam eo accendebat, ut emptores alliceret.

Speculum ſeu TUBUS DIOPTRICUS, conſtat ex tubâ ligneâ, unius pedis longitudine, quæ in alterâ extremitate vitrum habet Polygonium, in alterâ vitrum aliud quod chartâ plane tegitur, ut non niſi per exiguum foramen, per quod vix acus tranſire poteſt, aſpicere objecta liceat. Firmatur hic tubus ſuis pedunculis in planâ tabulâ, ut non dimoveatur, eique certâ proportione diſtantia depicta objiciuntur objecta, diſtorta admodum & ſeparatis partibus inverſa. Hæc objecta per hunc tubum ſi aſpexeris, non videbis illud quod oſtentant, ſed diverſa & benè proportionata. De horum tuborum fabricâ conſule tractatum Gallicum Niuroni, quem vocat, La Perſpective curieuſe.

CATOPTRICA SPECULA, licet non è vitro, ſed Metallis ſint elaborata, quia tamen ſpecula ſunt, huc ſpectant.

CYLINDRICUM totâ mole ſuâ pollices novem altitudine non ſuperat, ſed ſpeculum ipſum ſepoſitâ baſi ligneâ & apice ſex ſaltem habet pollices, circumferentia quatuor. Aſt ipſum ſpeculum dimidia ſaltem eſt Cylindri pars, ab averſâ parte concavum, ligno fulcitum. Ex miſturâ conſtat Metallicâ, benè politâ, ut inſtar ſpeculi Cryſtallini objecta repræſentet. Verum nulla rite formata exhibere poteſt, ſed diſtorta valde ac juxta principia optica ex centro in circumferentias circulares ducta. Imagines ipſæ hoc pacto confectæ nil niſi confuſum exhibent chaos, applicato autem debitè ſpeculo, ordinatæ & pulchræ ſatis apparent. Sunt mihi ejus generis effigies Cardinalis Richelieu, ſceleti humani, Monachi & nudæ virginis, quas nemo quid ſint dixerit, niſi applicato rite ſpeculo.

CONICUM ſpeculum eâdem arte, & ex eâdem materiâ elaboratum eſt, quâ Cylindricum, niſi quòd figuram habeat conicam. Hujus ſpeculi duo mihi ſunt exempla, alterum altero altius, ubi applicatur unum imagini opticè in capſâ rotundâ delineatæ, iconem Servatoris oſtentat, ubi alterum eodem in loco ponitur, emergit imago Virginis

Mariæ.

Mariæ. Si invertatur capsula & applicentur specula, unum Lilium flavum, alterum rubrum exhibebit ex eodem loco & situ, aliaque jucunda. Conus alter altitudine est unciæ unius cum semisse, alter unciarum duarum. Capsa, in quâ depictæ imagines, & cui specula induntur, in Diametro uncias habet octo.

CAP. VIII.

De Artificiosis è Plantis elaboratis.

HERBA PATI seu MAGVEY lenissima, species Aloës Americanæ, foliis angustis, minoribus & tenuioribus, ad purpureum vergentibus colorem, radice magnâ & fibrosâ est. Ex hujus plantæ fibris conficiuntur fila tenuissima & elegantissima, quæ PITA dicuntur, quæ fœminæ Mexicanæ maximi faciunt & ad varia opera utuntur. Horum filorum mihi duo sunt genera, unum rude adhuc & non satis ad opera præparatum, alterum in fila quibus neri potest aptatum. Vide Margravium lib. 2. Hist. Plant. cap. 16. Mecum hæc fila communicavit Vir Clariss. D. Johan. de Laet, amicus meus, dum viveret, charissimus.

FILUM CONTRA SPASMUM nil aliud est quam filamentum ex nervis Rangiferorum confectum, quod parti spasmo laboranti impositum, morbum tollit. Et quamvis ratione materiæ huc non spectet, ratione formæ hic de eo agendum obiter existimavi.

Ex arundinibus confectus est Pecten, quem Americanum vocabat is qui obtulit, dentes ex corticibus arundinis videntur confecti, & separatim nexi; extremitates claudunt ossa quædam lata, sed dentes junctos in medio firmant arundinis maculati frusta oblonga: longitudine est unciarum quinque.

CULEI ex storeis foliorum arundinaceorum, in quibus Gariophylli ex Indiâ Orientali navibus nostris sunt advecti, viminibus quibusdam ex junco Indico, vulgo ROTTINS dicto, ligati & cincti, ex quibus etiam ansas habent. Longitudine ut plurimum sunt pedum quinque, amplitudine cum tonnâ nostrâ certant. Gariophyllis Indicis referti, magnâ copiâ ad nos deferebantur.

CORBIS INDICA non ex viminibus, ut vulgò fit, sed ex Arundinum Indicarum corticibus dissectis, ac decussatim se secantibus, confecta, ita ut figuras rhomboides, ex his decussatis sectionibus constitutas, singulas stipet unus ordo per lineam rectam ab apice ad extremum totam ambiens. In Diametro pedem unum habet, longa pedes duos circiter. Cum ad nos devehebatur, repleta erat Costo Arabico, quem vulgo Cinamomum album vocant.

Ex Sparto elaborata corbis Indica, pilei planè refert figuram, cui ablatus limbus, adeò ut quidam Africanum pileum existimaverint.

Figuræ est hemisphæricæ, in Diametro uncias decem obtinens, ex Sparto albo, nigro, purpureo, & nervis ex Balenarum cirrhis confectis stipata, tam artificiose elaborata, ut artificium mirari liceat.

PAROPSIDES parvæ ex Sparto subtili, sex circiter uncias habent in Diametro, cum rotundæ sint, laccâ rubicundâ obducitur centrum, quod ambit corona aurata, limbus etiam laccâ rubrâ obductus, sed fundus amplus laccâ nigrâ tegitur arte subtili.

Ex eodem Sparto, sed crassiori, constat AULÆUM seu STOREA Indica, in quâ sedere ac discumbere solent Reges ac Magnates Indorum, dum aut conviviis indulgent, aut Legatos peregrinos admittunt. Pedes sex longa est, tres cum tribus pollicibus lata, coloribus eleganter variegata, in primis, albo, nigro, flavo, rubicundo & subviridi, tessellatim ita digestis omnibus, ut ornatum præbeant jucundum.

Anno MDCLIII. metu Anglorum venientibus ad nos navibus Belgicis, ex Indiâ Orientali redeuntibus, varia rara & visu digna à nautis emi. Inter reliqua Storea erat ex stramine artificiosè confecta, rubicundo & puniceo colore, decussatim flavum secante, variosque rhombos pingente. Longitudine est pedum quinque circiter, latitudine trium. Is qui vendidit referebat sponsos & sponsas, ubi matrimonia contrahebant, in ejusmodi storeis discumbere.

CAPSAM præterea tum accepi figuræ cubicæ, pedem unum longam, latam & profundam, cum suo operculo. Exterius tegitur cortice tenui, castanei coloris, quem cingunt & firmant ramuli ex junco Indico, colore purpureo tincti, filis ex pilis confectis alligati. Interior superficies foliis palmarum cincta & exornata, singulari artificio juncta.

Limbus capsæ & operculi, nigro colore tinctus. Cæterum, etsi levis admodum sit hæc capsa, latera tamen digitum crassitie æquant, ut inter utramque superficiem ramulos delitescere arbitrer.

Aliam etiam accepi capsam quadratam, oblongam, pedem unum cum tribus unciis longam, dimidium latam, decem uncias profundam, opere elegantiore elaboratam. Exterius textili opere ex Sparto subtili, variegato, constat, & juncis purpureis cingitur ac stipatur, candidis quibusdam Conchyliis lunatis ac dentatis, ordine eleganti dispositis, ita ut literam Latinam S. binæ junctæ referant, undique exornatur. Interior superficies textili foliorum arundinaceorum tegete ornatur. Quâ suum recipit operculum, foliis palmæ purpureis & flavis alternatim dispositis nitet. Parietes capsæ, crassæ quamvis, gravitatem tamen nullam operi conciliant.

Corollæ precariæ, quibus in precibus annumerandis utuntur Pontificii, mihi sunt variorum generum, sed huc tantum spectant illæ, quæ ex Vegetabilibus sunt confectæ. Ejus generis mihi una est, Romæ elaborata, cujus globuli ex stramine eleganter contexto constant, tam majores, quam minores. Ita verò sunt dispositi, ut post decem parvos sequatur unus major. Sunt verò sexaginta minores, præter eos qui appendicem constituunt cruciformem. Ornamenta verò ex eâdem materiâ confecta & glandes referentia extremum occupant. Junguntur verò omnia ligulâ sericâ, ut suâ pulchritudine ob artificii raritatem oculos eleganter pascant.

Planta quam lachrymam Jobi vocant, species lithospermi, grana magna, pisorum fermè magnitudine, lapidea & dura admodum fert, in quibus semen reconditur, colore sunt vario, in primis vero cinereo & ad nigrum inclinante. Ex his etiam mihi est confecta corolla precaria, sed non nisi quinquaginta constans granis, exceptiis iis quæ crucem adjunctam constituunt. Post decimum quemque sequitur globulus polygonus ex nigro Gagate confectus. Hæc autem omnia junguntur filo ferreo catenæ instar.

Panis frustum mihi est ex extremo involucro Nucis Indicæ confecti, qui procul dubio tempore necessitatis in usum saltem venit. Sapore enim est haud grato, colore luteo.

Alius Panis ex Yucâ seu Mandiocâ, similis biscocto similagineo, sapore non ingrato, ex radice Yucæ confectus est. Varios autem modos conficiendi Brasilienses habent. Simplicior hic: Mandiocca cruda cultro ab exteriore cortice liberatur, hinc purâ lavatur aquâ, scinditur in particulas ligulæ figurâ, duos circiter digitos longas, semidigitum latas. Particulæ hæ exponuntur Soli per biduum ut exsiccentur, non expresso succo, siccatæ sunt albissimæ, ita ut cretæ loco inservire possint ad scribendum, tunduntur in pollinem in mortario ligneo, ex quo panis coquitur delicatissimus, albissimus, certans cum pane similagineo optimo. Fit etiam ex hac farinâ biscoctus diu durans, cujus frustum mihi est sapore haud ingrato, quod ex Insulis Canibalibus cum nostris navibus huc est delatum, diu asservari posse videtur.

Ex Corallio rubro effictum Cranium humanum, magnitudine Pisi majoris, artificium non olet singulare, ruditer enim saltem elaboratum est. Sed quia ad plantas Marinas refertur Corallium, hic ejus facienda erat mentio.

Cap. IX.

De Artificiosis è lignis elaboratis.

Globus buxeus polygonus, omnia Sciathericorum, quæ fingi possunt, obtinens genera, duorum pugnorum est magnitudine; latera habet viginti sex, quorum viginti quatuor, partim quadratorum, partim trigonorum variis exornantur sciathericis, cum indicibus ex laminis æneis variâ figurâ affabre confectis. Latus quadratum in vertice, pyxidem parvam nauticam obtinet, cum acu Climata mundi demonstrante, directioni operis inserviente. Inferius quadratum pedem cum basi admittit, cui tota structura innititur. Opus fuisse ajunt Nobilissimi D. Tychonis Brahe.





FASTI DANICI, libro secundo Fastorum Danicorum à me explicati, in Museo meo asservantur, & alii multo plures, quos hic repetere minus necessum judico, varietas enim est infinita, tam ratione figuræ ligni, quàm ratione notarum impressarum, ut ex iis, quæ ibidem adduximus, colligere licet: duo hujus specimina hic adjunximus, qui plura desiderat cum explicatione eorundem, Fastos nostros Danicos adeat.

GRONLANDICA INSTRUMENTA ex ligno elaborata varia sunt: REMUS Gronlandicus, octo fere pedum longitudine, ita est comparatus, ut duplicatus videatur, in utrâque extremitate alas habens latas & longiusculas, figurâ myrti folia exprimentes, manubrium quod intercedit Cylindricum est, paululum tamen compressum, crassitie brachii ferme, quo manibus commode prehendi possit, atque ita Ictibus alternis navis (quæ Coriacea est) impelli: quævis ala pedem unum cum dimidio habet, reliquum

quum mensurâ manubrii est. Nodis duobus juxta initia alarum dotatur, ex Balenarum cirrhis confectis, in eum, ut arbitror, usum, ut à naviculâ retineri commode possit, ejus in remigando ubi non est usus. Osseo limbo tenui undique cinguntur alæ, clavis minutis osseis eis infixis, qui tamen in extremitate major est ac latior. Mirum quàm affabre sine glutine, aut aliis ejus generis, rimas & lacunas ligni resarcire norint, ferro & ferreis destituti organis.

HASTÆ seu venabula Gronlandica, sex circiter pedum, ex ligno constant abietino, in summitate foramen obtinent, cui ossea inseritur cuspis, mobilis, & ligno loris ex cirrhis Balenarum confectis alligatur. Circa hastæ medium hamus quidam osseus conspicitur, foraminulis pervius, per quæ transiens ejusdem materiæ lorum, illum ligno aptat, cujus usum esse arbitror, ut fortiori manus impetu in obvium hostem aut feram trudatur.

Ei non plane dissimile est JACULUM, perticâ enim constat ligneâ, pedum quatuor, in cujus apice foramen est, quod acuminatam recipit basin, grandioris ex osse hamato cuspidis; quæ, Balenas aut pisces grandes ubi venantur, ipso ictu è sinu suo excidit. Sed quia loro, ex corio fabrefacto Balenæ, circa medium ligni firmiter ita alligatur, ut appositum verticillum motum bestiæ sequatur, à ligno divelli nequit. Hoc enim aquæ supernatans, prædam, longius licet divagatam, tandem prodit.

Cuspis vero ossea, quinque hamis prædita, longitudine tertiam lignei manubrii æquat partem, crassitie pari.

Est & instrumentum aliud ligneum Gronlandicum, quod cujus sit usus nondum constat. Hastæ corpus ligneum, quatuor pedum longitudine, dilatatur paulatim circa finem; hinc utrinque duabus alis, palmæ longitudine & latitudine, ovalis fermè figuræ, osseis clavis ligno affixis dotatur. Inter alas autem has os est teres, pollicari crassitie & longitudine, in cujus extremo sinus quidam seu acetabulum extat, quod cujus sit usus ignoratur.

SAGITTÆ Gronlandicæ, duorum pedum longitudine, ita sunt compositæ, ut apex acutissimus osseus, nunc duobus, nunc tribus hamis dotetur, qui ligno firmiter adeo alligatur nervis, ut dimoveri nequeat. Quà nervum tangit, rimâ ei excipiendo dotatur, supra quam binæ alæ, ex avium pennis, nervis ligno aptantur, ut citatiori ferantur cursu, dum ejaculantur.

ARCUS FINNICUS, seu Lapponum, sex ferme pedes longus, ex ligno constat abietino, cirrhis Balenarum primo obducto, deinde cortice Mediano Betulæ, spiratim circumvoluto, tectus, figurâ semicirculari.

ARCUS ex Indiâ Orientali octo est pedum, ligno constans tereti, recto, non incurvato, in superficie laccâ, seu incrustatione rubicundâ, obducto. Circa medium ubi manus sinistra sagittando arcum prehendit, lintamentis quibusdam trium digitorum longitudine obducitur.

Nomine Arcus BRASILIANI alius mihi donatus, ex ligno fusco Brasiliano confectus, pedum duorum cum semisse longitudine, in extremitatibus cornibus armatus. Lignum ab alterâ parte figurâ est Cylindricâ, se paulatim ad extremitates attenuante: ab alterâ planâ, nullâ re obductum, undique læve & glabrum.

Est major quidam ejusdem figuræ, pedes quatuor excedens, ex ligno nigerrimo confectus, titulo Indici Arcus mihi exhibitus, sed ut prior in extremitatibus cornibus non munitur. Circa medium verò ex pennis & aliis ornamenta quædam recipit, pedis circiter dimidii longitudine.

ARCUS PERSICUS non intentus semilunari ferme est figurâ; sed ubi tenditur nervo suo, hæc figura mutatur, & in extremitatum utrâque cornibus reflexis conspicitur. Ex ligno quidem fabricatus, laccâ rubrâ obducto; sed intus, quà nervum spectat, cornibus bovinis ei apte nexis fulcitur, ut non nisi à viro forti flecti possit. Ejus lignum in medio teres est, apprehensioni commodum, quod ad latera dilatatur, usque in cornua angusta, quibus nervus alligatur, serico variorum colorum obductus, fabricâ eleganti & nitidâ.

PHARETRARUM duo mihi sunt genera, unum arcui capiendo destinatum, ex corio crasso confectum, & filis argenteis & aureis, apte nexis, ornatum, tantæ magnitudinis ut dimidium arcum intentum capere possit. Longitudine duos superans pedes, latitudine pedem unum, ubi in ventrem protuberat.

Alia

Alia est strictior, etiam ex corio, eodem modo exornato, confecta; longitudinis ejusdem, sed strictior, sagittis capiendis destinata, viginti quatuor continere posse videtur.

SAGITTÆ variorum generum, his junctæ INDICÆ, quatuor pedes longæ, ex arundine confectæ, spinis oblongis, duriore ligno armantur, veneno infecto, quod instar nigri alicujus bituminis iis inductum est.

Sunt ex vulgari ligno quercino, pedem unum cum dimidio longæ, obtusæ, plumbo munitæ, alatæ, gravem ictum inferentes.

Aliæ ejusdem magnitudinis, cornu acuto armatæ, citius ut penetrent, ut ferrum æmulentur.

FERRATÆ, seu ferro armatæ, variorum etiam sunt generum, quædam lanceas acutas in extremitate referunt, quædam bifurcatæ, quædam tricuspides, acutæ omnes & adfortiter lædendum comparatæ.

SCYTHICA SAGITTA ex Tartariâ allata, licet omni ex parte ex ligno non sit, huc tamen spectat, longissima est & levissima, maximâ ex parte ex arundine constans. Longitudine pedes quinque attingit, ita ut tres pedes compleat Arundo circa basin alata; pedem unum semis, lignum teres solidum, firmum, olorinæ pennæ crassitie, arundini infixum, filisque alligatum tenet. Hamatam cuspidem ligni extremitati filis aptatam fuisse, ex osse confectam, residuum ejus docet.

Modulus LUPATI, ad indomitos equos frænandos, quem, ex ligno, suâ manu fecit Illustrissimus Princeps meus D. Christianus V. P. M. cum ob artificii raritatem, tum quòd tanti Herois ingenium & in Mechanicis industriam abunde probet, mihi semper fuit gratissimus. Præterquam enim quòd à tanto Principe liberaliter mihi collatus, de ejus in me affectu testetur; ob artificii nitorem & pulchritudinem, omnibus qui viderunt, pro miraculo erat. Veri lupati ferrei omnino exprimit figuram & magnitudinem, adeò ut nihil in eo desideretur. Ipsius insuper Principis nomen C. litera coronata, cum numero quinario, insculptum habet. Pedem longitudine superat opus, quod laudat artificem.



a *Exterior & convexa ſcuti ſuperficies.*
b *Pellis exterior, quâ ſcutum obducitur.*
c c *Capita clavorum quibus anſæ ſcuto alligantur.*
d *Lamina lignea exterior fibris tranſverſis.*
e *Lamina lignea interior fibrarum rectarum.*
f *Concava ſcuti facies.*
g *Corium depictum concavam ſcuti ſuperficiem tegens.*
h *Anſæ tres brachio ſiniſtro capiendo deſtinatæ.*
i *Interior lamina lignea rectis fibris prædita, ſupra literâ* e. *delineata.*

CLYPEORUM antiquorum Septentrionalium duo mihi ſunt ſpecimina: alterum ex Iſlandiâ, corruptum fermè & vetuſtate detritum; alterum ex Norvegiâ. Nam in templo Róldal prope Hardangriam, Diœceſis Stavangrienſis, diu delituit, antequam procuratione Nobiliſſimæ & Doctiſſimæ D. Birgittæ Tott, Dominæ de Tureby, ad me devenit. Ejus fabrica digna eſt quæ notetur. Primo lamina lignea incurva, quatuor pedum longitudine, duorum circiter latitudine, fibris rectis parallelis dotata, parte conca-

concavâ corio firmiter agglutinato obducitur. Hanc ambit alia lignea pariter firmiter adhærens, fibras habens transversas, & corio, eleganter depicto, parte convexâ obducta. Quælibet verò lamina lignea crassitie vix est dimidii digiti. Figurâ est oblongâ & convexâ, ita ut superior pars, quæ caput defendere apta est, angustior sit inferiore: Ansæ vero duæ, quibus sinistro brachio aptari potest, ex firmissimo corio, quatuor ferreis clavis, latioribus in extimâ superficie capitibus, corpori aptantur, ut gladiorum ictibus amputari nequeant. Opus ævi licet vetustioris, ingenii tamen acrioris.

POCULUM ligneum tantæ tenuitatis centum in se torno elaborata tenet, ut crassitie chartam non superent, contactum enim vix ferunt. Ita verò comparata sunt, ut unum alterum excipiat ordine, donec ad minimum fuerit deventum. Primum & majus pede & basi dotatur, quibus reliqua carent. Clauduntur vero omnia thecâ ligneâ firmiore, ut sine periculo tractari & gestari possit. Donum Illustrissimi Comitis Christiani Rantzovii.

Est in Norvegiâ, districtu Christianiensi, Rusticus quidam αὐτοδίδακτος, qui cælaturâ cum quovis artifice certare audet, quamvis artem nunquam à quovis didicerit, & solius cultelli ope id præstet, quod alii multis & diversis organis. Is ex ligno Aceris CANTHARUM fabricavit, qui penes me jam est, quatuor librarum capacem, qui proportione, ansâ, operculo & reliquâ cælaturâ maxime nitet.

Arcem enim Agershusanam, cum horto, piscinis & adjacente territorio, tam eleganter in eo sculpsit, ut, solo ingenio id præstare potuisse eum, negaverint qui opus viderunt.

CISTULÆ Indicæ vel Chiniticæ ex ligno elaboratæ, laccâ quâdam sunt obductæ, tam nigrâ, quam rubrâ, variisque imaginibus aureis lineis constantibus exornatæ. Laccam hanc Trigautius Bitumen vocat (sed, ut mihi videtur, improprie) simile lacti ex arboris cujusdam cortice expressum, ac instar picis glutinosum, ex quo conficiunt Sandaracham quandam. Hoc Lusitani CIARONEM, Sinæ CIÆ vocant. Eo mensas, lecticas, supellectilem, domos ipsas & navigia inficiunt, varioque ad lubitum colore ornant. Quæ omnia deinde ad instar speculi splendent, & nitore suo oculis, lævitate etiam manibus, cum æquali majestate blandiuntur, & multam ferunt ætatem, &c.

PENARIUM Chiniticum, in quo peregre profecturi cibum ac potum asservare solent, pedis unius cum semisse longitudine, unciarum novem latitudine, unius pedis altitudine, ita confectum est, ut supra columnas quatuor superius firmetur tabulatum, atque in duas partes dispescatur. In priori capsulæ tres continentur quadratæ, eduliis asservandis deputatæ: in alterâ lagenulæ duæ, ex Marcasitâ argenteâ elaboratæ, collo angustiore, sed ventre amplo & globoso, quas inferius inversa quædam capsula quadratâ, duobus foraminibus, lagenularum infimam partem ambientibus, fundo suo firmat, ne gestando cadant. Supra has lagenas aliud parvum, columnulis quadratis firmatum, extat tabulatum, peculiaribus quibusdam minoribus capsulis deputatum, itidem quadratum. Tota verò hæc machina laccâ rubrâ, nigrâ, auro, variisque ornamentis & coloribus eleganter est incrustata.

SCYPHUS Rusticus ex ligneis asserculis conglutinatus, magnus est, decangulus, pedem in Diametro habens, intus & foris laccâ rubrâ obductus, nisi quòd fundi exterior superficies nigra sit. Exterius auro aliisque coloribus pingitur, sextariorum quatuor capax; pes enim ad fundum usque liquorem etiam capit.

Scutellæ etiam parvulæ ex subtili ligno, vernice flavâ & maculatâ obductæ, sua habent Cochlearia, eodem modo exornata.

TUBULORUM, quibus Tabaci fumus hauritur, ligneorum tria peculiaria mihi sunt specimina. Unum in Indiâ Orientali confectum, quatuor pedum longitudine, fistula est tenuis Olorinæ pennæ crassitie, quæ in partes quatuor dividi potest, ita enim una pars alteri inseritur, ut commode, quando fumo constipatur cavitas, separari sine incommodo possint, & rursus jungi. Exterius coloribus variis depingitur, ac laccâ incrustatur. In extremitatum alterâ, ex luto indurato fabrefactum est receptaculum, cui Tabacum indendum.

Alter Tubulus è Brasiliâ allatus, duorum saltem est pedum, ex ligno Guajacino, ut mihi videtur, confectus, ita ut paulatim angustetur. Receptaculum Tabaci grandius est ita ut pollicem admittat, & sustentatur ab animali quodam sculptili, quod lupum refert, & variis filis æneis depingitur & exornatur. Superficies exterior lævis est, nodum

tamen quendam in medio habens, colore fusco, fuliginosis quibusdam annulis depicta.

Tertius in Belgio videtur confectus, duos pedes longus, tenuis, ut primus, sed incrustatione quâdam pulchrâ ex frustulis matris perlarum & laccâ variorum colorum nitet. Tam receptaculum Tabaci, quam pars illa tenuior, quæ ori inditur, ex ære argentato confecta est.

Huc non incommodè retulero PYXIDEM SINITICAM elegantem. Orbicularis est figuræ, ex ligno Vernice obducto fabricata; ambitu suo pedem circiter continens, in Diametro pollices quatuor cum semisse, operculo ex eodem ligno dotata. In ejus centro foramen est, cujus Diameter vix pollicem æquat, in cujus fundo stylus minutus, quem ambit lamina argentea perforata, acus nauticæ, acetabulo capiendo apta. Ipsa vero acus in extremitatum alterâ, quæ meridiem spectat, rubicundo colore est infecta; totam cavitatem, in quâ acus continetur, vitrum claudit pellucidum, per quod motus acus commodè observatur. In ambitu observantur circuli, characteribus Siniticis nigris insigniti. Quorum extimus partes continet 24. ita etiam secundus & tertius. Quartus circulus octo habet areolas cum suis notis eo modo quo in figurâ hac expressâ cernuntur.

Pyxidem hanc Nauticam esse credebam ego, antequam literis R. P. D. Martini Martinii S. I. nuper ex Sinâ reducis melius edoctus eram. Is enim in literis Bruxellis 27. Febr. Anni 1654. ad R. P. D. Wilhelmum ab Aelse datis, de hac pyxide ita disserit. Quod attinet ad pyxidis hujus explicationem, dico Sinensem esse, ac quamplurimas similes in Sinis esse, ac fuisse jam antiquissimis temporibus. Nam gens illa pyxidis usum jam quasi à tribus millibus annis habet. Non est autem hæc pyxis Nautica, sed sortilega. Nautica enim aliam habet formam, nec tot characteribus inscribitur, nisi in extimo limbo, ubi ventorum nomina. Hæc ergo pyxis sortilega est, quam Montilogi in Sinâ adhibent, pro felici sepulchri loco inquirendo. In sepulchris enim construendis non minus sumptuosi quàm superstitiosi semper fuere Sinæ, putant enim sub terrâ Draconem, seu influxus varietates esse, unde cor, caput, vel caudam inquirunt, ac similia eo plane modo, quo Chyromantici venas ac lineamenta manus considerant, & judiciarii Astrologi syderum aspectus. Sed de his plura in meâ Sinensium historiarum Epitome, quam brevi communis juris faciam. Ut autem pyxidem aliquo modo explicemus, hæc addo in Clariss. Viri D. Olai gratiam. Circulus extimus 24. partes continet, ex quibus ex decem literis quas Can vocant, & characteribus horarum arte dispositis, domus felices

ces & infelices efformant, eo modo quo Aſtrologi, cum figuras erigunt Aſtrologicas, duodecim faciunt & fingunt domus. Cum autem Sinæ ex horâ mortis, nativitatis & diei, annique computum indagent & felicia vel infelicia, pro defuncti ſepulchro; hinc illas literas conſiderant, per quas hæc natio anni, diei, & horarum nomina diſtinguit. In ſecundo circulo ſunt iidem omninò characteres, ſed ſuo ordine diſpoſiti; primus eſt FZU 子 hora media noctis: tertius CHU 丑 hora ſecunda poſt mediam noctem, &c. Sinæ enim diem noctemque in duodecim partiuntur æquales partes pro horis, intermediæ literæ ſunt decem CAN additis duabus, quas hoc ◎ notavi ſigno, quarum prima cœli ſeu primas fortunas ſignificat, altera electionem. In areolis tertii circuli ſunt varia felicitatis & infelicitatis nomina. In octo areolis quarti circuli ſunt quatuor literæ quatuor mundi partium. A. eſt Auſter, B. Occaſus, C. Boreas, D. Ortus. Hæc figura ☰ cœlum ſignificat, ☶ ☳ hæc verò montes, & ita ☴ ventos. Hæc demum ☷ ☵ terram. Librum Sinæ habent Yekeriq; vocant, qui totus in his figuris explicandis eſt, in quo ex materiâ ☰ ☷ & imperfecto — — ex formâ — & perfecto ☰ octo figuras efformant, ac ex illis octo in ſe multiplicatis 64. Symbola conſtituunt, pro quadam rerum omnium univerſitate. Planè Pythagoricum quiddam dicerem, niſi ante Pythagoram CAIN librum habuiſſet Sinica gens. Hæc Martinius, quorum accuratiorem explicationem cum multis aliis præclaris Sinas concernentibus, in Epitome Hiſtoriarum Sinenſium, à Diluvio ad Chriſtum, & Athlante extremæ Aſiæ, propediem editurum ſe promittit.

NARTÆ ab Alexandro Guagnino dictæ, nobis Skier / Norvagis olim Rani / ita ab eo delineantur. Pedites in Nartis celeriter per nives iter conficiunt. Hæ autem Nartæ ſunt ligneæ quædam & oblongæ ſoleæ, duorum triumve cubitorum longitudine, quibus in pedes inductis, baculo oblongo cum cuſpide ſuffulti celerrime feruntur, adeò ut nullo modo equi, quamvis agillimi, curſu inſequi poſſint. Nam equo currenti aſperitas nivis, montes, cæteræque viæ obſtaculo & impedimento ſunt. In Nartarum autem inſtrumentis currentes, colles, truncos, foveaſque facillime tranſiliunt, hocque modo feras omnis generis apprehendere, capere, & telis transfigere ſolent. Hæ ipſæ Nartæ à Saxone lib. 5. PANDÆ TRABES vocantur, dum de Finnis loquens, quos pandis trabibus vectos conferta nivibus juga percurrere ait. Et lib. 19. LUBRICOS STIPITES nominat. Paulus Varnefridus de geſtis Longobardorum, cap. 5. de Schrikfinnis agens, LIGNA INCURVA ad arcus ſimilitudinem appellat. Saltibus, inquit, utentes, arte quadam, ligno incurvo ad arcus ſimilitudinem feras aſſequuntur. Menſuram earum quod attinet, refert Guagninus ſupra citatus in Ceremiſſorum deſcriptione, quoſdam hæc inſtrumenta ad ſuæ proportionis ſtaturam in longitudinem conficere. Vide quæ de iis notavimus in Literaturâ Runicâ, cap. 19. Nartæ, quas ego poſſideo, ſex pedes longæ ſunt, ex ligno quercino fabricatæ, latitudine pollicum trium, ſed anguſtiores aliquanto in medio, ubi ex virgultis anſæ ſunt, quibus pedes inſerendi. Anteriore ſui parte incurvatæ, inſtar proræ navis, paulatim in acutum deſinunt; ibique exornantur ligneâ quâdam ſecuriculâ, in tranſverſum locatâ, ut nives commodiùs dividant, poſteriore parte latiores ſunt, non curvæ ſed rectæ. Quà nives vel terram tangunt lævissimæ ſunt, & quandoque piloſo Rangiferorum corio obducuntur; quà ſurſum ſpectant, coſtam quandam in corporis obtinent medio, & lineis quibuſdam ad limbum exornantur.



TRAHA FINNICA, quâ ope Rangiferorum ei alligatorum hyeme per nives ferri ſolent Finni, ex novem conſtat aſſeribus, viminibus & clavis ligneis, ita in convexum coagmentatis, ut ſuâ capacitate & hominem decumbentem, & ei neceſſaria capere poſſit. Anterior ejus pars acuminatur, ac proram navis planè refert. Imo totum ejus corpus magis cymbam ſeu naviculam figurâ exprimit, quam aliud quidvis. Puppis lata eſt, pro corporis capacitate, duorum pedum amplitudine; qui fundum & medium to-

tius trahæ, quæ octo est pedum, constituit asser, planior est & crassior. Ei enim tota incumbit moles, illeque vecturâ maxime atteritur. In toto ejus corpore ferri nihil, sed ligneis clavis & funibus colligatur tota moles.

Ex Islandiâ transmissus mihi est CALCEUS ex Betulæ cortice confectus. Cortex ipse in philiras longas scissus videtur, quæ deinde junctæ eo modo quo lintea texunt textores. Philiræ hæ unciali sunt latitudine, ita ut, per longitudinem ductæ, transversas admittant, modo ascendentes, modo substratas, usque dum tota calcei mediocris congeries sit confecta.

FISTULA ex BUXO quâ ordinariè luditur, uncias sex longitudine superans quoad structuram nihil habet peculiare, sed quia à juvene deglutita, & per tres integros dies & noctes in ejus ventre portata ac demum per alvum excreta, sui mentionem hic etiam requirit. Quia vero rei gestæ historiam ipsius juvenis manu linguâ vernaculâ consignatam teneo, summam ejus hic addam: Anno MDCXLVI. circa finem Augusti, juvenis quidam Nicolaus Erasmi, Scholæ Coagiensis Alumnus, ætatis Anno XVII. cum in plateâ fistulâ hâc caneret, quæ erat condiscipuli sui, Nicolai Olai, accessit circa quintam pomeridianam hic Nicolaus suam repetens fistulam. Resistebat ludens ac canere perrexit, quo offensus alter pugno in fauces adversarii percutiendo fistulam detrusit, ita ut nec manibus, nec ullo alio instrumento eximi potuerit, cruoris haud parum per os effluente. In faucibus per quadrantem horæ ubi hæsisset in ventriculum delapsa est, ita ut in dextro latere ipsam sentiret. Doloribus vexatus decumbere coactus est, & per tres integros dies neque dormire, neque comedere aut bibere potuit: die tertio, circa quartam pomeridianam, nullo adhibito pharmaco sponte per alvum eam excrevit. Hinc paulatim convalescere cœpit, licet faucium excoriatio per aliquot dies deglutitionem cibi & potus molestam redderet. Cum hæc scriberet Coagii Anno MDCXLVII. bellè se habuit, quod & suâ manu testatus est Scholæ Rector Johannes Ivarius.



Obiter hic moneo Tibiam mihi esse Islandicam propriè sic dictam ex osse tibiæ agninæ, pulchrè satis elaboratam & sonoram.

ORGANUM MUSICUM Lituanicum, quod cum præcedentibus ad me misit Vir Clariss. D. D. Loiselius in Academiâ Regiomontanâ Profess. P. peculiare est. Excavatus ex parte asser, quadratus fermè nisi quod circa alteram extremitatem attenuetur aliquantum, & hinc inde mæandris quibusdam ad latera exornetur. Longitudine duorum pedum est, latitudine, quibusdam in locis, unius cum dimidio. Hujus pars una, quæ cava non est, sed obliquè excisa, foramen rotundum obtinet, tantæ magnitudinis ut manum pueri admittat, cum roseis quibusdam ornamentis. Reliqua pars concava, ut ad sonum perficiendum sit aptior, novem fidibus æneis obducitur, quæ verticillis pro lubitu & harmoniæ ratione extendi ac laxari possunt. Non vero æqualis sunt longitudinis, sed proportionaliter deficiunt. Quo pacto, an digitis, an plectro in hoc ludant ignoro; dum digitis tanguntur fides, sonum edit haud ingratum. Organon quamvis rude, non tamen frequens.

Ex Buxo arte tam subtili sculpta est VAGINA cultri, octo unciarum longitudine, ut artificis manum adeo peritam mirentur omnes, quotquot opus viderunt, artis sculptoriæ periti. Uno latere exhibet historiam Adami in Paradiso, Abrahami filium mactare conantis, & Lothi cum filiabus: Altera annunciationem Mariæ, Christum crucifixum, eumque resurgentem ostentat, statuis & iconibus, quamvis minutis, tam eleganti tamen proportione & dispositione ordinatis, ut vix artifex ullus id melius præstare potuisset. Magni à peritis fit & æstimatur, qui rem intelligunt.

MACHINA TRACTORIA, cujus beneficio pondera compendiose elevantur. Tantum enim quadrante ulnæ eâ præstatur, quantum tribus aut quatuor ulnis sine eâ. Constat verò trochleis quatuor aut quinque vel pluribus pro lubitu funibus proportionatâ distantiâ ligatis. Sed tota structura melius αὐτοψίᾳ quam calamo docetur.

CATENA LIGNEA, ex ramo uno arboris, variis lateralibus ramulis onusto, constat,

ſtat, ita exciſis, ut ſingulæ anſulæ integræ ſint, variis modis intricatæ; & laterales catenulas junctas habeat prout ligni ratio tulit. Singulæ verò catenulæ in glandiformem nodulum, ornatus gratiâ, terminantur. Principalis pedum quatuor eſt longitudine, laterales quædam majores, quædam minores, quædam etiam duplicatæ. Principalis ex hamo ligneo, ex eodem ligno exciſo, dependet.

Mus artificialis ex ligno confectus, & corio murino piloſo tectus, intus rotis & machinis, horologii inſtar, prædítus. Quorum beneficio, ubi clave aptè regitur & incitatur, inſtar Muris vivi, concitato fertur curſu, ac ire ac redire ſponte ſuâ poteſt.

Statua ex ligno, articulatim juncta & aptis veſtibus decora, manibus rotam tenet, quam librato & tecto pondere ita verſat, ut rem fune alligatam attrahat, perinde ac ſi viva videatur.

Faldistolium, ſellæ plicatilis genus eſt, priſcâ arte ante trecentos annos elaboratum. Ejus pedes decuſſatim ſe ſecant, quorum quivis longitudine eſt trium pedum Romanorum, in ſummo caput Draconis infantem rictu tenens, in imo ungulas rapacis cujuſdam avis infantem comprimentes oſtentant; per reliquum corporis variis gyris & mæandris verſicoloribus ornantur. Cæterum in medio umbilico quaſi dotatur, axem firmante & ita tenente, ut complicari & explicari ejus beneficio tota ſella poſſit. Corio craſſiſſimo nectitur, cui inſidendum ei, qui hac ſellâ uti velit. Ad latera hanc habet inſcriptionem, literis priſcis & Longobardicis ligno inciſis. † Anno: domini: M: CCC: L: secundo: magister: allo: fecit: hanc: cathedram: Epiſcopi cujuſdam Lundenſis fuiſſe memoratur, & ejuſmodi ſellas plicatiles Faldistolia vocata fuiſſe à medii ævi autoribus invenio.

Hanc ſellam cum olim apud me vidiſſet Vir Clariſſ. D. M. Stephanus Stephanius, Hiſtoricus Regius & in Academiâ Soranâ Profeſſor publicus, meumque inſtitutum de novis ornamentis ei addendis cognoviſſet, eleganti epiſtolâ diſſuaſit, quæ, quia jucunda continet, locum hic merebitur. Sic verò ſcribit. Epiſcopalis illa cathedra, quam ſummâ cum voluptate apud te vidi, majorem ſpirat antiquitatem, quam tu illi adjudicas. Nam, ſi inſcriptioni fides conſtare debeat, fabricatus eſt eam Allo, anno Domini MCCCLII. hoc eſt triennio ante mortem Petri II. Archiepiſcopi Lundenſis, qui obiit anno Chriſti MCCCLV. 5. Calend. Maji, ut videre eſt in Chronico Epiſcoporum Lundenſium Nobiliſſimi Arvidi Huitfeldii, literâ T. & deinceps: Hic vero Petrus ducentis fere annis Birgerum, cujus tu ætati aſſignas ſellam iſtam, in Epiſcopatu præceſſit. (Notandum hic, me accepiſſe, hanc ſellam fuiſſe Birgeri Archiepiſcopi, non verò quod ejus ætate ſit confecta; potuit enim hæreditario jure ab anteceſſoribus ſuis eam accepiſſe) Ergo citeriorem redolet antiquitatem, quam facile exiſtimaſſes. Monumentum certe eſt precioſiſſimum & auguſtiſſimum. Cæterum ex earum genere eſt ſellarum, quas Pontificale Romanum, hoc eſt liber continens varios Eccleſiæ Romanæ ritus & ceremonias, barbaro vocabulo nominat Faldistolia (nobis Faald-ſtoel) quarum uſus erat in variis conſecrationibus & ordinationibus Epiſcoporum, Abbatum, Preſbyterorum, imò Regum, Principum & aliorum. Quomodo hæc omnia aptiſſimis figuris & iconibus non uno in loco prædictus liber repræſentat. Valde autem diſplicuit mihi inſtitutum tuum de cathedrâ iſtâ reparandâ, & novis ornamentis condecorandâ, quum hoc nihil aliud ſit, quam antiquitati fucum facere. In primis nollem mutatam pellem illam, quæ ſellam conjungit & ſedem præbet. Nam mihi Elephanti videtur corium eſſe, aut animalis quod Unicornu vocant, aut alterius rari & peregrini, certè alio ſub Sole nati. Vide quæ de Faldiſtolio habet Doctiſſ. Henricus Spelman in Gloſſario Latino Barbaro ad literam F.

Navicula, duorum pedum longa, ad formam maximæ navis bellicæ affabre elaborata, omnia habet tam apluſtria, quam vela, tormenta bellica, trochleas, funes, quæ ad navem bene inſtructam pertinent. In puppi quoque & ad latera depicta, auro exornata, & id quod debet eleganter exprimit.

Capsula lignea triquetra, fabæ magnitudine, in ſe continet duodecim Cochlearia lignea, tam ſubtili arte elaborata, ut peritam artificis manum mirari ſatis nequeam.

Cap. X.

De Artificiosis è Fructibus elaboratis.

NUCEM Indicam ejusque fructum supra descripsimus, jam sufficit monere ex fructus cortice ligneo & duriore, varia utensilia, inprimis pocula & scyphos elaborari, poliri enim adeò exacte potest ut splendore cum ebeno certet. Ex eo scyphus mihi, cujus venter cortex est ita politus ut splendeat, cætera ornamenta, ut pes, basis, operculum, ex argento affabre satis elaborata.

Cortex unus est sphæricæ rotunditatis, poculo aptus, in quo pulchrè opere antiquo incisæ sunt historiæ, missionis Spiritus sancti in Apostolos, descensus Christi ad inferos, & judicium extremum; sub quibus excisa quoque insignia Urbis Amsterodamensis & numerus anni quo elaboratus hic scyphus, qui est 1553. adeo ut centum jam elapsi sint anni ex quo confici cœpit.

Ex NUCE FAUFEL supra descriptâ, PYXIDES parvæ ebore exornatæ variæ conficiuntur, etiam tales in quibus pulvis Tabaci asservatur: eleganti enim misturâ nivei & purpurei coloris oculis sunt oblectamento. Niveum autem istum colorem progressu temporis in flavum degenerare animadverti.

AVELLANA in octo rhombos æqualiter divisa & cingulo ex chartâ pergamenâ junctos, Passionis Christi historiam tenuibus quibusdam statuis affabre elaboratis exhibet: Quamvis ex quovis actu pauca quædam repræsententur, ita tamen sunt comparata, ut, quid sibi velint, facile dignoscere liceat.

In pyxidulâ eburneâ, CALCEOLI duo minuti continentur, ex duobus cerasorum nucleis elaborati, industriâ haud vulgari.

Huc quamvis non spectent, referenda quædam duxi arte composita, quæ raritatem quandam spirant & ad hanc classem sunt relata, inter quæ primò occurrit

ATRAMENTUM CHINITICUM formâ massæ cujusdam oblongæ, unciarum duarum longitudine, latitudine unius fermè. Solida est, quadrata quandoque, folii Persici figurâ, nigerrima, variis characteribus Chiniticis ab alterâ parte insignita, ab alterâ floribus & aliis ornamentis exornata. Dum ad usus applicant, salivâ aut aquâ madefaciunt, atque penicillum, quali pictores utuntur, huic intingunt, ut eo characteres suos effingant. Nec enim stylo ferreo, ut reliqui Indi, nec calamo aut pennâ scriptoriâ, ut Europæi, utuntur. Quinque mihi sunt massulæ hujus atramenti nigri (rubrum enim etiam datur) diversis characteribus Chiniticis & figuris insignitæ. Sunt qui putent ex terrâ quadam bituminosâ nigrâ, cum gummi, confici. Alii vero, ut Trigautius, ex fumo olei præparari asserit: Eo verò uti in marmoreâ laminâ eâque apprime lævigatâ, cum aliquot aquæ guttulis, scriptorios istos panniculos affricando, donec laminam inficiant, deinde penicillo è pilis leporinis, quo ad scribendum utuntur, atramentum excipiunt. Habet hoc præ atramento nostro scriptorio, quod commodius in formâ siccâ circumferri possit, sine metu maculationis aut infectionis.

CHARTA DI SPANIA, folium est vulgaris chartæ, ab alterâ parte tincturâ quadam roseâ ad purpureum vergente & aureo splendore radiante infecta, quâ mulieres utuntur, ut genas reddant rubicundas & faciem venustiorem. Tincturam hanc quidam ex Cnici floribus, Spumâ maris, & arenâ in Hispaniâ confici dicunt. Ego eam ex ligno Brasiliano aut Sandalo rubro extractam chartis his illini arbitrarer, ut exsiccari ac hac formâ circumferri queat. Hoc fuco quando utuntur, digitum salivâ madefaciunt & chartæ affricant, qui tantum abradit tincturæ, quantum sufficit, reliquum in usus asservant.

Cap. XI.

De Artificiosis ex Animalibus elaboratis.

QUAMVIS supra de Instrumentis Gronlandicis è ligno elaboratis egerimus, tamen, quia alia restant ex pellibus animalium confecta, hic de iis commode tractari posse autumo. Primo autem occurrunt

VESTES Gronlandicæ quædam, confectæ ex piloso Phocarum corio, diligenter præ-

præparato. Thorax latus annexum habet caputium, quod capiti inductum tantum relinquit intectum quantum faciei ſpectandæ ſufficit, loro etiam circa faciem conſtringi poteſt, ut unda marina penetrare nequeat, tam parte anteriore quam poſteriore Syrma dependet longum ac latum, quod femoralia penè tegit, &, dum in naviculâ ſeu cymbâ ſuâ coriaceâ ſunt, foramen, per quod ſe immittunt, claudit, ne aquæ quid intret. Femoralia tibialibus nectuntur, utraque arcta adeo ut corpus ſtricte ambiant. Calceorum nullus uſus.

Thoraces alii ex avium maritimarum exſuviis tam egregiè conſarcinantur, ut pennæ nigræ nigris, albæ albis pulchrè reſpondeant. Figurâ à priori non differunt.

Induſia eandem prorſus obtinent figuram, ſed ex piſcium inteſtinis, pulchrè præparatis, & filis ex nervis confectis ſubtiliter ſatis conſutis conſtant, limbum ex corio piloſo canum, ut videtur, habentia. Cum acubus ferreis deſtituantur, miror qui tam apte tot tenuia inteſtina conſuere valeant.

Veſicas etiam quaſdam habent, quas dum navigant dorſo alligant inflatas, ut iis ſuſtententur, ne ſubmergantur. Confectæ autem ſunt ex coriis Phocarum, abraſis pilis & debite præparatis, foramina in iis ſi quæ ſunt, illa apte adeo oſſibus ſtipare norunt, ut ne ventulus quidem cum inflantur exire poſſit. Magnæ ſunt hæ veſicæ, utpote ex integris animalium pellibus confectæ, longitudine ut plurimum quatuor pedum, amplitudine pro ratione corporis animalis. In iis foramen eſt, per quod inflari pro lubitu poſſint in ipſo mari. Ex cirrhis Balenarum appendices etiam habent, quibus laxari ac conſtringi poſſint, neceſſitate urgente.

Navigia pari modo ex coriis eâdem ratione quâ veſicæ præparatis conficiunt. Supra bacillos ligneos, in navigii formam compactos, coria hæc extendunt & conſuunt, ita ut in utrâque extremitate acuta ſint, in medio verò foramen rotundum, per quod inferiorem corporis partem inſerunt, & loris conſtringunt, dum ſe navigationi accingunt. Alia quædam lora ſuperiori navigii parti adjuncta cernuntur, quibus remum & jacula alligare valent ubi neceſſitas flagitat. Navicula illa, quam ego teneo, octodecim pedum longitudinem ſuperat, ſed latitudine vix duos; adeò levis tota eſt ſtructura, ut ſine negotio in dorſo geſtari poſſit, ab homine non adeo robuſto.

De remis, & aliis inſtrumentis oſſibus armatis ſupra diximus.

Olim pocula ex cornibus boum confeciſſe majores noſtros, in tractatu de aureo cornu demonſtravimus, ubi etiam quædam, quæ tenemus, delineavimus, labris ex ære deauratis, & variis emblematibus inſignitis. Cum magna ſit horum varietas in magnitudine, ornamentis & aliis, ſingula deſcribere nimis foret tædioſum, conſulatur dictus noſter tractatus, Monumentis Danicis inſertus, ubi etiam illud deſcribitur & delineatur, quod ex ungulâ Gryphis conſtare quidam falſo putant.

Cornu cervini fruſtum, ſeptem unciarum, per medium juxta longitudinem diſſectum, in duos ramos paulo infra medium divaricatum, egregiè parte convexâ politum, Herculis labores arte ſculptili artificioſè admodum exprimit, circulo incluſos, ut ſingulos ferme corporis toroſi artus & muſculos numerare liceat, & monſtrorum clavâ debellatorum corpora proſtrata mire repræſentata. Supra hanc effigiem quædam extant ornamenta rictus leonini & alia; infra in ramis divaricatis duæ conſpiciuntur effigies, nitidè & eleganter inciſæ. Ad lævam Palladis cum caſſide & chlamyde: ad dextram Autoris, quem Albertum Durerum fuiſſe arbitror. Quà latius patet hoc cornu, unciarum eſt quatuor.

Baltheus ſericeus, ſex bullis ſeu laminis quadratis, ex dente Roſmari confectis, diſtinctus eſt, ita ut prima lamina, quæ ſex uncias ſuperat, longior ſit reliquis, &, in extremitatum alterâ, fibulam conſtituat, cui acus argentea adhæret, cujus beneficio circa corpus ſtringi poteſt, ultima enim, quæ hujus fibulæ foramen ingreditur, tenuior eſt, in obtuſum apicem deſinens. Reliquæ quadratæ, oblongæ. Quia dentes Roſmari in ſpaſmo & convulſionibus commendantur, eum in finem hoc cingulum elaboratum puto, ut nudum ſtringat corpus, & ab hoc affectu geſtantem liberet.

Iſlandi hyeme cum noctes ſunt longiores, ingenioſi cum ſint, ex dentibus Balenarum, ad focum varia conficere ſolent; In primis Ludi scachici (in quo excellunt) latrunculos. Quorum aliquot mihi ſpecimina, viridi & albo colore diſtincta, quæ ita ſunt ſculpta, ut quiſque ſuum officium, habitu, veſtitu, & lineamentis perpulchre exprimat.

Ex dente Balenæ, quam SILDREHE vocant, POCULUM ab iisdem confectum, in superiore parte juxta labrum exhibet imagines trium juvenum saltantium, & se mutuo extensis brachiis manibus apprehendentium; hac inscriptione: LEITID. DROTTINS: OG: AKALLID. HAN. id est, Quærite dominum & invocate eum. Inferius florum duorum, aliorumque ornamentorum conspiciuntur varietates, operâ eleganti & nitidâ.

Nec minoris artificii est COCHLEAR ibidem ex osse elaboratum, longitudine pedali. Cymbulæ enim refert figuram juxta proram paulatim angustatam; Manubrium verò constituit Draco cochleam contortam rictu tenens. Complura alia sunt ejus generis Islandica, quæ artifices commendant, & raritate suâ se præbent pulchra.

Ex Alcis ungulâ PENTACULA, certo anni tempore & constellatione, in Borussiâ conficiuntur, cordis figuram habentia, quæ ab alterâ parte Salutationis Angelicæ historiam impressam habent, ab alterâ hos characteres: GEGRVSET SEJ DV HOLDSELIGE/ DER HER IST MIT DIR. id est, Ave gratiosa, Dominus tecum. Verba sunt Angeli Mariam Virginem salutantis. Commendantur hæc pentacula collo gestata, contra Epilepsiam & convulsiones.

Non est quod hic tangam COCHLEARIA varia ex conchâ venereâ, cornibus animalium, conchâ perlatâ, testudinis crustâ, dente Rosmari, &c. cum nihil habeant peculiare præter materiam ex quâ sunt elaborata.



Ex eâdem ungulâ confectus est annulus peculiaris figuræ, Magnitudine tantus ut pollicem ambire possit, ita formatus, ac si ad latera ramulorum amputatorum ostenderet vestigia, quà crassior est scutum exhibet, cui incisum nomen Jesu, hoc pacto, I. H. S. latus alterum scuti ornatur magnâ literâ T. alterum M. priscum habet. Credo gestatum fuisse contra Epilepsiam & spasmum, opus hodie aut heri non confectum.

Ex ebore multa teneo eleganter & artificiose elaborata, quæ subtilitate & artificum industriâ excellunt; ex quibus quædam obiter recensebo. STATUÆ TRIUM REGUM, Virginem Mariam salutantium, egregiâ arte, ex dimidiâ parte unius dentis Elephanti, habitu Græco sculptorum excellunt. Eo vero magis consideratione sunt dignæ, quod dentis illa pars, per medium secundùm longitudinem dissecta, arguat integrum dentem in Diametro latitudinis fuisse sex unciarum. Ipsæ vero statuæ altitudine septem.

Statua ex ebore, quinque uncias alta, in Chinâ elaborata, virum exhibet habitu Chinensi, amplectentem fœminam ejusdem nationis, quæ sublatâ manu alapam ei minitatur. Et capitio & togâ & calceis & facie Chinenses affabrè satis exprimunt.

Non tangam hic TORMENTUM BELLICUM cum suo præfecto & aliis instrumentis, huic negotio necessariis, subtilissime tornatis, ut hastæ pilum crassitie non superent, pocula varia, Rhombi, Rhedæ, aliaque quamplurima, quibus artifices subtilitate certasse videntur de palmâ, cum quamplurima sint.

Non

Non possum vero quin TUBÆ ex ebore in formam Cornu elaboratæ mentionem faciam, quam dono Sereniss. Regis Nostri Friderici III. Anno MDCL. accepi. Longitudine est pedum duorum, unciarum trium, amplitudo labri latioris, pedis unius & unciarum duarum, angustioris quod inflatur, unciarum trium cum dimidiâ. Crassa satis, ut pondere libras sex civiles æquet. Superficies exterior variis sculpturis exornatur, quarum icones vetustatem præ se ferunt magnam. Distinguitur verò hæc Tuba annulis quasi prominentibus in quinque classes. Quarum prima, labro ampliori vicina, continet duos Leones procumbentes & ad certamen quasi se provocantes, & Dracones rictibus oppositis bellum minantes. Secunda classis insignita est mæandris quibusdam Pampiniformibus, expansis foliis per ambitum reptantibus. Tertia, quæ maxima est, & plus quam medietatem totius tubæ occupat, pluribus & eximiis ornatur sculpturis. Occurrit namque primo eques loricatus, hastâ adversarium, gladio & parmâ armatum, prosternens, quem à tergo, jaculo ex arcu emisso, petit tertius, tunicatus & tegmine capitis pyramidali ornatus: Eum sequitur pedestris ordinis miles, tunicâ & parmâ tectus, stricto gladio imminens vicino, qui nudo capite & longiore inductus tunicâ, nudum hominem, scuto incumbentem, hastâ prosternere conatur, quem vexillifer equo insidens inhibere videtur. Hunc ordinem claudit arbor, in quâ cernitur nidus ovis refertus, cui insidianti Serpenti, Avis ipsa, quantum potest, resistit. Quarta classis bellum spectantia etiam continet. Eques enim loricatus, stricto ense munitus, cum socio sagittario, ex arcu tenso jaculum in adversarium equitem emittit; sed tunicatus quidam gladio stricto & parmâ, tam horum, quam insequentium, nudi scilicet equitis vexilliferi, & peditis sicâ armati, conatibus resistit. Hos excipit miles tunicatus, stricto ense & parmâ insignis, qui dum inermem & nudum ad pedes ejus provolutum petit, occurrit alius pedes, hastâ eum repellens & prostratum liberans, peplo corpus tegens. Agmen claudit captivus nudus, manibus post terga revinctis, caput per asseris foramen exsertum tenens, cujus humero insidet corvus, carnem dilanians & crudeliter mactans. Quinta classis pastoritia esse videtur. Sub arbore, ex quâ sportula & corium dependet villosum, sedet quidam pastorali habitu, pelle hirsutâ tectus, capram mulgens, cui adjuncti hædi, partim jacentes, partim saltantes, atque inter eos unum cornibus tenet alius pastor. Furem adventantem dum insequitur canis, lupus hædum discerpit, quem pedo suo pastorali abigere tentat alius. Classis, quæ sequitur, venationi dicata videtur. Eques enim dum hastâ Cervum petit, pedes nudus venabulo Aprum excipit, quem bini canes tenent. Captum vero, & equo impositum, ducit quidam tunicatus, dextro humero baculum, cui inditum canistrum, gestans. Peregrinationi septimam classem ascribere an debeam nescio. Peregrina quidem hic sculpta animalia id suadent, ac eo nos ducunt. Nudus homo, Camelo insidens, à tergo clunibus Cameli insidentem habet Leopardum aut Lupum Cervarium, ad pedes Psittacum ostentat. Hunc præcedit alius Elephanto inequitans, dextrâ ferrum incurvum tenens, quo bestia regitur, quæ à collo vas vinarium loris alligatum portat. Denique arbor, in quâ nidus quinque aviculis refertus, occurrit, in quo mater pullo nutrimentum rostro præbere videtur, reliquis alis ac rostro gesticulantibus. In altero nido ova cernuntur, quæ puer nudus alteri porrigit, ut sportulæ indat. Quibus succedit Cercopithecorum colludentium par. Forsan hæc aucupia denotabunt. Denique alata Gryps bovem prosternit, cui assidet Sphinx capite humano mitram gestans, pedibus quatuor, alis binis, caudâ oblongâ, quam sequuntur aves binæ, colli oblongioris, caudâ diffusâ, utrinque Phialam floribus onustam custodientes; an Struthiocameli sint, judicent alii. Reliqui duo circuli ita sunt comparati, ut prior non nisi foliis quibusdam simplicibus, partim lævibus, partim crispis, exornetur: posterior duplicatis foliis ex contortis suis stipitibus prodeuntibus. Versus orificium coronulâ cingitur.

STATUAM quandam antiquissimam, Regis Norvagiæ pompam referentē, ex dente Rosmari elaboratam possideo, trium unciarum altitudine, duarum cum semisse latitudine: Rex ipse coronâ redimitus equo insidet, dextrâ scutum latum tenens, quem ab altero latere præcedit signifer, sinistrâ hastam gerens præpilatam, cui in parte superiore adhæret vexillum, dextrâ arcum habens. Hunc sequitur Tubicen, gladium oblongum ad latus tenens, ore verò cornu incurvum inflans. Ab altero latere quidam genubus terram tangens stapedem Regis tenet, quem ad clunes equi Regii sequitur Armiger, scutum Regis sinistrâ, & gladium dextrâ tenens magnum, scutum ipsum ovalis est figuræ, incurvum,

vum, latus ſiniſtrum à capite ad genua tangens. Ex hâc ſtatuâ colligo, ſcuta, quibus veteres utebantur in Norvegiâ, duûm fuiſſe generum, unum quo equites utebantur, amplum, latum, & planum, figurâ ſemilunari, alterum peditibus dicatum, ovalis figuræ, incurvatum, quæ eleganter in hâc ſtatuâ ſunt expreſſa arte priſcâ, & non nimis ſubtili.

Ex CORNU RHINOCEROTIS elaborata Phiala, ex Indiâ venit Orientali, figurâ ovali fermè, niſi ubi ſinus cornu ipſum admiſit. Longitudine eſt unciarum quinque, latitudine quatuor, profunditate duarum. Concavâ parte polita eſt; convexâ folia vitis & pampinos ita exciſos obtinet, ut à corpore ipſo ſeparata extent, ac peculiare opus conſtituant, arte ad tantam redactum ſubtilitatem, ut perſpicuum ſit. Color corneus eſt, ad flavedinem tendens.

Alius mihi eſt Scyphus etiam ex Cornu Rhinocerotis, nigrior & craſſioris ſubſtantiæ, pedi inſiſtens pumilo, totus altitudine ſuperat uncias quatuor, profunditate tres, labrum ovale, in extremitate alterâ anguſtius, oblongum cum ſit, longitudine ſuperat uncias tres; latitudine circa medium duas attingit.

CAPISTRUM ex nervis Rangiferorum rubicundo colore tinctis & artificioſe in craſſitiem minimi digiti redactum, longitudine eſt quadraginta pedum cum dimidio. Hoc Rangiferos trahæ alligant Finni, eoque curſum eorum ita dirigere norunt, ut à viâ non exorbitent.



INAURIS Americana, nihil ſapit artificii, ſed tribus tantum conſtat oſſiculis, ex uno oſſe exciſis, ita ut medium duas habeat anſas, ex quibus duo extrema, pariter anſata, dependent. Craſſitie pennam anſerinam non ſuperant, extrema figuram habent parvæ glandis. In medio oſſis interſtitio parvulum eſt foramen, cui immitti acus poteſt, quæ auriculam perforet. Ex cujus animalis oſſe conflatum ſit hoc opus neſcio, nullam præ ſe fert elegantiam. Os enim colore flavum eſt, quibuſdam in locis nigredine deturpatum.

CAP. XII.

De variis Artificioſis.

SUPRA de corollis precariis ex ſtramine & vegetabilibus egimus: hic monendum, alias plures nobis eſſe, ex certis baccis, ut videtur, ſaponariis, ex Balſamo Americano inſpiſſato, ex tornatis oſſibus, ex vitro colore Corallium æmulante, ex ſuccino & aliis, quarum quædam appenſos habent numulos ſacros, ut vocant, quædam alia ornamenta.

LIBRORUM CHINITICORUM mihi ſunt fragmenta quædam, quæ omnia ita ſunt exarata, ut folia ſint duplicata, &, ob chartæ tenuitatem, ab uno ſaltem latere expreſſos habeant characteres. Legunt & ſcribunt à ſummo paginæ ad imum deſcendendo. Trigautius de Regno Chinæ cap. 5. hoc illis peculiare eſſe refert in libris ſcribendis, quod nullus omnino liber vulgato ſermone ſcribatur, ſed docto. Sermonis hæc diverſitas in ſolâ vocum compoſitione conſiſtit. Omnes voces monoſyllabæ ſunt, quamvis ſæpe duarum aut trium vocalium. Ut rerum ita vocum ſingularis ſuus eſt hieroglyphicus character. Nec pauciores literæ quam voces numerantur, idemque apud ipſos eſt dictio, ſyllaba, elementum. Ac licet pro rerum multitudine ſit numerus characterum, eos tamen inter ſe ita componunt, ut ſeptuaginta octuagintave millia non excedat. Ex iis qui decem millia noverit, eos fere, qui ad ſcribendum neceſſarii ſunt, aſſecutus eſt.

P. Alvarus Semeda cap. 6. refert apud Chinenſes vocabula tantum eſſe CCCXXVI. voces vero MCCXXVIII. deſinentes in vocalem, aut M. & N. monoſyllabas, indeclinabiles, tam nomina quam verba, Literas ſexaginta millia, in Lexico dicto, Haipoen, contentas. Ad commodè loquendum ſufficiunt octo aut decem millia. At Joannes

Gonzales de Mendoza dicit ultra ſex millia characterum in eorum libris reperiri. Semeda hos affert characteres. — unum notat, + decem 土 Terram, 王 Regem 王 Lapidem pretioſum. Sed Mendoza Regem, quem Chiniticè Bontai vocari ait, ita delineat: 天 Cœlum Guant 全 urbem, quam alii Lombi vocant, alii Fu 福.

Ex fragmentis, quæ ego poſſideo, quædam duobus, quædam quinque, quædam decem conſtant foliis, ut Herbarium, quod undecim depictas herbarum oſtentat imagines, quibus nomina & vires characteribus Chiniticis additæ.

Eſt mihi præterea elegantiſſimum Volumen, quod integrum fere eſſe videtur, foliorum ſeptuaginta duorum, variis imaginibus refertum, quod Philoſophiam, Phyſiognomiam, Medicinam & Hiſtorias complecti ex additis tabulis colligere licet. Utinam tandem exoriatur, qui huic literaturæ illuſtrandæ ſe dedat.

Eſt & mihi Epiſtola quædam Chinitica, in chartâ quinque pedum longitudine, unius latitudine, deſcripta. Hæc vero charta ab uno latere rubicundo colore infecta eſt, ab altero candida, atque ita complicata, ut quinque conſtituat duplicata folia. Prima facies unicum ſaltem continet characterem, qui titulum aut inſcriptionem denotabit, altera octo & præterea ſupremâ & infimâ parte agglutinatum aliud chartæ rubræ fruſtulum oblongum, unciæ unius latitudine, quod tres continet characteres. In reliquis foliis nihil plane extat. Quodlibet autem jam deſcriptum folium latitudinem obtinet quatuor pollicum. De hujuſmodi epiſtolis mihi loqui videtur Trigautius capite ſeptimo, dum inquit: Cum ſe mutuo propinqui & familiares officii cauſâ inviſunt, ad rependendum viſitationis officium adſtringunt viſitatos. In his porro viſitationibus hæc ferè ratio obſervatur. Qui viſitat ad ingreſſum libellum profert in quo nihil aliud legitur præter viſitantis nomen, cum modeſtis Epithetis, pro ratione viſitantis & viſitati, eumque libellum pariter ad herum defert janitor. Porro ſi plures ab uno, vel unus à pluribus viſitatur, ſemper pro numero viſitantium aut viſitatorum ſunt libelli. Hi fere duodecim paginis è chartâ candidâ conſtant, & ſeſquipalmam oblongi ſunt. In primâ facie mediâ è papyro rubrâ, ad duorum digitorum latitudinem fragmentum affigitur libelli longitudine, & plerumque libellus hic chartaceo ſacculo cum eodem rubro additamento in extremâ facie includitur. In his tanta eſt varietas, ut omnino neceſſum ſit domi viginti fere thecas paratas ad omnem uſum habere, cum variis titulis, ita continuus eſt eorum uſus.

Epiſtolæ Chiniticæ, cujus ego ſpecimen exhibeo, deſcriptionem talem dedit nobis Alvarus Semeda cap. 12. Thie charta eſt, ſeu liber plicaturis conſtans internis, & externis, longitudine palmi, amplitudine manus, trium generum. Major ſex habet folia, media tria, minima unum. Omnes hiſce utuntur in viſitationibus. Quâ ordinariè utuntur, alba eſt, cum appendice rubra ejuſdem longitudinis, lata digitos duos, extra adhærente, ſi ob reverentiam, aut invitationem, tota in chartâ rubrâ ſcribitur, ſi condolentiæ ergo, ex chartâ luteâ, ſi quis in luctu ſit, cœrulea eſt litera, ut & externa illa portio, ſed charta alba. Hæc charta unicam ſaltem literam habet inſcriptam: ſenſus ferme hic eſt; Veſter amicus intimus, ad vos veniet ſalutatum. Hæc litera offertur janitori, ut ad dominum ferat.

Epistola Japonica magnam cum Chinenſi habet affinitatem, quoad characteres, (qui tamen majores & confuſiores apparent) & ſcribendi modum à ſummo ad imum. Mihi una eſt in charta duorum pedum longa, unum cum tribus unciis lata, in medio ſecundum longitudinem complicata, ita ut exterior ſuperficies notis ſit exarata, interior vacua, dein in columnulas diſtincta videtur non lineis, ſed ſolâ complicatione. Ab uno laterum notis exaratorum, duodecim cernuntur columnæ, literis varie notatæ, in altero ſeptem columnulæ literis diſtinctæ cernuntur.

Tota Epiſtola ita exarata, tali modo complicatur, ut ex duodecim columnis, quibus conſtare videtur, prima ſit interior, quam ambit ſecunda, hanc tertia & quarta, & ſic conſequenter ad ultimam uſque, quæ parte externâ characteribus vacua eſt. Hi autem characteres rudi valdè penicillo ſunt ducti, & maximâ ex parte complicati, ut multi ſimul cohærere videantur, à ſummo ad imum.

De Literis Malabaricis ſupra egimus lib. 2. cap. 14. ubi de Palmæ foliis diſſeruimus, ſed quia de ſtylo, quo ſcribunt, nihil relatum, pauca hoc loco addenda.

Rudi

Rudi arte confectus eſt ex acu ferreâ, ligneo, vel potius arundinaceo, ut mihi videtur, manubrio (medii digiti longitudine, calami ſcriptorii craſſitie) inſertâ, & circumquaque lineo vinculo ligatâ. Accepi ex relatione noſtratium, qui ex Indiis reverſi, mihi literas & ſtylum obtulerunt, quod dum ſcribunt, palmæ folium, pollici ſiniſtræ manus exterius applicent; dextrâ ſtylum movent, & punctando literas exarant; Quod celerrimè facere norunt, ut ſcriptorio calamo vix quiſpiam eos aſſequeretur, in chartâ nobis uſitatâ. Quandoque grandiores, quandoque minores literas pingere, docent varia literarum apud me exempla.



EPISTOLAM ÆTHIOPICAM mihi dono dedit Literatiſſimus Juvenis Jobus Ludolphus, quam ad ipſum Româ ſcripſit Gregorius Æthiops. In chartâ oblongâ unius pedis

pedis cum unciis quatuor & latâ uncias ſex, literis Æthiopicis exarata, hoc habet peculiare, quod nullos margines literis deſtitutos obtineat, ſed extrema chartæ, tam ſuperius quam inferius & ad latera, attingant notæ.

Idem Ludolphus in ſui recordationem, in chartâ, pedali longitudine, exarata obtulit HIEROGLYPHICA MEXICANA, miris conſtantia figuris, vario colorum genere depictis, ex quibus vix quiſpiam quidquam collegerit; duo autem ordines eſſe videntur, charta enim lata eſt uncias quatuor. Magnam affinitatem haberet cum quibuſdam ex iis, quæ depinxit Clariſſ. Vir D. Johan. de Laet lib. 5. deſcriptionis Indiæ Occidentalis cap. 10.

PERSICAS & ARABICAS Epiſtolas à peritiſſimo earum linguarum Wilhelmo Lejel accepi. Scriptæ ſunt in chartâ optimè lævigatâ, literis Arabicis à dextrâ in ſiniſtram. Quævis Epiſtola ſiniſtrum chartæ quadratæ angulum ſuperiorem amputatum habet, quo fine neſcio. Præter ea quæ literis ſcripta ſunt ad latus Epiſtolæ, ſigillum, modo unum, modo duo, nigro colore impreſſum oſtentat. Una vero eſt Epiſtola, quæ non ad latus, ſed in fronte gerit ſigillum quadratum, cum reliqua rotunda ſint. Complicantur vero, uni philyræ digiti latitudine obvolvendo reliquas omnes ad extremam uſque.

Libros hic non exhibebo alios, Ruſſicos tam manuſcriptos quam impreſſos, eorum volumina, longiſſimæ & agglutinatæ chartæ inſcripta, Arabicos, Runicos, inter quos eximium eſt opus Faſtorum Danicorum, à me lib. 3. Faſtorum enodatum, & Legum Scanicarum codex elegans, in membranâ literis Runicis exaratus, cujus alibi mentionem feci; ad calcem enim duas habet Regum Danicorum ſeries, quas ſuccincto commentario olim illuſtravi.



Huc non incommode retulero Volumen antiquum, verè ſic dictum. Cylindrus enim eſt octo unciarum longitudine, ex ligno excavato & corio obducto, rimam habens per longitudinem excurrentem, per quam membrana, cui literæ inſcriptæ ſunt, inſeritur & eximitur. Huic includitur lignum teres, ſeu axis rotabilis, ſuis eminentibus utrinque prominentiis ſeu verticillis extra corpus Cylindri, ut his circumrotari axis poſſit, quæ membranam ſcripta tenentem alterâ extremitate annexam habet, ut volvendo ei obduci poſſit, revolvendo verò per rimam eximi & explicari, quo quæ contineat legi poſſint. Continet verò hoc volumen Leges Convivii cujuſdam S. Johannis, ut colligo. Membrana ipſa duos pedes longa eſt, lata dimidium.

PAPYRUS CHINITICA, ſubtilis admodum eſt, utpote ex ſerico elaborata, ſed magnis adeo philyris ſeu foliis ut unicum æquet longitudine pedes quinque, latitudine duos cum unciis quatuor, nitida valde & pulchra.

JAPONICA minoribus philyris, pedem longitudine vix æquantibus cum ſemiſſe, pedem unum lata. Multo ſubtilior eſt Chiniticâ, ita ut, qui primo viderit, negabit crenæ ductum cum atramento ferre poſſe; attamen & atramentum fert ut non perfluat, & ita complicari, teri ac tractari poteſt, ac ſi linteum eſſet, ſine omni metu ruptionis: unde ferunt Japonenſes eâ loco ſtrophiolorum uti, & res precioſas ei involvere.

Papyri

Papyri VERÆ, ex arundinibus Nili confectæ, mihi est frustulum, quod cinerei coloris, tenue, firmum tamen. Quæ planta fuerit Papyrus & quomodo ex eâ olim perfecerint chartas, in quibus scribebant, docet Theophrastus lib.4. Histor. Plant. cap 9. & Plinius lib. 13. cap. 11. ubi inter reliqua sic disserit: Papyrum ergo nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachialis radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includens. Semine nullo, aut usu ejus alio, quam floris ad Deos coronandos, &c. & post quædam: Præparantur ex eo chartæ, diviso acu in prætenues, sed quam latissimas, Philuras. Qui plura volet, consulat Guilandinum de Papyro, qui amplo commentario Plinium illustravit.

Aliam veræ Papyri speciem ex Arundine confectam Lugduno Batavorum ad me transmisit filius Wilhelmus Worm. Folium longum est pollices septem, latum quatuor, colore non planè candido, sed ad flavum inclinante, crassiusculum, lævigatum, & nescio quo glutine obductum, ubi enim charta complicatur rimulas contrahit leviusculas.

CALCEORUM antiquorum varia habeo genera, quorum delineationi incumbere minus necesse est, quamvis quidam ex holoserico, quidam ex corio serico variè depicto, quidam figuræ varietate ludant. Servantur saltem propter antiquitatis reverentiam.

CHINENSES soleas habent ex candidâ telâ, tuberculis refertâ, cui rubicundi coloris nota impressa. Quod pedis superiorem ambit partem, etiam ex candidâ telâ, sed alterius generis, confectum, extremos saltem tegit digitos, pedis latera & calcem; fimbriis ex cœruleo serico, in varios mæandros confecto, exornatum, præsertim circa digitorum & calcis extrema, opere Europæis vix imitando.

RUSSICI hoc habent peculiare, quod ex unico frusto corii facti sint, & tam solea, quam quod pedis superiorem tegit partem, ejusdem sit generis. Loris oblongis per oras traductis ita circa pedem constringuntur, ut eum strictè ambiant. Corium, ex quo constant, colore nigrum non est, sed fulvum, ad purpureum inclinans.

FINNICI etiam peculiarem habent structuram. Ex corio enim Rangiferorum aut Alcium piloso conficiuntur, in apicem acutum & cornutum desinentes. Totum pedem tegunt, cum Russici non nisi digitos tueantur.

TYMPANUM LAPPONICUM, quoad modulos pulsato varia explorant & magiam suam exercent, ex ligno constat ovali, excavato, pedali longitudine, decem unciarum latitudine, cui sex insculpta foramina, & manubrium, quo commode sinistrâ teneri possit, dum dextrâ pulsatur. Annectitur ei nervis quibusdam membrana, variis & ineptis figuris sparsim sanguine aut rubicundo colore pictis exornata. Huic adest æneum corpus Rhomboides, convexum paululum, in Diametro duarum circiter unciarum, in singulis angulis & in medio catenulâ æneâ onustum. Bapsile seu instrumentum osseum, quo tympanum pulsatur, sex uncias longum, crassitie minimi digiti, figurâ literam T. Latinorum repræsentat. Cum quæstionem instituunt, æneum illud corpus tympano imponunt, instrumento osseo dextrâ pulsant & strenue cantant, tum rhombus hic æneus hinc inde saltat. Sed, finitâ cantione & pulsatione, in figurâ quiescit, quæ rem indicat, quam quærunt.

LAQUEUS COCCINEUS, quo strangulata Vipera, colli affectibus & Inflammationibus conducere volunt, quo nomine apud me asservatur.

De Pileo Brasiliano supra capite octavo egimus; tandem enim comperi pileum non esse, sed corbem Africanum.

Oculi humani ſtructuræ è chartâ elaboratæ dignæ ſunt quæ hic locum inveniant. Primam concinnavit Celeberrimus Medicus, Guilhelmus Fabricius Hildanus, deque eâ peculiarem conſcripſit Epiſtolam, ad Georgium & Franciſcum Lyckios, Nobiles Danos, quos hac fabricâ donavit. Epiſtola autem hæc extat in centuriâ ſecundâ obſervationum Chirurgicarum, obſerv.1. ex quâ recenſere lubet ea quæ ad hanc ſtructuram facere videntur. Cæterum, inquit, in diſſectionibus Anatomicis, vix aliquid admirabilius, aut artificioſius, ſtructurâ oculi humani, meo quidem judicio, occurrit; ut merito, per excellentiam, Creatoris appelletur miraculum: Hinc factum eſt ut Anatomici per omne ævum, in demonſtrandâ, ad oculum, oculi Anatome occupati fuerint, obſtacula experti ſint, atque etiamnum experiantur varia: Quo fit, ut, quod ſollicite & ſedulo perſequuntur, difficile aſſequantur. Membranæ enim tres poſteriores vix cernuntur. Adde quod in diſſectionibus paucis ſpectatoribus ea loci opportunitas propè cadaver contingit, quâ mirabiles oculi partes pervidere, eaſque diſtinctè notare queant. Sæpè igitur apud me cogitavi, quomodo tandem oculi fabrica in Muſeo, menſâ, colloquiis familiaribus, vel æſtivo etiam tempore, citra cadaveris uſum monſtrari poſſet. Et quia prædicto ſtudio non mediocriter oblector, meo igitur marte, talem aggreſſus ſum concinnare effigiem, quæ pridem Clariſſimo & longe Excellentiſſimo Viro D. D. Caſparo Bauhino, Anatomico & Botanico inſigni, domino & amico meo in perpetuum obſervando, aliiſque viris doctis perplacuit, &c. Poſt pauca. In hujus ſtructuræ ordine, quantum fieri potuit, Naturam imitatus ſum, quoad ſitum, formam & magnitudinem. Primo Muſculos ſex expreſſi, eoſque, ut ad naturalem formam magis accederent, ex corio rubro fabricavi, ex quibus quatuor recti, duo obliqui. Nervum præterea motorium per omnes Muſculos diſperſum, eumque unà cum extremitatibus Muſculorum in membranam (columbo innominatam dictam) deſinentem. Pinguedinem, quæ Muſculos & nervum opticum ambit, omiſi, uti quoque humorem aqueum. Hæc enim quomodo verè effingi poſſint nondum video. Membranas omnes inter ſe ita complico, ut rotundum corpus oculi cum ſuo nervo optico exhibeant, & quidem ut ſingula divelli, divulſa monſtrari, tum denuo complicari poſſint. Cryſtallinus autem humor reſidet in craſſâ illâ portiunculâ, per quam repræſento vitreum. Hæc de ejus ſtructurâ Fabricius. Singulas autem partes artificioſi hujus oculi ſpecialius ut luſtremus, occurrit I. Externa ſeu conjunctiva dicta membrana, rubris venulis inſignita, foramine ad pupillam prædita. II. Sex Muſculi, inter quos duo obliqui ex rubro corio, nervorum motoriorum propaginibus conſpicui, à tendine, ſeu propagine ex quâ oriuntur craſ-

crassiore & firmiore, desinentes in III. Tunicam innominatam dictam Columbo. IV. Succedit Sclerotica vel dura dicta, quod à durâ Matre oriatur. Hujus pars anterior dicta cornea, hic ex vitro est efformata. V. Choroides tunica à piâ matre orta, cujus pars exterior uvea, in medio perforata, &, circa foramen, iridem pictam habet. VI. Retina ex interiori cerebri substantiâ orta. VII. Tunica vitreum humorem continens, in quâ residet. VIII. Humor Crystallinus, per quem rubicundis literis translucet nomen Autoris hoc modo: Guil. Fabric. Hildanus inventor fecit Anno 1602.

Alter oculus artificiosus, pariter ex chartâ fabricatus, donum est Clarissimi Viri D. D. Pauli Moth, Medici Regii, qui Anno MDCXL. è Galliis redux eo me donavit, elegantior est & nitidiùs elaboratus, plura quoque in oculo spectanda exhibet, hæc nempe: I. Conjunctiva, seu adnata, Album oculi Hip. II. Tunica innominata Fallopii. III. Pinguedo Musculos ambiens. IV. Trochlea ad sextum Musculum sita. V. Musculi sex ordinarii in homine. VI. Septimus Musculus nervum opticum cingens, in brutis tantum. VII. Nervus motorius in omnes musculos ramos mittens. VIII. Sclerotica membrana, cujus anterior pars cornea vocatur, seu Nervi optici prima membrana, à durâ matre orta, simul corneam constituens. IX. Uvea, in quâ iris, pupilla, à piâ matre ortum trahens, nervum opticum cingens. X. Nervus opticus dilatatus, vocabulo Retinæ insignitus. XI. Humor aqueus. XII. Ligamentum Ciliare, quod tamen in proprio loco non invenitur, sed vitreo includitur. XIII. Vitreus humor cum suâ membranâ. XIV. Membrana Arachnoidea. XV. Humor Crystallinus lenticularis ex vitro Crystallino.

MICROGRAPHIÆ specimina adeo accuratè sunt scripta ut Lynceis sit oculis illa qui legat. Unum in circulo, solidum Danicum æquante, exhibet Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum & Decalogum. Aliud figuram Christi in cruce pendentis, cum Iconibus Mariæ Virginis & S. Johannis, in membranâ ita exhibet, ut quilibet ductus faciei, vestimentorum & aliorum ornamentorum, literæ sit & voces ex Psalmis Davidicis, tam minute scriptæ ac si meræ essent lineæ. Aliud, in quo exhibetur Maria Magdalena in deserto procumbens & peccata deplorans, pari artificio nitet, ut aciem oculorum minus Lynceorum fugiat.

Spectat huc membrana in quâ totus Catechismus Germanico idiomate, Anno MDCXLVI. exaratus est, à quodam Johanne Kuhn ætatis Anno XLI. qui in quâvis manu unicum saltem habuit digitum. Literas certe eleganter satis depictas, tam minio, quam atramento, varietate quoque insigni ludentes ostendit membrana. Rem vero ita se habere ipsemet hisce in eâdem testatur:

Johan Kuhn werd ich genandt/
Hat nur ein finger an jede handt.

Fuit hic Fœmina quædam Angla, brachiis destituta, quæ calamo scriptorio ore apprehenso, me vidente, his literis nomen suum, in chartâ, quam habeo, expressit:

ELISABETH SIMSON. ANNO 1620.

Ore præterea nebat eleganter, filum linguâ acui intrusit, aliaque multa ore præstabat, quæ alii manibus solebant.

IMAGINES Catoptricæ, juxta leges opticas elaboratæ, & speculis cylindricis destinatæ, quamvis nil nisi confusum Chaos primo aspectu exhibeant, adhibito tamen speculo, ostentant eleganter satis elaboratas imagines Cardinalis Richelieu, Sceleti humani, Monachi Benedictini, & nudæ Virginis.

STATUA Regis Norvagici ex dente Rosmari, priscâ arte elaborata, ita se habet. Rex equo insidens cum scuto amplo, ab unâ parte præcedentem habet tubicinem cornu inflantem, quem sequitur vexillifer, cum vexillo & balistâ: ab alterâ parte quendam habet, stapedem ejus flexis genibus tenentem, quem sequitur armiger, scutum & gladium Regis gestans. Omnia hæc in uno frusto dentis Rosmari sunt expressa, trium unciarum longitudine & latitudine.

AMULETORUM opus in membranâ duorum pedum longitudine, unius cum semisse latitudine, est exaratum, ita ut una facies quadraginta octo contineat circulos, quorum quivis in Diametro duas habet uncias, characteres continens miros, quorum quosdam in Paracelso, quosdam in Cornelio Agrippâ cernere licet, contra varios affectus, & ad varia impetranda, ut tituli præ se ferunt. Altera facies varias habet precationes, consecrationes & characteres, linguâ Saxonicâ conscriptas. Quas hic delineare

nolo, ne superstitioni ansam præbeam. Ita vero composita est membrana, ut quadrata quadraginta octo cohærentia constituat, quorum quodvis trium unciarum: ac ut melius serico inclusa collo gestari possit, singuli anguli ex complicatione orti, amputati sunt.

Ex Cyrrhis Balenarum contortis SCIPIO, seu BACULUS, longitudine quatuor est pedum, flexilis, diversorum colorum, lævis, splendens, ac si ex diversis conflatus esset gemmis, Achate, Sardo, & ejus generis aliis.

AULÆUM literis Runicis insignitum, quod olim aram exornabat sacelli Bilden in Provinciâ Hadelandiæ in Norvegiâ, priscâ arte depictum acu est, cui Runica inscriptio hujus sensus data: LODENA NOTAVIT, CUJUS SORORIS FILIA ERAT RAGNILTA. Longitudine est trium ulnarum Seelandicarum, latitudine unius cum unâ quartâ, ex panno subcœruleo confectum & variorum colorum figuris exornatum. De quo consule Monument. Danic. lib. 6. monum. 6.

VESTIMENTA FINNICA pilosa ex Rangiferorum pellibus confecta sunt. Thorax amplus, fœmoralia stricta admodum, ocreæ & chirothecæ, in quibus artificium in primis ostentare solent: sunt enim intus pellibus villosis suffultæ, exterius ex pedum piloso corio consutæ, ornamentis ex stanno (quod dentibus in filamenta artificiose ducere norunt) & pannis variorum colorum spectandæ.

CUSTODEM PUDICITIÆ voco fœmoralia quædam ex linteo rudi ita confecta, ut rima, cujus beneficio aperiuntur & clauduntur, sit ad latus firmo loro, hinc inde per foramina lateralia trajecto, clausa, & hujus lori ope thoraci ita nexa, ut serâ claudi possint, non nisi clave aperienda. Fuit in Falstriâ quidam, nostrâ memoriâ, qui cum uxorem, omnium testimonio pudicam, suspectam haberet, fustibus & verberibus coëgit, ut suis manibus has braccas neret, ad ideam quam ipsi præbuit. Quod nolens volens præstitit miserrima. Confectam induere jussit, serâ clausit, sibi reservatâ clave. Adeò ut nec Naturæ satisfacere, nec urinam reddere, nisi impetratâ à marito clave, potuerit. Hanc tyrannidem patienter tulit illa, per mensem unum aut alterum. Tandem amicis & consanguineis rem detegere coacta est; qui, instituto convivio, maritum invitabant. Cum jam hilariores essent, tyranno facinus exprobrant, & ejus uxorem, ut, sublatis vestibus, spectaculum hoc præsentibus omnibus ostenderet, compulerunt. Ille verò libidinem exprobrans, causas hujus rei habuisse sufficientes prætendebat.

Tandem ad Magistratum delata hæc injuria, qui maritum cum dedecore exulare jussit. Cum verò ante tribunal starent, à judice jussus est maritus clavem porrigere, ut, apertâ serâ, onere liberaretur miserrima mulier. Sed, in tam præclaro invento sibi gratulans, id recusavit, prætendens amissam esse. Quocirca adhibito cultro rimam fecerunt,

cerunt, per quam elapsa est, quæque adhuc in opere tam præclaro cernitur. Apud Magistratum deposita hæc Bracca tam diu asservabatur, donec ego in Falstriam venissem, Serenissimum Principem D. Christianum V. ægrius laborantem curaturus. Tum auditâ hac historiâ, de rei veritate inquirens, ope Celsissimi Principis machinam hanc vidi, & accepi, quam titulo custodis pudicitiæ donavi.

Sed res talis est, quâ si fallere voluisset maritum uxor facillime potuisset.

LAGENÆ vitreæ magnæ artificium haud vulgare præbent. Duæ sunt, quadratâ utraque, pedem altitudine superans: latitudine, in quovis quadrato, unciarum quinque circiter, ore non admodum lato, pollicem enim vix admittit. Harum una intus molâ ex ligno confectâ ad amplitudinem vitri dotatur, in quam ex contignatione superiore dum decidit arena, moventur rotæ. Supra hanc contignationem arenariam, alia est in quâ equites quatuor, dum rotæ circumaguntur, etiam in orbem equitant. Quamvis mirari liceat, quo pacto, per angustum oris foramen, intrusa sit lignea hæc & vasta Machina, mirum tamen magis quo pacto ligneum epistomium, quod os claudit arctè satis, transverso ligno plano, & ad amplitudinem vasis magno, sit interius trajectum, omnibus occlusis. Altera lagena ejusdem est magnitudinis & pari modo occlusa. Sed in se continet molendinum, ad amplitudinem & capacitatem vitri, quod ex ligno licet sit fabricatum, ad modum eorum qui vento agitantur, suas etiam habet alas, quæ moventur, ubi arena ex superiore contignatione decidit, corio deaurato obducitur, & scalâ, basi, aliisque ornatur requisitis, quæ in majoribus conspiciuntur molendinis.

Sed quamvis mirari liceat, quomodo integra hæc Machina, tantæ amplitudinis, tam angustum os penetraverit, & quomodo Epistomio ligneo, quod totum claudit, insertum sit, post clausuram, transversum lignum, quod in ipso vitro ei inseritur, admiratione non caret. Fuit qui mihi artificium detexerit, sed explicari jam nequit, & melius oculari demonstratione, quam scripto, talia docentur.

FINIS.

I N D E X

Præcipuarum rerum, quæ in hoc opere continentur.

A.

ABda Arabum. pag. 178
Abortum impediens. 66
Abietis coni. 197
Acacia fructus. 178
Acaron. 192
Accipenser. 273
Achates. 96
Achiotl. 179
Acies. 123
Aconitum Pardalianches minus. 145
Acarambitamba. 142
Acus vulgaris. 265
Acus Aristotelis. 265
Aculeatus minor. 278
Adamas. 103
Ægilopes. 252
Æs. 120. ejus diff. spec. 121. 122 ex Ætnâ fluor. 47
Æthiopica epistola. 383
Agallochum. 166
Agaricus seu Agaricum. 137. ejus virtutes, spec. var. ibid.
Agasyllis. 209
Agnus Schyticus. 189
Albardeola. 310
Alabastrum. 42
Alabastrites. ibid.
Album Hispaniæ. 131
Alce. 336
Alcea Indica. 218
Alcionium. 49
Alectorius. 71
Alka. 303
Almendras de Peru. 181
Aloë. 222. 166. Americana. 193 fructus ejus. 187
Alopeciam tollens. 242
Aovai seu Ahovay fructus. 185
Alvi profluv. sistens. 105. 210. 229. alvum solvens. 219
Alumen, ejus differentiæ. 23
Ambra quomodo generatur. 33. spec. 34
Ambustioni med. 46
Amianthus. 55
Amethystus. 99
Amabilitatem & gratiam concilians. 73
Amor ut augeatur. 78
Amatoria res. 64
Amorem conjugũ fovens. 103. firmat Turcois. 107
Ammoniacum. 219
Ammonites. 52
Amomum Indicum. 181
Amuleta. 65. 95. 96. 387. ex mixtura metallorum. 362
Amygdalus novi regni. 180
Anacardium. 182. ejus duo genera. ibid.
Anacok. 185
Ananas. 183
Anas Arctica. 302. Islandica. ibid. Platyrichas. 301
Anda. 184
Androsace. 230
Anginis med. 138
Animalium differentiæ. 259
Animo languido med. 184
Animi alacritatem dans. 61
Anser Magellanicus. 300. lignis adnascens. 257
Antidotum Arsenici. 114. contra venenum. 154
Antimonium & ejus usus. 125
Antophylli. 184
Aper Indicus. 340
Apis. 140
Apoplexiam tollens. 195
Aporrhais. 259
Apostemata sanans. 196
Apteron insectum. 242
Aqua lapidescens & petrefiens. 52. 90
Aqua ex arundinibus. 142
Aquila unde dicta. 292. aquilinus lapis. 77. cor. spec. ib.
Arachidne. 143
Araticum Ape. 186
Ardea. 306
Argenti var. spec. 115. 116. 117. 118. Argentifodina. ibid. Norvegica. 119
Argentum vivum. 126
Argilla quid sit. 2. ex eâ parietes firmiss. 3
Argyrites. 135
Armadilli var. spec. 335
Arquata. 307
Arsenicum album. 29. quomodo paratur. ibid.
Arthriticorum doloribus med. 274
Artificiosa varia. 38. ex animalibus. 376. fructibus. ib. lapidibus. 350. metallis. 352. ex plantis. 365. succino. 350. terris. 346
Arundo. 141. Indica versicol. flexilis. 142. sativa. 142. saccharina. ibid.
Asa. 222
Assius lapis. 49
Aspalathus. 166
Astacus. 247. fluviatilis. 248
Asthmaticis med. 165. 171. 183. 106. 221. 228
Astroites. 67
Atides statua anea. 353
Atramenti opt. præparat. 202
Atramentum Siniticum. 376
Audaciam præstans. 99
Aves. 290. earum differ. 291. Brasilicarum var. spec. 298
Avellana Indica. 187. purgatrix. ibid.
Auris marina. 251
Auricula Iudæ. 138
Aurium dolorib. med. 262. 317
Aurum. 114. in Norvegia magna copia. 115
Aurifodina. 115
Auri pigmentum. 28

B.

BAcca Lauri. 187
Baculus S. Pauli. 90
Balanus. 252
Balæna vulgi. 281. lac ejus. ib.
Balassius. 103
Balsami tres spec. 223. Orientale. ib anima. 224. Ind. 225
Baltheum sericum. 377
Bambus. 147. ubi nascatur. ib.
Baobab. 204
Bardus Norvagicus. 356
Basaltes. 42
Bdellii lignum. 166
Bdellium, spec. gummi. 219
Beli oculi. 109
Beid el ossar. 188
Belemnites. 70
Belzoinum seu Benzoinũ. 222
Ben Magnum. 187
Bezetta. 225
Bezoar minerale. 102
Bezoar lapis unde. 110
Biceps pullus gallinaceus. 257
Bili med. 155. 222 227
Bitumen. 29. cur in aqua ardeat. ibid. quomodo exstinguatur. Iudaicum. 30
Bismutum. 125
Bisulca animalia. 336
Bixa. 189
Biácca Alexandrina. 131
Blennus piscis. 266
Boletus cervi. 138
Bolus albus officin. 8. Boli var. species. 11. 12
Bombycinus fructus. 189
Bombax. 189
Bombyx. 140
Bonduch. 189
Bon seu Ban, seu Buncho. 189
Bononiensis lapis. 46
Boramez. 189
Brontia. 76
Bucardia. 80
Buccina. 258
Bufonius lapis. 107
Bufo. 265
Bulla ænea. 354
Byssus. 139. arboreus, terrestris. ib. inde vestes conficiebantur. 140

C.

CAa-opia. 220
Caapeba. 158
Cacao. 191
Cadmiæ species. 128. fornacum. 134
Cadegi. 162
Cajous. 292
Calabassum. 197
Calampart. 166
Calamus aromaticus. 144
Calcaria antiqua. 356
Calcar Gustavi Suecia regis, quod gesserat cum ad Lipsiam occideretur. 351
Calcarium saxum. 45
Calcedonius. 98. grandinosus, Islandicus, Cristalloides. ib.
Calcei Sinenses. 385. Islandici. 374. Russici. 385
Calculosis med. 39. 73. 74. 138. 154. 165. 171. 194. 219. 256. 264. item 93. 95. 97. 107. 59. 70
Callum generans. 93
Calx viva. 45. ex ea aqua mirabilis. 46
Camehuja gemma. 97
Cancamum. 225
Cancer in mamillis. 248
Cancro med. 46
Cancer Molucanus. 249
Cancellus. 250
Canella alba. 176. nigricans. 177
Canum coitus difficilis. 321
Canis galeus. 272
Cantharus ex smaragdo. 105
Cantharides. 242
Caoba. 166
Caova. 189
Capilli ne defluant. 168. 41. ut denigrentur. 314
Capitis dolores sistens. 42. 107. 170
Capparozoli. 256
Capreolus. 339
Capsicum. 192
Capsula artificiosa. 375
Caraguata. 193. 206
Carbunculus vetus non reperitur in rerum natura. 133
Caro ut regeneretur. 221
Carpionum lapis. 59
Carpobalsamum. 194
Casavi. 161
Casearius. 292
Castitatis gemma. 106
Cassia Americana. 194. solutiva & aromatica. 177
Cassiæ fistulæ duorum generum. 194
Castanea equina Indica. 195
Castor. 320. ejus historia. ib.
Castoreum. 321
Cate. 225
Catena lignea. 374
Catharrum tollens. 174
Catharrus Norvagicus. 358
Catoptica specula. 364
Catoptica cistulæ. 363
Cedrelate. 195
Cedrus de monte Libano. 195
Centrine. 273
Cephaglione. 165
Ceraunia. 74
Cerebro med. 110. 241. 157. 225
Cervus. 338. ejus coitus. 138
Cerussa. 131
Cetorum variæ species. 269
Ceti & pisces distinguuntur. 279
Chaace. 189
Chalazia vetus. 98
Chalcitis. 26
Chamarum varia genera. 254
Chameleon. 315
Charta incombustibilis. 351
Charta di Spania. 376
Chelapa. 155
Chelidonius. 72
Chinensium potus quo hospites excipiunt. 165
Chinitica literatura. 381
Chocolate potus. 191. ejus quatuor species. ibid.
Chronicis morbis med. 117
Chrysitis. 135
Chrysocolla. 128
Chrysolitus. 106
Cicatrices obducens. 54
Cinamomi histor. 167
Cinereum Plumbarium. 136
Cingulum ex filis ferreis. 359
Ciriboa. 196
Cistulæ Indicæ & Chinitica. 371
Cleopatræ gemma. 110
Clysteres. 209

Cly-

INDEX.

Clypeorum genera. 370
Coati. 319
Coccinea tinctura. 179
Cocculæ seu Cotulæ Elephantinæ. 197
Cochlea margaritis æmula. 257
Cochlear Island. 378
Cochleæ in deliciis apud Ital. 260. 261
Cocogola. 167
Cogitationum inconstantiam prohibens. 94. 99
Colico dolori med. 59. 61. 99. 228. 247. 258. 262. 297
Collyrium. 169
Colophonia. 225
Colubrinum lignum. 167
Columba lapidea. 83
Colymborum duo genera. 304
Coma Lacra. 220
Comitiali morbo med. 337
Conceptus ut prohibeatur. 79
Conceptus ut firmetur. 93
Concharum variæ species. 251. 252. 253. &c.
Conicum speculum. 361
Contagium pellens. 98. 231
Conferva Plinii. 139
Contrayerva. 154
Copra. 209
Corallia. 230. 231. 232. 233. historia eorum & variæ species. ibid.
Corbis Indica. 365
Cordis affectibus med. 35. 78. 104. 105. 110. 231. 337. 141. 166. 173. 111. 114
Cor lapideum. 82
Corneolus. 99
Cornua varia, leporis. 299. Capreæ. 340. Caponis. 299. fossile. 54
Corticum variæ species. 177
Corvus versicolor Feroënsis. 292
Cos. 41. Olearius, Aquaticus. ibid.
Costum Arabicum. 146
Coxarum affectibus med. 177
Cranium stupendum ex Scania. 344
Creta varia. 4. 5.
Crocodilorum species. 315
Crus gallinæ. 299
Crustacea. 247
Crustata rotunda. 249
Crux argentea Russica contra armorum violentiam è collo gessata. 352
Crystallus. 99. 100. 101
Crystalli Mater. 101. generatio. 88
Cuci. 197
Cuculus marinus. 266
Cucurbitarum var. spec. 197. 198
Cultellus æneus. 355
Cupressus. 168. mas & fœmina. ibid.
Custos pudicitiæ. 388
Cygnus. 299. cantio ejus. ibid.
Cyperus. 154

D.

Delphinus. 288
Dentalia. 252
Dentibus eorumque doloribus sedandis med. 168. 174. 176. 221. 223. 262
Dentes ut evellantur. 262
Dentifricia. 65. 99. 258. optima. 59. 252
Dentitio puerorum ut promoveatur. 231
Deriagen ex Oriente. 154
Desperatis præsens remedium. 106
Desperatis membrorum affectionibus laborantiũ admiranda curatio. 264
Diarrhœa sistendæ med. 110
Digitata ovipara. 316
Diopticus tubus. 364
Divitiæ ut augeantur. 78. ut non desint. 108
Doloribus sedandis med. 43. 53. 194. 211. 219. 221
Doronicum. 145
Draco marinus. 268
Drakena. 154
Dysentericis med. 56. 61. 78. 105. 110. 151. 179. 188. 202. 203. 208

E.

Ebenus. 168. ignem non sentit. 169.
Islandicus fossilis. ibid.
Ebrietas ut arceatur. 99
Echinus marinus. 261. terrestris. 334
Elemi gummi. 221
Elephantiasi med. 154. 262
Epidemico morbo med. 146
Epilepticis med. 45. 54. 59. 65. 73. 78. 94. 97. 105. 152. 231. 297. 319. 327
Emeu. 292
Entrochos lapis. 70
Erva barbosa. 193
Erugandæ faciei modus. 300
Erysipelatem avertens. 73. 94
Evonymi arbor. 140
Euphorbium. 226
Exoticorum & rariorum historiæ cognitio quantum prosit. 248
Exsiccandi vim habens. 104
Exsanguia animalia. 239

F.

Fabarum var. spec. 199
Facundia ut augeatur. 72
Faldistolium. 375
Fascinationes ne lædant. 67. 77. à pueris ut arceantur. 95. 99
Fasti Danici. 362
Favago. 236
Faufel. 200
Febribus med. 138. 151. 157. 167. 170. 172. 179. 184. 203. 208. 219. 221. malignis. 61. 152. ardorem mitigans. 105
Fel vitri. 134
Femoralia uxori à viro applicata. 388
Ferrum. 122. spec. var. 123. flos. ib.
Ferrugo. 123. 131
Fibula Romana. 353
Ficus Indica. 148. 163
Fideliarum var. spec. 347
Filum contra spasmum. 365
Fistula deglutita ab adolescente, & die tertio per alvum excreta. 374
Florentinum marmor. 44
Flos æris. 132
Fluores. 102
Fœtum pellens. 292. mortuum educens. 262
Fossilia. 1
Fracturis med. 53. ossium. 139
Fructus varii. 178
Frutex marinus. 234
Fucus Verrucarius seu Vermicularis. 234. corallinus niger. 234
Fulica. 306
Fulmen ne aliquem tangat. 77
Fulminaris lapis. 74. verus quomodo probetur. ibid.
Fungus. 137. Sambucinus. 138
Fungites. 81
Fur ut prodatur. 78. ut notetur veneficio. 335

G.

Galbanum. 221
Galena. 127. duplex. ibid.
Galeus Asterias. 272
Galla. 202
Gallina Guinea. 297
Garantronius. 44
Gargarismus. 138
Gariophyllus regius. 203. ejus servandi ratio apud Indos.
Gariophyllorum Indicorum folia. 162
eorum historia. ibid.
Gemma nucis Maldivensis. 203
Gemmarum generatio & varietas. 82. &c.
Gigantis dens. 343. costa. ibid.
Gladioli Indici flammati. 255
Gadiolus æneus. 354
Globuli saponarii. 203
Glossopetra. 67
Glycyrrhiza. 226
Gossypium. 189. Iavanense. 205
Granatus. 104
Gravedini med. 255
Gronlandorum instrumenta. 362. navigandi modus. 377
Grumos sanguinis solvens. 344
Gryllotalpa. 243
Guajacum Indicum. 170
Guanabanus. 204
Gummi. 192. Arabicum. 219. hederæ. 221
Gummata. 219
Gutta Gambodia. 226
Gypsum. 46

H.

Hæmatites. 64
Hæmoptoicis med. 73
Hæmorrhoidum doloribus & fluxibus med. 45. 105. 317
Hæmorrhagiam narium sistens. 105
Halos Anthos. 34
Halcyonis species. 304
Hammites. 52
Hasta Americana. 358. Indica regia. 356
Hamus ad capiendas balenas. 358
Hecticæ med. 248
Hedera arborea. 171
Heliotropius. 93
Hemicraniæ curandæ ratio. 292
Hepati inservientia & roborantia. 43. 105. 152. 155. 160. 189. 222. duritiem molliens. 273. obstructiones reserans. 211
Herniæ med. 108. 177. aquosæ. 219
Hilxochitl. 215
Hippocampus. 244
Hippopotami rasura quid sit. 290
Hominem quæ spectant. 343
Homo siliceus. 82
Homoucul. 204
Hordeum fertilissimum. 150. Hermaphroditicum. ibid.
Humores purgans. 172. 226. 227
Hyacinthus. 104
Hydropicis med. 154. 159. 171. 226. 227. 246
Hypojasminum. 150
Hystrix. 335
Hystericæ passioni med. 337
Hysterolithos. 83

I.

Iacula Indica. 358
Ialapa. 155
Iaponica Epistola. 382. 384
Iaspis. 93. var. spec. 94
Ictero med. 157. 227. 248
Iecur confirm. 154. & med. 157. 171. 227
Ig. 205
Ignis elicitur ex ligno. 179
Impetiginem curans. 189
Impinguans. 211
Infectiones sanans. 189
Inflammationes reprimens. 162. 105
Ingenium acuens. 99
Insecta. 139. mollia. 246
Isidis Idolum Ægyptiacum. 348
Islebianum Saxum, varias imagines repræsentans. 38

K.

Kapoc. 205
Karovata. ibid.

L.

Lablab. 206
Laccæ variæ species. 226
Lac Lunæ. 6
Lac augens. 69. 71. 100. 110
Lacertorum variæ species. 313. 314
Ladanum. 227
Lagenæ vitreæ. 389
Lampas fictilis Italica. 347
Lampaton. 153
Lapidescens aqua. 52
Lapides in genere. 36. Asteriæ. 59. Armenicus. 65. Castoris. 73. Coracinus. 59. Fungifer. 91. grandinis. 26. illuminatus. 46. Iudaicus. 69. Lazuli. 65. minus pretiosi. 81. mutabilis. 108. Novacularum. 92. Orbes. 133. è Renibus Bovinis. 74. Schistus. 57. Vrsinus. 73
Lapides ab Agyrtâ deglutiti. 41
Laqueus coccineus. 386
Lenticula quâ Esau primogenituram vendebat. 206
Leo. 317
Lepas. 251
Lepræ med. 111. 154. 243. 297
Lepus. 321. niger malum omen. ibid.
Lethale uni, alteri quod prodest. 145. 147
Libidinem Rubinus coërcet. 104
Lichenas sanans. 151
Lieni med. 151. 152. 157. 171. 177. 189. 210. 221. 309
Lignum. 170. fossile Vmbriæ. 159. literatum. 171. lapidem amplectens. 174. monstrosum. 174. Tanava seu Molucense. 171. Rhodium. 172. Santalum. ibid. Sassafras. 173. è Siam. 174
Linaria cœrulea. 180
Lini species. 189
Lingua lapidea, humanæ similis. 83
Lippitudinibus conducens. 162. 169. 297. oculis.
Lithargyros. 135
Liventia sanans. 151
Locustarum var. spec. 242. iis vescuntur varii pop. 243
Loligo. 246
Lucens in tenebris. 276
Ludus Helmontii. 39. Paracelsi. ib.
Lui Venereæ med. 127. 154. 157. 171. 174. 177. 335
Lumbricos pellens. 138. 224. 234. 335
Lupatus ligneus mirificè factus. 369
Lupus marinus. 275. 289

M.

Machina tractoria. 324
Maculas vestium abstergens. 46
Magnetes. 61. 62. 63
Maguey. 193
Malabatrum. 162
Malabricæ literæ. 386
Malignos morbos pellens. 93. 54
Maltha. 45
Mambu. 141
Mammas virginum extuberantes quid comprimat. 211
Mandioca. 161
Manobi. 208
Manna. 227
Manubium cultri ex Agate. 357
Manucodiata. 294
Margaritæ quomodo purgantur. 110
Marmor. 41. Album. 42. Nigrum, viride. 43. metallare. 130
Maslach. 227
Massa elegans ex variis lapidibus. 89
Mater perlarum. 253
Matlaliztis. 157
Matalista 156
Matricis fluxui med. 71
Melancholicis conducentia. 34. 65. 66. 72. 104. 106. 108. 111. 114. 140. 261
Memoriam firmans. 105. 319
Mecaxuchitl. 208
Mechoaca. 150. 156. 227
Mechoacanna. 155
Medalia varia. 359. 360. &c.
Mel Anacardicum. 182
Menstruis med. 174. 192. 194. 195. 206. 228. movens. 152. 142. 154. 327. sistens. 73. 123
Mercurius. 126. species & usus. ibid.
Merganser. 300
Mergus maximus Feroënsis. 303
Merochtus. 71
Metallum quid. 113. proprietates. ib.
affinia. 127
Mica. 130
Millepora. 235
Minium. 131
Misy. 26
Mærorem pellit aurum. 114
Moly virginianum. 159
Monilia ex conchis. 252
Monticulus artificiosus. 359
Morsibus venenatis med. 151. 152. 157. 167. à Cane rabido. 261
Mulieribus fluxu albo laborantibus. 56. 59. hystericis. 84. 223. morbis puerorum. 242. 246
Mumia humana. 344
Mundubi. 207
Mus rotis actus. 375. Norvagicus & ejus historia. 322
Musa. 163
Muscus pyxioides. 140. terrestris corralloides. ibid. cranii humani. 343
Musculi & mytuli. 255
Musicalibus notis insigniti turbines. 259

N.

Nabuch. Nabea. 209
Nana. 183
Narcaphton. 178
Naturalibus mediis operatur Deus. 103
Navicula elegans. 375
Narium gravedini med. 255
Nervis. 106. 317. mirabile med. 300
Nephriticis med. 50. 95. 184. 246
Nerites. 260
Nhamdu. 196
Nidi avium. 311
Nil album. 135

Nis-

INDEX.

Ninsing. 157
Nobilitatis signum apud Indos. 140
Noctua. 296
Nummi Americanorum. 191
Numismata varia. 359. *Chartacea.* 361. *Stannea.* 361. *Vitrea.* ib.
Nux Cathartica. 211. *Indica.* 209. *Moschata.* 87. 164. *Myristica.* 210. *Pistacea.* 211. *Vomica.* 212

O.

OBeliscus ex Smaragdo. 105
Obryzum. 114
Obsidianum marmor. 42
Oculus catti. 108. *mundi.* ibid. *humanus artificiosus ex chartâ.* 386. *ex vitro.* 362
Oculis si quid incidat ut eximatur. 59. 72. *eorum doloribus med.* 46. 64. 105. 107. 110. 168. 225. 228. 258. 262. 293. *stillantibus.* 54
Odor suavis. 224
Oedematosos humores resolvens. 123
Oleum Saphiri. 105
Olibanum. 228
Omphacitides. 202
Onyx. 97
Opalus. 107
Opobalsamum. 223
Opopanax. 221
Opium. 228
Ophites. 43
Opuntia. 148
Orbis Ægyptiacus. 269. *hirsutus* ib.
Oris halitum commendans. 162. 166. 168. *Impuritas ut tollatur.* 67
Organum musicum Lituanicum. 374
Oriza Orientalis. 150
Orthopnoicis med. 219. 151
Ossium fracturis coagmentandis. 53
Ostracites. 79
Osteocolla. 53
Ostreæ in lapidem versæ. 87
Ostrearum var. spec. 255
Ova varia. 311
Ovipara animalia. 312
Ovum Mulieris & ejus historia. 311

P.

PAgurus. 250. *var. spec.* ibid.
Pallekins lectuli in Coromand. 141
Palpebrarum asperitati utile. 64
Palmarum var. spec. 164. *saccifera.* 202. *Indica.* 218
Panis Brasiliensium. 366. *in lapidem versus.* 84
Papequanhe. 158
Papulis med. 111. 255
Papyrus. 139. *Chiniticus.* 384. *ex arundinibus Nili.* 385
Paradisiaca avis. 294
Paralysi med. 225
Paropsides ex sparto subtili. 365
Parturientibus med. 78. 198
Partum conservans. 99. *retineri faciens.* 105. *accelerans.* ibid. *facilitans.* 344
Passer niveus. 310
Pavoribus puerorum arcendis. 319
Pavo. 297
Pectinites lapis. 88
Pecten genus concharum. 255
Pectoris vitiis med. 222
Pediculis necandis inserviens. 197. 221
Penarium Chiniticum. 371
Penna marina. 235
Pentacula. 362
Percarum lapis. 59
Perlæ. 109
Perniones emendans. 275
Perspicillum Polygonum. 364
Pes saxeus. 82
Pestem prohibentia. 53. 54. 77. 78. 104. 111
Phalangi Americani dentes. 244
Phaseolus Ind. 178. *Peregrinus.* 212
Phengites. 44
Philtra. 139. 154
Phoca. 289
Phænicopteros. 309
Phrenitidem mitigans. 106. 261
Phtisicis med. 110. 278. 314
Pica alba. 293
Pila stagnalis. 139
Pili ut generentur. 314. 319. *ut eradicentur.* 46. 221
Pinan. 212
Pindova. 213
Pinhas de Brasil. 211
Pinus. 210
Piper. 213. *var. spec.* 244
Pisces Pelagii. 270. *aquæ dulcis.* 277. *Saxatiles.* 265. *ut facilè capiantur.* 197
Pisum Indicum. 178
Pituitam moventia. 138. 155. 160. 176. 221. 222
Pix Burgundica. 228. *Græca.* 226
Planta marina. 234. 276
Pleuritidi med. 59
Plumbago. 136
Plumbum. 124. *var. spec.* ibid.
Poculum ligneum elegans. 371
Podagricis med. 41. 49. 173. 221. 309. 317
Polygonus globus buxeus scioterica referens. 366
Polypus. 246
Pompholyx. 135
Porphyrites. 44
Porus. 48
Prisma cristallinum. 362
Pristis. 288
Profluvio alvi med. 208
Pseudoadamas. 103
Pudendorum ulceribus med. 59
Puellarum morbis med. 73
Pulmonum vitiis. 43. 64. 222
Pupillis expurgandis. 79
Pumex. 47
Purgans. 138. 221
Purpura. 258
Putredinem prohibens. 154

Q.

QVartzum. 57
Quercus animal gignit marina. 234. 236
Quina. 192

R.

RAdix Chinæ. 153
Rangifer. 337
Rana piscatrix. 375
Renum obstructionibus med. 70. 157. 174. 194. 211. 226. *caliditati.* 125. *lapidibus.* 314
Respirandi difficultati med. 225
Retepora. 235
Rhabarbarum. 157. *nobiles virtutes.* 158. 159
Rhinoceros. 336
Rhus Virginianum. 151
Rosa Hierichuntica. ibid.
Rosmarus. 289
Rubinus. 103
Rubra tinctura. 225
Rugis faciei tollendis med. 228
Rusticus Norvagicus artificiosus. 371

S.

SAccharum unde conficitur. 141. *coquendi modus.* 142. *de Mambu.* 145
Sagapenum. 221
Sagittarum varia genera. 368. 369
Sal. 18. 19. 20. 21. 22
Salibacha. 167
Sandaracha gummi. 29. 229
Sanguinem sistens. 69. 73. 93. 106. 189. 246. 344. *purificans.* 231. *attrahens.* 277
Sanguis Draconis. 229
Sanitas ut incolumis sit. 104
Santerna. 128
Saphirus. 104
Sarcaparilla. 159
Sardonix. 97
Saxa. 37. *var. spec.* ibid. *Metallica.* 130
Scachici ludi. 377
Scamonium. 229
Schistum. 64
Schola Fridericiburgensis aucta. 116
Scipiones Indici. 143
Scorpionis ictuum curatio. 142. 143. 264
Scorpio marinus. 267
Scoriæ var. spec. 132
Scorzonera. 152
Scyphus Russicus. 371
Secundina pellens. 227. 321
Selenites. 56
Semina varia. 219
Sepes Americanorum. 193
Sera Indica. 359
Serpentum discrimina. 262. *exuviæ variæ.* 263. *ictus ipsis extis curantur.* 262
Sica ænea. 354
Sigilla ænea. 355
Silesiaca Fidelia. 346
Silex cuspidem venabuli referens. 85. *variæ formæ & spec.* 39. 84. 130
Silurus. 277
Simplex medicamentum sæpe adhibendum. 112
Singultientibus med. 151
Sitim febricitantium extinguentia. 71. 96. 100. 106
Smaragdus. 105. *quomodo probetur.* ibid.
Smectis. 4
Spiroscopium. 363
Smiris. 65
Solen. 256
Solidipedia animalia. 341
Somnum conciliantia. 77. 106
Sortubrandur. 169
Sory. 26
Spatum. 130
Specula varia. 364. 559
Sperma augens. 221
Sperma ceti. 34
Spirandi difficultati med. 35. 221
Spiritus corroborans. 34. 110
Spiritus difficultati med. 292
Spinellus. 103
Spodos. 135. *ejus vires, & spec.* ibid.
Spongia Bedeguaris. 138. *Sylvestris Rosæ.* ibid.
Squammæ æris. 132. *ferri.* ibid.
Stalactitis var. spec. 50. 51. 52
Statera Sinitica. 355
Statua articulatim juncta. 375. *ex gypso.* 348. *Regis Norvagici.* 380. *Vitrea.* 362
Stella marina. 245. *arborescens.* ib.
Stenomarga. 5
Stibium. 125
Stomacho med. 42. 93. 162. 166. 184. 223. 226. 292
Storea Indica. 365
Strumis med. 262. 314
Strepsiceros. 339
Sturio. 273
Stylus Rom. æneus. 353
Styrax Calamita. 229
Subula Americanorum. 193
Succinum in aquis dulcibus. 33. *Orientale.* ibid.
Succus lapidescens. 8. *Ægyptiacus.* 229. *Inspissatus.* 222
Sudorem moventia. 53. 152. 154. 160. 170
Suffimenta opt. 178. 229
Suffocationibus uteri med. 84
Suffusionibus delendis. 273
Suibus med. 38
Sulphur, ejus usus. 27
Sumach. 151
Surditati med. 317
Suspiriosis. 165
Sydcrites quid. 122
Syncopi med. 110
Syren Danica. 277. *manus, costa.* 276. 277

T.

TAbaxir. 141
Tacamahaca. 221
Taniock. 215
Talcum. 57. 130
Tamarindorum fructus. 214
Tauzarghent. 160
Tellinæ. 256
Telæ subtiles in Norvegiâ. 140
Templum Venet. incrustatum. 362
Terræ variæ. 3. 4. 5. 6. *& seqq.*
Terriculamenta arcens. 106
Testacea univalvia. 251. *eorum species.* 161
Testudo. 316. *var. spec.* ibid.
Thermoscopium. 363
Thunnus. 271
Thymiamatis massa. 178
Tineis puerorum med. 56
Tinnitui aurium med. 335
Topan avis Indica. 293
Topazius. 106
Tophus. 48
Tonitru ne lædat. 95
Torminosis med. 246. 247. 339
Totake fructus. 181
Tragacanthum. 222
Traha Finnica. 373
Triangularis piscis. 274
Tribulus aquaticus. 215
Tristitiam pellens. 97. 104
Trochus. 259
Tuba in cornu formam elaborata. 380
Tubera cervina. 138
Tuberorum lapis. 5
Tubulorum species. 237
Tubulus Tabaci. 371. *vermium.* 252
Tunal. 148
Turbinata. 257
Turbinum var. spec. 259
Turcois. 106. *colorem mutat pro corporis constitutione.* 107
Tussi med. 195. 221. 226. 227. 228. *puerorum.* 258
Tympanum Iaponicum. 385

V.

VAgina cultri buxea mira. 374
Vas Chinit. 346. *Ligusticum.* ib.
Vastchima. 216
Vegetabilia. 230. *rariora.* 137. *excrementa.* ibid.
Venenis med. 77. 94. 96. 107. 110. 111. 172. 184. 203. 221. 262. *Venenosi animalis morsibus.* 147
Veneri refrenandæ. 125. *repugnans.* 261. *excitans & stimulans.* 84. 138. 157. 181. 205. 211. 212. 217. 223. 246. 255. 292. 315. 321
Ventriculum roborans. 155. 157. 160. 189. 197. 210. 222. 226. 227
Verdello. 43
Vermes marini. 245. *petrificati.* 90
Vermibus puerorum pellendis med. 68. 214
Vertebræ petrificatæ. 90
Vertigini med. 297
Vestes Gronlandicæ. 376
Vicea Africana. 178
Victoriam concilians. 68. 72. 77
Vigilias excitans. 165
Vipera. 262. *petrificata.* 90
Virga aurea Virginiana. 155
Virginum mammæ ne crescant. 41
Virginianum allium. 151
Virgilii Epitaphium. 162
Visum confortans. 106
Vitis Canadensis. 153
Vitriolum. 24. 25. *ejus species.* 133. *Vitrum viride.* 362
Vitulus marinus. 289
Vivipara digitata. 317
Vlceribus malignis med. 54. 56. 192. 231. 241. 261. 273. *Tibiarum.* 196
Vmbilicus marinus. 72. *magnus.* 73
Vnicornu marinum. 282. *ejus historia.* 283. *de Vnicornu judicium Augustanorum med.* 286. *de Vnicornu terrestri historia.* 287
Vniones. 108
Vomitum ciens. 46. 185. 226
Vox ut clara fiat. 197
Vranoscopus piscis. 271
Vrina cruenta sine noxa. 148
Vrinam moventia. 93. 142. 162. 174. 184. 194. 205. 211. 219. 242. 248. 256
Vrnæ lacrymales. 347. 362
Vrsinus lapis. 73
Vtero med. 157. 197.
Vterinis affectibus med. 100. 222
Vstis med. 219
Vulvæ duritiei med. 227
Vulvam clausam aperiens. 139
Vulneribus variis med. 167. 184. 204. 221. 223. 224. 225. 226. 228. 229. 255

X.

XAlapa. 157
Xiphias. 270
Xyloaloe. 166. 168.

Y.

YEcotl. 205
Yvana. 313
Yuca. 161

Z.

ZAbucaio. 217
Zeiblicium. 43
Zoophyti genus. 190

FINIS.

17 Feb. 1858

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 00272615 6
crlsrb QH70.D42C789
Museum Wormianum;